BIBL. NAZ
Vitt. Emanuele III
165
C
3
NAPOLI

Digitized by Google

ECCLESIAST
165
C
3.
BIB NAZ NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

156
e
16

Digitized by Google

DE JURE SIGNATURÆ JUSTITIÆ


IN ORDINEM REDACTO

COMMENTARIUS

FRANCISCI ANTONII VITALE

ABBATIS CONSTANTINIANÆ ECCLESIÆ S. STEPHANI

DE CAPUA VETERI.



B. R. NAPOLI

ROMÆ

Ex Typographia De Rubeis apud Pantheon in via Seminarii Romani.

MDCCLVI.

BIBLIOTECA NAZIONALE V. E. III NAPOLI

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

Emin.mo, & Reverend.mo Principi

NERIO CORSINI

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

AC SIGNATURÆ JUSTITIÆ PRÆFECTO &c.

AUCTOR.

COntigit enim mihi, libellum hunc de Tribunali Signaturæ Juſtitiæ emancipaturo, ut, quem ei potiſſimum Patronum, ac veluti Tutorem invenirem, ancipiti mecum deliberatio-

Digitized by Google

ne jamdiù diſquirerem, donec animo volvens nemini agnovi potiori jure deberi, quam Tibi, cui datum eſt eidem Tribunali laudabilitèr, æque ac ſapientiſſimè præeſſe; itaut, an quidquam pretii huic operi ſtatuendum videatur, prout de Poemate, Tabuliſque, Pictoribus, atque Poetis tributa auctoritas eſt Jove æquo judicandi, omnes profectò intelligunt, tuum omninò arbitrium eſſe. Hæc enim, Eminentissime Princeps, *præcipua ratio fuit, ut ampliſſimum nomen tuum, omnibus non modo juriſprudentiæ, & fori cultoribus, verum & univerſæ litterariæ Reipublicæ, veluti ſacrum, & auſpicatiſſimum, hiſce meis laboribus præſcriberem; at non deſunt, & aliæ rationes, nec à longè arceſſendæ ſunt, quarum unam, ne longum faciam, tantummodo hic recenſeam: Innumera*

enim

enim beneficentiæ argumenta, quibus, & ampliſſimus Patruus tuus Clemens XII. *Pontifex maximus, cujus memoria*

. . . . . . vivet dum robora tellus

Dũ Cœlum ſtellas, dũ vehet amnis aquas. Tibullus lib. I. Elegia IV.

Tuque ipſe, tanti Patrui emulus ſolertiſſimus, complexi quotidiè fuiſtis Marcellum Pompejum Paſſeri, Purpura, ac Proauditoris munere decoratum, illiuſque gentem omnem, in qua jamdiù materno ex latere mea coaluit, ſibi profectò vindicant aliqua obſervantiæ, & grati animi ſpecimina, quæ in exiguo hoc munere ita poſteris commendanda duxi. Reliquum eſt, ut eadem comitate, qua à natura donaris, libentique animo illud excipias, firmiſſimoque patrocinii tui præſidio tuearis, dum me, ſtudiaque mea Tibi commendatiſſima, ut habeas, enixè rogo, & pro incolumitate Tua ſincerè,

& ex

& ex animo ſummum rerum Moderatorem veneror, ut votis ad invidiam felicibus

Horatius lib. 1. Ode 11.

Serus in Cœlum redeas, diuque
Lætus interſis Populo Quirini.

OPE-

Digitized by Google

OPERIS PARTITIO

CAPUT I.

De Origine Tribunalis Signaturæ Juſtitiæ, ejuſque forma, ac competenti Juriſdictione.

CAPUT II.

De Actis præambulis ad effectum adeundi plenam Signaturam, & de auctoritate Auditoris Signaturæ.

CAPUT III.

De Commiſſionibus juxta diverſam negotiorum naturam proponendis.

CAPUT IV.

De Ordine informationis, & Scripturæ ante propoſitionem Cauſæ.

CAPUT V.

De diverſis Reſcriptis, eorumque vi, & effectu.

APPENDIX.

Apoſtolicarum Conſtitutionum, ac Decretorum ad ejuſdem Signaturæ Tribunal ſpectantium, ampliſſimam collectionem continens.

IM-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sacri Pal. Apoſtolici.

F. M. De Rubeis Patr. Conſt. Viceſg.

DE mandato Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici ſumma cum voluptate legi librum, cui titulus: *De Jure Signaturæ Juſtitiæ in ordinem redacto*, in quo cum nihil occurrerit, quod Orthodoxæ Fidei puritati, aut morum honeſtati adverſetur, ſed inſuper ea, quæ ad facultates, & praxim dicti Tribunalis pertinent, fuerint ab ejus doctiſſimo Auctore ſumma cum elegantia ſermonis, ſummàque cum diligentia illuſtrata; indeque, ſi publici juris fiat, maximam reputem utilitatem toti Curiæ, præcipuè vero Tironibus obventuram, Typis edi poſſe cenſeo; hac die 10. Decembris 1756.

Jacobus Lavajani in Rom. Curia Advocatus.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Rmi P. Mag. Sac. Pal. Apoſt. Socius, Ord. Præd.

Digitized by Google

SIgnaturæ Juſtitiæ Tribunal quo ordine, quave methodo regatur, vel Tironibus, huic ſe committentibus negotio, adeò captu difficile redditur, ut veluti illuni nocte per vaſtiſſimam Conſtitutionum, Decretorum, ſtili, ac conſuetudinis ſilvam ire coacti, faſtidientes refugiant; vel ab aliis tantum abeſt, quod longævo uſu penè guſtetur, ut eveniat aliquando, quod ea, quæ in aliquibus ſtatuta ſunt negotiis, ad diſſimiles ſpecies, ac quæſtiones obvenientes protrahere ſtudeant, medullitùs inſtitutionis, ipſiuſve ſtili cauſas neutiquam animadvertendo; eapropter litibus ſolent addere, & coacervare lites, itaut negotium ipſum circumveniatur perſæpè inutilibus, & ſupervacaneis contentionibus, & reddantur ſæpiſſimè ineſtricabilia magis præambula ipſa negotii, quam legalis articulus decidendus. Quæ ego ipſe cum animadverterem, eouſque impulit me voluptas illius praxis addiſcendæ, ut, privatæ meæ cognitioni conſulendo, plura congeſſerim, quæ vel ab aliis ſparſim dicta excerpſi, vel è ſummis, ac peritiſſimis viris, quibus Curia abundat, accepi (1). Et ſi ea hodiedum publici juris facio, cauſam interpono, ne videatur inter quampluri-mos me aſſurgere, qui nullo pacto ſum cum tot cæteroquin doctiſſimis Curiæ comparandus; nam & ego ipſe ſatis intelligo non tantum mihi eſſe auctoritatis, & doctrinæ, ut me ampliſſimorum Viro-

(1) *Non alio ſanè modo Curiæ praxis in Foro verſantibus innoteſcit; & proindè Salgadus, de eadem Signatura differens in ſupplicatione ad Sanctiſſimum 2. part. cap 30. n. 1. ait*: Praxim Curialem non abſque parvo labore à nobis tum ex longo, conſuetoque curſu, atque varia Rotæ Deciſ., & Doctorum lectione, tum etiam ex continua potiſſimorum Curialium communicatione, fidentiſſimaque relatione adquiſitam.

rorum diligentiam imitaturum, nedum aliquid rectius, & præſtabilius traditurum confidam. Amicorum enim inſtantia ea & tanta fuit, ut voluntati eorum refragari ulla excuſatione nequivi; inter cæteras namque cauſas, quas, ut me diù reluctantem ſuaderent, propoſuere, ea potiſſimum fuit, non inutile eſſe, ſi aliquando res ſæpius dictæ, & repetitæ nova ſelectiori methodo in ordinem redigantur; methodus enim, & ſelectio non immeritò cunctorum voluptati ſatisfaciunt, ut pro novis vetera habeantur; hinc apud doctos viros ea invaluit opinio undique plauſibilis, libellis, nempe, ob ſolam novitatem, raritatemque materiæ pretium haud eſſe ſtatuendum. Et reverà non ingratum Lectoribus fore eo certiore augurio præſentire mihi videor, quo magis non omninò actum agere ſubvereor; nam etſi nonnulli de Signatura Juſtitiæ ſparſim quamplurima ſcripta reliquerunt, tamen è tot Scriptorum fragmentis, tanquam è diſperſis Hippolyti membris, juſtum ſibi ejuſdem Signaturæ praxis corpus, & ſiſtema haud facilè quiſque exſtruat. Hæc denique fuit hujuſce operis exigua origo, hæc demum cauſa, ut in vulgus prodiret. Ad rem igitur deveniendo, primum de hujuſce Tribunalis origine ſtuduimus inquirere; hac enim prælıabita cognitione ad pleniſſimam intelligentiam Juriſdictionis eidem competentis facillimè devenitur. Eapropter ſermo ante omnia erit de origine, forma, ac juriſdictione Tribunalis Signaturæ. Quæ quidem res in unum complexæ ſequenti capite brevitate, qua magnopere delectari fatemur, abſolventur.

CAPUT I.

De origine Tribunalis Signaturæ Juſtitiæ, ejuſque forma, ac competenti Juriſdictione.

UT antiquiſſimam fateatur quiſque inſtitutionem hujuſce Tribunalis, id potiſſimum animadvertendum eſt, non innotuiſſe uſque adhuc, quonam tempore ortum habuerit. Obſcuritas enim ipſa, in qua verſamur, ſolemne eſt apud nos teſtimonium illius antiquitatis; hinc apud Geographos ſanæ mentis firma ſententia eſt, illuſtriores, & fundatione antiquiſſimas Civitates illas habendas, quarum origo inter antiquitatis latebras involuta ſit. Adeo enim obſcura eſt origo Tribunalis Signaturæ, ut omnes Romanæ Curiæ praxim, vel hiſtoriam pertractantes, cæterorum Tribunalium originem nobis dederunt, ac præcipuum inſtitutionis tempus denotarunt, de Signatura verò, ne obiter quidem men-

mentionem fecerunt; hac in re idcirco eorumdem Geographorum exemplum ſequi decrevimus, hi enim mappas delineando id omne, quod in Orbe incognitum eſt, parvis interjectis lineis, ſub ea expreſſione non adhuc cognitæ telluris, ut a fabulis ſe abſtinerent, explicare conſueverunt. Nos igitur tractationem iſtam a diviſione Signaturæ in illam Gratiæ, & alteram Juſtitiæ, de qua infra latius differere propoſuimus, incipiendam eſſe arbitramur.

Et quamvis de erectione, ut diximus, hujuſce Tribunalis certa adhuc cognitio non ſit, attamen nonnulli affirmant, Signaturam abſolutè conſideratam Principatui penè coævam fuiſse, ex eo quod, ſi de nomenclatura Signaturæ inquiramus, facilè intelligemus eam fuiſse Principis audientiam, ſive Conſiſtorium, ideo Signaturæ nomine appellatum, quia in eo ſubſignabantur, hoc eſt ſubſcribebantur reſcripta petitionibus, quæ ea in audientia deferebantur; ſignare idem eſse, ac ſubſcribere, veteres etiam promiſcue hiſce verbis uſos fuiſse, & in libris Romani juris exemplum haberi in *leg. Si non ſubſcripſiſti* 15. *Codicis de Adminiſtratione Tutorum, & in leg. Subſignatum Digeſt. de Verborum ſignificatione*, præ cæteris teſtatur *Gonzalez*. (1)

Accedit huic Sententiæ *Fattinellus* (2) & Romanæ Curiæ Signaturam talem eſse oſtendit non alio ſanè argumento, quam è maximo Prælatorum, eam repræſentantium officio, porrectas nempe Principi preces, ac ſupplicationes referendi, eiſque reſponſum reddendi; at perperam, nam officium, ſive Judicis poteſtas ſumma ſupremum, vel præſtantiſſimum Tribunal reddit, antiquum verò ſecus; antiquitas enim metienda eſt ab inſtitutionis tempore non verò a Juſdicentium auctoritate; cum pleraque ſint Tribunalia recentioris Inſtituti, quæ præſtantiſſima etiam reputantur ob amplam, vel peculiarem Juriſdictionem. Et eò magis ineptiſſimam dicamus alteram ejuſdem *Fattinelli* ratiocinationem, qui ad comprobandam Signaturæ Pontificiæ antiquitatem conatur ulterius oſtendere, Prælatorum munus, è quibus Signatura efformatur, antiquiſſimum ex eo eſse, quod uſus libellorum Principi offerendorum apud omnes Nationes ſemper fuit; a natura enim ipſa didicimus Principi libellos exhibere, quum vel in inferiorem deſit facultas decernendi, vel juſtitia denegetur, at quid inde? uſum etiam citandi apud Romanos fuiſse in comperto ſatis eſt, ergo dicemus Curſores noſtros præſtantiſſimos præ cæteris eſse, & Curſorum Collegium antiquiſſimum? ex his igitur facilè quiſque percipiet,

(1) *Super Reg. 8. Cancellariæ Gloſſ. 60. n. 53.*

(2) *De Referendariorum Votantium Signaturæ Juſtitiæ Collegio Capit. 1.*

piet, num rectè a ſuperius laudato *Fattinello* Signaturæ Pontificiæ antiquitas comprobata ſit.

Indubium tamen eſt, antiquitus negotia, quæ ad S. Sedem deferebantur, Summos Pontifices conſueviſse per ſeipſos expedire, donec multitudo expediendarum rerum adeò excrevit, ut difficultas, qua angebantur ſequentes Pontifices in reſcribendo tot, tantiſque, negotiis, quæ a toto terrarum Orbe ad eorumdem Audientiam in dies deferebantur, occaſionem præſtitit Auditorium erigendi, conſtitutum quibuſdam prudentiſſimis, æque ac doctiſſimis Viris, qui ſupplicantium petitionibus præſtò eſsent, de facti veritate plenius ſe informarent, & Summo Pontifici referrent.

Sunt enim qui affirmant, illos primum appellatos fuiſse Conſiliarios, & præſertim *Gambarus* (1) & *Altovitus* (2) id oſtendere conantur argumento *Canonis convenientibus* §. *item Petrus* 1. *q.*7., *& Can. Eccleſiaſticis q.*1. *Can. in Parochia* 16. *q.* 1.; at Auctor tractatus *de Tribunali S. Rotæ*, Conſiliarios illos Rotæ Auditores fuiſſe contendit (3); & revera Conſiliarios quid diverſum a Referendariis fuiſſe demonſtrat eorum munus, doctiſſimè relatum per *Thomaſſinum de veteri Eccleſiæ diſciplina*. Ante annum verò 1243., pro certo habetur, appellatos fuiſſe Referendarios, nam *Innocentius IV. in Cap. ex litteris n.* 3. *de Reſtitutione in integrum* de Referendariis mentionem fecit, eorumque munus expreſſit; floruiſſe namque laudatum Pontificem anno jam dicto habetur e Commentariis, quos ipſemet ſcripſit Lugduni ſuper Decretalibus.

Quod Referendariorum inſtitutum non omninò novum in Romana Curia fuit; cuiquam enim innoteſcit, Romanæ Reipublicæ tempore Referendarios extitiſſe, prout apertiſſimè eruitur, præſertim ex *Authentica de Referendariis S. Palatii*, *& ex Novell.* 10. 113. 124.; Imperator enim *Juſtinianus* eorum numerum ad octonarium redegit, itaut meritò *Gomeſius* de errore arguitur, ex eo quod Referendarios a *Juſtiniano* eadem recenſita Authentica primum inſtitutos fuiſſe contendit; & penitus improbandum non eſt, Referendariorum inſtitutum deſcendiſſe a Romano Jure: Quemadmodum enim, rerum viciſſitudine ita exigente, a Romanorum floreſcente Republica plura ad nos pervenere, quæ illius ævi ſtilum redolent, vel ſpeciem aliquam præſeferunt, ita, & in Cauſis agendis, ac ordine judiciario potiſſimum, plura a majoribus traxit poſteritas; hinc non mirum, ſi apud nos Referendariorum inſtitu-

tio-

(1) *De auctoritate Legatorum in quæſt. qualiter Legatus n.* 34.

(2) *In Diſcurſu de Referendariorum præcedentia* §. Aut vero.

(3) *Pagina* 4.

Digitized by Google

tionem deſcendere dicamus a Romano jure, & rectè *Gambarus* (1) a *Fattinello* de errore convincitur, ex eo quod adfirmat, Referendariorum nomen Sanctam Sedem inveniſſe.

Et revera Sancta Sedes a Romano jure nomen illud mutuata eſt, quum ſi eorum munus conferamus, idem prorſus fuit, ac noſtrorum Referendariorum; ſupplicationes enim, & libellos recipiebant illi, & cauſas coram Principe proponebant, prout *Cujacius* (2) hiſce verbis teſtatur: *hi ſunt, qui recitant Principi ſupplicum deſideria, & mandata Principis judicibus inſinuant*, *Procopium* (3), *& Ammonium* ſequutus (4), & ex eorum numero fuiſſe affirmat, qui Referendarii dicuntur majoris Eccleſiæ *Novell. 6.*, qui peculiariter, nempe, erant deſtinati ad majoris Eccleſiæ negotia Principi referenda; & *Caſſiodorus* (5) non malè ex eorum formula demonſtrat, eos cauſarum ordines Principi expoſuiſſe, interpellantium vota cognoviſſe, & illis reſponſum reddidiſſe. Hæc namque provincia demandata primitus fuit Referendariis S. Sedis, itaut operam omnem adhibebant legendis, ac examinandis ſupplicationibus, num, nempe, quæ in illis continebantur a Summo Pontifice elargiri poſſent abſque alicujus injuria, in quorum fidem viſas ſupplicationes ſubſcriptione proprii nominis quiſque manu ſua ſignaret, quod hodiedum Referendariare, ut ſuo loco dicemus, in Curia appellatur.

Habuit etiam Conſtantinopolitana Eccleſia ſuos Referendarios, longe antequam Romana eos inſtituiſset, & illi Epiſcoporum negotia, ut celeriùs expeditionem ſortirent, apud Cæſarem proponebant, prout liquet ex *Authentica*, *Quomodo oporteat Epiſcop. cap.* 12. in fine, & ex *Meurſ.* (6), *& Du Freſne* (7), quibus accedit *Grethſerus ad Codin. de Officio Curiæ, & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ*. (8)

Gallia etiam Referendarios agnovit, & ſub prima Regum Francorum dynaſtia Referendarii appellitabantur, qui deinde Cancellarii nomen ſortiti fuere; *Gregorium Turonenſem* (9), *& Concilium ſecundum Valentinum* de iis mentionem feciſſe, & præſertim de Aſclepiadoro Referendario Guntranni Regis, refert doctiſſimus *Thomaſſinus de veteri, & nova Eccleſiæ diſciplina* (10), & Ha-

---

(1) *De poteſtate Legatorum Tit. qualiter Legatus n.* 35.

(2) *Novell. X.*

(3) *De Bello Perſico.*

(4) 4. *cap.* 41.

(5) *Lib. Variarum* 6.

(6) *In Gloſſario Græcobarbaro pag.* 590.

(7) *In Gloſſario mediæ, & infimæ latinitatis tom.* 3. *colum.* 549.

(8) *Lib.* 1. *cap.* 17. *pag.* 125. *&* 134.

(9) *Lib.* 10. *cap.* 31.

(10) *Part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 25. *num.* 1.

Hadrianus Valeſius, loquens de Seminario Regum Francorum ad annum DLXXXXI.

Laudatiſſimus *Mabillonius* de Referendariis diſertè ſcripſit, in Imperio Orientali eos etiam extitiſse, qui preces ſupplicum Principi referebant ex auctoritate *Procopii in Anecdotis*, & Commentatoris notitiæ Imperii *cap.* 97., qui ita teſtatur, *Qui Scrinium diſpoſitionum tractabant*, *Referendarii vocabantur*; & ad eorum formam Stirpis Franciciæ Reges Referendarium inſtituiſse, penes quem anuli, ſive ſigilli Regii cuſtodia erat, ac unum fuiſse Sigonem, qui anulum Regis Sigeberti tenuit auctore *Gregorio Turonenſi lib.* 5. *cap.* 2.. In Archivio *Jacobi Wencheri* habetur, Principes Beneventanos ſæculo VIII. Referendarium habuiſse, qui ſcribenda diplomata Notario dictabat, & ex *Ughellio* (1), ab ipſiſmet Referendariis diplomata ſubſcripta ſuiſse, conſtat.

Eamdem Referendarii dignitatem obtinuiſſe, à *Du Freſne* in Lexico edocemur, apud Reges Anglo-Saxones, chartamque refert anni 605; apud *Spelmann*; & apud *Guibertum* (2) etiam ita legitur *Gualdricus Epiſcopus Lugdunenſis Referendarius Regis Angliæ*; In ſtatu Veneto, & præſertim Patavii, D. Franciſcus junior de Carrara, octavus Patavii Dominus, Referendarios novem pro qualibet regione Civitatis deputavit ad recipiendum ſupplicationes, & querelas porrigendas ipſi Domino, eoſque nullam habere Juriſdictionem, ſed negotium ſimplicis receptionis Supplicationum, aſſerit *Angelus in Conſiliis* (3), & refert *Cardinalis Tuſchus* (4), dum de Referendariis Sanctæ Sedis, eorumque Juriſdictione etiam ſermonem inſtituit; Et in Regno demum Neapolitano, dum publicis rebus conſuluit Clementiſſimus Rex, novum Tribunal, Commercii appellatum, erigendo, Præfectum, ſive Præſidentem deſignavit, qui tanquam omnium Caput dirigeret, & ordinaret, quæ ad rem melius facere viderentur, ac Referendarium addidit, quo nomine ait eruditiſſimus *Rapolla* (5) intelligitur is, qui referre, ac proponere in Tribunali debet omnia, quæ fortaſſis univerſali Commercio exiſtimantur profutura.

Noſtrorum verò Referendariorum duo deindè cœperunt eſſe genera, è duobus, nempè, negotiorum qualitatibus, gratiæ, & Juſtitiæ; & proindè Signatura etiam diviſa fuit in Signaturam gratiæ, quæ Sanctiſſimi alias dicitur, & Juſtitiæ, de qua nos agere propoſui-

(1) *Italiæ Sacræ tom.* 8. *col.* 589. 608.
(2) *Lib.* 3. *cap.* 4. *de vita ſua.*
(3) *Conſil.* 327.
(4) *Concluſ.* 79. *litt. R. verbo Referendarii.*
(5) *Juris Regni Neapolitani par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 10.

ſuimus. Et ſucceſſivis temporibus antedicti Referendarii utriuſque Signaturæ appellari cœperunt ex eo, quia à Summis Pontificibus indulta fuit eiſdem utriuſque Signaturæ prærogativa; diviſio namque Signaturæ in illam gratiæ, & Juſtitiæ tribuitur Alexandro VI. Pontifici, teſte *Gomeſio* (1), quem ſequitur *Marcheſanus*, dum ait, quod prius, uſque ad Pontificatum Sixti IV. diverſimodè procedebatur.

Ex hactenus dictis evidentiſſimè patet, antiquos Referendarios eo tantum in munere verſatos fuiſſe, referendi, nempe, Supplicationes, reſponſum verò à Summis Pontificibus recipiebant, quod probatur etiam ab expoſitione *Innocentii IV.* in *Cap. ex literis de in integrum Reſtitutione*, §. *Item* hiſce potiſſimum verbis, *& quidem libellus Supplicationem continens porrigitur Referendariis, & Cauſam introducentibus, aut deferendariis, ſolus autem Princeps, vel Præfectus cognoſcit de Supplicatione*. Procedente verò tempore nova huic Tribunali forma data fuit, nam Pontifex Apoſtolicæ Sedis Princeps continua, ac varia præpeditus multitudine negotiorum, quæ ad Romanam Curiam, utpote communem omnium Patriam, ex omnibus Mundi partibus confluere cœperunt pro juſtitiæ complemento, in cauſis potiſſimum ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus (2), non valens cunctas examinare ſupplicationes per Referendarios relatas, eiſque omnibus reſponſum reddere, è Referendariorum claſſe quoſdam ſelegit, quorum munus eſſet, antedictis ſupplicationibus nomine ipſius Pontificis reſponſum dare; ideoque Votantes ad differentiam ſimplicium Referendariorum appellari cœperunt.

Hinc ea invaluit praxis, quod Reſcripta Signaturæ Juſtitiæ, tanquam ab ipſomet Pontifice exarata cenſerentur; & Rota pluries in ſuis Deciſionibus teſtatur, Signaturam Juſtitiæ Papam repræſentare, & ejus nomine reſcribere (3); & Paulus III. teſte *Veſtrio* (4) ſtatuit, Reſcripta Signaturæ ejuſdem virtutis, & auctoritatis eſſe, ac ſi forent manu Papæ ſignatæ. Eapropter Commiſſionem, ſive Reſcriptum Signaturæ omnes Judices obſervare, ac exequi debent, itaut ſi reſcripti formam non ſervent, acta nulla erunt una cum Sententia, prout innuunt verba *Cap. Cum dilecta de Reſcriptis*, & *Cap. Venerabili de Officio Delegati*; Quod adeò verum eſt, ut, directa Rotæ Commiſſione cauſæ *Bononien Fideicommiſſi de Benatiis*, cum clauſula: *Conſtito, quod ſit locus Ægidianæ*, & Rota abſque dictæ Ægidianæ cognitione proceſſiſset, Signaturæ Tribunal ſub die 22. Auguſti 1680. reſcripſit: *Circumſcriptis omnibus geſtis poſt reſcri-*

(1) *In proœmio Tractatus Signaturæ*.

(2) *Innocent. VIII. in Conſtitutione officii noſtri anno* 1491.

(3) *Deciſ.* 101. *num.* 7., & *Deciſ.* 284. *n.* 16. *p.* 6. *recent.*

(4) *In praxi lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 2.

ſcriptum Signaturæ Rota procedat ad formam Commiſſionis, prout è Regeſto Signaturæ *Fattinellus refert*. (1)

Qui quidem laudatus *Fattinellus* teſtatur de ſumma Rotæ obſervantia quoad Signaturæ reſcripta, dum in medium profert *Deciſionem* 857. *n.* 12. *Seraphin*, *&* *Durani deciſ.* 132. *n.* 8. *&* 9. quamplureſque alias; & idcircò Rotam, comprobat ille, Signaturæ Reſcripta non declarare, ſed ad eamdem Signaturam recurſum haberi pro declaratione, prout dictum fuiſse, refert, in *Eldeſimen Exequutionis coram Lancellotto apud Marcheſanum*. (2)

Ex eo tamen, quod Signatura, ut ſuperius diximus, Pontificem repræſentat, ac vice, & nomine ipſius reſcribit, non idcircò effrenata eſt illius facultas in reſcribendo, ut ultra Juris regulas progredi poſſit; nam ea eſt differentia inter Signaturam gratiæ, & Juſtitiæ, ut illa latiſſimas habeat facultates, atque legum vincula egredi poſſit, ejuſque reſcripta magis afficiant, latèque intelligenda ſint; altera verò juſtitiæ Signatura reſtrictum arbitrium habet intra præfatos juris limites; & proindè receptum eſt, quod ejus reſcripta intelligenda veniunt, prout de Jure, ex illa differentiæ ratione, quod in Signatura Gratiæ reſolutiones non emanant ab aſſenſu, ac judicio Prælatorum Votantium, quorum votum in ea eſt conſultivum tantum, ſed ab ipſo Pontifice ibi præſente, & reſcribente; in Signatura verò Juſtitiæ reſolutiones fiunt, ut inferius exponemus, à Præfecto, & Prælatis habentibus Votum deciſivum ex quadam Papæ delegatione, reſtricta ad ea, quæ concernunt Juſtitiam, à Juris diſpoſitione regulandam. Eapropter erroneum prorſus eſt præſuppoſitum, quod hoc Tribunal reſpondeat vice, ac nomine Principis, ideoque ipſius more judicare poſſit; nam indubium eſt Principem repræſentare, non autem verum eſt, illam, uti Principem ipſum ſe gerere poſſe, quum habeat facultatem præſcriptam, ut ſupra, neque gerat partes judicis decidentis cauſarum merita, ſed reſcribentis dumtaxat judicibus, quomodo ſe gerere debeant in ordinatoriis potius, quam in deciſoriis circa effectus Appellationis, & alia ejuſmodi, prout advertit *De Luca*. (3)

Hinc ipſemet laudatus Auctor (4) recenſet ſua ætate inoleviſſe, quod Signaturæ Tribunal cum præſuppoſito, quod Principem repræſentaret, ejuſque vice, ac nomine reſcriberet, fimbrias nimium dilatare cœperit more Principis judicando; & eapropter, quum munus ille Auditoris Sanctiſſimi exerceret, ejuſdem muneris præcipuam

(1) *Cap.* 8. *de Collegio Votantium Signaturæ*.

(2) *P.* 2. *de Utraque Signatura in fol. pag.* 587.

(3) *Diſc.* 144. *de Beneficiis n.* 51.

(4) *Annot. ad diſc.* XXXI. *n.* 5. *p.* 2.

puam eſſe partem agnovit, id curare, ne in reſcribendo Tribunal hoc ultra limites progrederetur; atque ſibi aliquo ex hiſce caſibus delato, opportunas teſtatur dediſſe proviſiones, & præſertim in caſu, de quo agitur ſub titulo *de Beneficiis in dicto diſc.* 144., & in pleriſque aliis ſimilibus; ipſe enim ſatis intelligebat, quod ad Summum Pontificem pertineat omnem adhibere curam, ut Judices optimè *ſuum expleant munus, quia verò hic ob Dignitatis majeſtatem, aliaſque magnas occupationes rebus hujuſmodi vacare non poteſt, idcircò eſſe debere onus ejus Auditoris, qui id negligendo male ſe gerere dicitur, atque invigilando, indebitè Judices, & Magiſtratus conquererentur.*

Redeundo nunc ad novam Signaturæ formam, quam poſteriori ætate accepit, juxta notata *per Marcheſanum* (1) pro certo namque habetur, Alexandrum VII. peculiari Conſtitutione (2) Signaturæ reformationem indixiſse, dum non modo qualitates aſsumendorum ad Referendariatum, ultra eas a Sixto V. decretas, præſcripſit, verum erexit, ac inſtituit Collegium eorumdem Referendariorum, quod repræſentari voluit ex duodecim Votantibus Signaturæ Juſtitiæ, de corpore, ac numero ipſorum Referendariorum electis, ac in poſterum eligendis; & quod antiquior eorum in officio Decanus appellaretur; cui quidem Decano tributa etiam facultas fuit interpretandi, quando occaſio exigat, ac declarandi una cum Auditore Sanctiſſimi, & altero Decano Signaturæ Gratiæ litteras Reformationis Tribunalium, a Paulo V., & Innocentio XII. editas, prout patet è Conſtitutione Clementis XII. 4. *Aprilis* 1731. Electio verò Votantium antiquitus ita ſequebatur, ut ſeniores in officio ex univerſo Referendariorum cœtu jure ſuo, abſque electione in ordine Votantium cooptarentur.

Innocentius verò XII. anno Pontificatus ſui quinto, Conſtitutione, quæ incipit, *Inter graviſſimas, ſub datum Romæ tertiodecimo Kalendas Auguſti anno* 1695. ſuadente Eminentiſſimo *De Luca* illius Proauditore, aliter ſancivit, ut Signaturæ nempe Votantes ad ſuam, & pro tempore exiſtentium Romanorum Pontificum electionem, ac providam deliberationem, habito reſpectu ad virtutis prærogativam, & meritorum excellentiam, crearentur; probè enim novit ſapientiſſimus Pontifex, virtutis præſtantiam non in ſola muneris prioritate, ſeu antiquitate conſiſtere, nam aliquando, ut ipſemet ait, poſteriores in officio prioribus doctiores, & aptiores exiſtere, compertum eſt.

Quibus quidem Referendariis non modo Votantibus, verum, & ſim-

(1) *Part.* 1. *cap.* 1. *num.* 11.

(2) *Bull. novi to.* 6. *Conſtit.* 88. *num.* 11.

Digitized by Google

& ſimplicibus Caput ſive moderatorem, Præfecti nomine appellatum, Pontifices conſtituerunt, illumque Cardinalitia dignitate fulgentem; quod neque a Romano jure omnino diſcrepat, nam Referendariorum Præfectus Comes appellabatur, prout teſtatur *Mabillonius* (1), qui profecto oſtendit, unum præ cæteris Referendariis Regum Francorum Primicerium, ſeu primum appellatum fuiſſe. Et recte id conſtitutum eſse apparet, ex eo quia non poſsunt utique ordine ſuo res procedere, nec rectè ad exitum pervenire ubi, qui in uno, eodemque Collegio ad judicandum proponuntur pari inter ſe auctoritate exiſtant, atque gradu, nec eorum quiſquam cæteris præponatur, ait *Franciſcus Rapolla*. (2)

Hæc namque Signaturæ Juſtitiæ Præfectura in maxima ſemper exiſtimatione habita eſt, itaut Paulo V. ſedente Cardinalis *Barberinus*, poſtea Pontifex aſsumptus ſub nomine Urbani VIII. poſthabita collatione cujuſdam Abbatiæ duorum millium ſcutorum, ac recuſatis annuis aliis reditibus mille, & quincentum eidem oblatis, ut Signaturæ Juſtitiæ Præfecturam dimitteret, poſt obitum Cardinalis *S. Georgii* ſibi debitam, ex eo quod morbo hic impeditus, in ejus locum ſubſtitutus erat, nullo unquam pacto eam dimittere voluit, & contentus extitit ſe potius carere reditibus illis, quam Præfecturâ, quia honor ei magis cordi erat, ut legitur in *Hiſtoria electionis Urbani VIII. a Franciſco Henrico Witzendorffio* latinè reddita, & ab *Hermanno Conringio* prælo commiſſa. Nec Præfectura hujuſce Tribunalis honore tantummodo gaudet, verum, & lucro, quum Præfecto hujus Signaturæ, non autem illi gratiæ, ex antiquo ſtilo Camera Apoſtolica ſuo ſumptu præſtat ſtipendium menſtruorum centum auri, eodem modo, quo præſtat aliquibus S. Congregationum Præfectis, ait *de Luca in Relatione Romanæ Curiæ* (3). Elenchum Præfectorum ejuſdem Signaturæ habemus a *Fattinello* a tempore Leonis X; ac alios eadem Præfectura donatos recenſet *Cobellius in notitia Cardinalatus* (4).

Aliquando etiam dictæ Signaturæ Propræfectus deſignatus fuit, qui tantum inter Prælatos eſset cooptatus, prout è funebri Inſcriptione, quæ extat in Baſilica Liberiana propè Capituli Chorum, adparet, & hic a nobis tranſcripta collocatur.

LV-

(1) *De Re diplomatica cap. XI. n. 2.*

(2) *In Comment. Juris Regni tom. 1. pag. 290.*

(3) *Diſc. 31. num. 18.*

(4) *Cap. 57. pag. 310.*

☧

LVDOVICO SAREGO VERONENSI ADRIÆ EPISCOPO
NON GENERE MAGIS, QVAM VIRTVTVM, ET DOCTRINÆ
LVCE CLARO.
QVI ROMANA IN AVLA PRIMVM VTRIVSQVE SIGNATVRÆ
REFERENDARIVS, ET HVIVSCE BASILICÆ VICARIVS
MOX EPISCOPATVM ADEPTVS, DIV APVD HELVETIOS
NVNCIVS APOSTOLICVS
IN AVLA DEMVM REVERSVS SIGNATVRÆ IVSTITIÆ
PROPRÆFECTVS FVIT
QVIBVS MVNERIBVS EGREGIE FVNCTVS OMNIBVS
ETIAM ORDINIBVS OB SVAVES MORES PERÆQVE CARVS
OBIIT NONIS AVGVSTI MDCXXV.
ANNVM AGENS LXVII.
OCTAVIVS BANDINVS, IOANNES GARZIAS MILLINVS
LAVRENTIVS MAGALOTTVS S. R. E. CARDINALES
VVLPIANVS VVLPIVS ARCHIEPISCOPVS THEATINVS
TESTAMENTI EXECVTORES POSVERVNT.

Occaſione gravium, ac aſſiduorum laborum, quos tam dicti Votantes, quam ſimplices Referendarii ſuſtinent, quamplurimis a variis Pontificibus condecorati ſunt privilegiis, quorum quidem concinnam ſeriem hic referre non inutile eſſe exiſtimamus. Et primum Paulus III. inhærendo veſtigiis Leonis X., & Clementis VII. motu proprio (1) eos Familiares, ac continuos commenſales Pontificios appellavit, & in Sanctæ Sedis Notarios gratiosè recepit, eos verò qui Præſules exiſtebant, in Sacri Palatii, & Aulæ Lateranenſis Comites adſcivit, qui verò Nobiles non eſſent, Nobiles fecit, ac conſtituit, tanquam ex magno Baronum, & Nobilium genere procreatos, & ex Nobilium genere ex utroque parente; & in ſignum honoris, ac Nobilitatis hujuſmodi eis, & eorum cuilibet pro inſigniis, & ſtemmatibus, quibus ipſi utuntur, partem inſignium ſuipſius aſſignavit, etiamſi ſine propriis ſtemmatibus illis uti voluiſſent; facultatem etiam elargitus fuit eligendi, quos idoneos repererint, ad officium Tabellionatus ubique locorum, etiam extra muros Urbis, necnon legitimandi, ac habilitandi ad hæreditates, & bona, & ad officia ſæcularia publica, ac privata quoſcumque ſpurios, naturales, baſtardos, manſeres, nothos, inceſtuoſos copulativè, ac disjunctivè ex quocumque illicito, ſacrilego, ac damnato coitu, viventibus, ſeu mortuis eorum parentibus, ad inſtar Collegii Archivii Romanæ Curiæ, juxta facultates ei conceſſas a Julio Papa II.

(1) *Conſtitut. 24. Bull. nov. tom. 1.*

Digitized by Google

Eiſdem inſuper indulſit facultatem, quoſcumque idoneos, adjunctis ſibi aſſiſtentibus duobus, aut tribus Magiſtris, ſeu Doctoribus, aut Licentiatis in facultate, in qua promovendi erunt, quos ad hoc duxerint eligendos, eorum Votis juratis, in utroque jure, & Theologia, ac Artibus, ad Baccalaureatus, & Licentiaturæ, ac Doctoratus, & Magiſterii gradus ubique locorum promovendi, cum eiſdem prærogativis, quibus alii, in Bononienſi, Pariſienſi, Lovanienſi, Tholoſana, ac cæteris Univerſitatibus promoti, etiam in aſſequutione Beneficiorum Eccleſiaſticorum, utuntur.

Commendata Monaſteria, quorum Abbates Mitra, ac cæteris Pontificalibus uſi ſunt, ſi dicti Referendarii obtinuiſsent, eiſdem conceſſit in ipſis Monaſteriis, perindè ac ſi Abbates ipſi præeſſent, Mitra, Anulo, & Baculo Paſtorali, & aliis Pontificalibus uti, ac ſolemnem Benedictionem poſt Miſsarum, ac divinorum Officiorum ſolemnia impartiri, dummodò vel aliquis Antiſtes, Legatuſve S. Sedis inibi non interſit, eoque intereſsente de illius aſsenſu.

Decrevit ulterius, ut ſinguli Referendarii habeant duos familiares in rotulo familiæ Pontificiæ deſcriptos, & ipſi Referendarii expeditionem quarumcumque litterarum Apoſtolicarum, tam gratiam, quam juſtitiam concernentium, necnon Inſtrumentorum, & aliarum quarumcumque rerum gratis ubique in omnibus Officiis tam Cancellariæ, quam ſollicitatorum literarum Apoſtolicarum, Cameræ Apoſtolicæ, & in Auditorio Rotæ, & in quibuſvis aliis Ordinariorum, & extraordinariorum Judicum Tribunalibus gratis habeant, prout alii familiares, ac continui commenſales in rotulo deſcripti, & Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores.

Conceſſit etiam, ut eorum ſinguli quotannis pro peculiari uſu ex *Ripa*, & *Ripetta* Urbis extrahere poſſint ſex vegetes vini communis gratis, ad inſtar Clericorum Cameræ. Exemptos deindè eos declaravit ab omni Juriſdictione Ordinarii, itaut omnia, & ſingula Beneficia, ſive officia Eccleſiaſtica ab eiſdem obtenta, ac in futurum obtinenda, & in illis pro tempore deſervientes Cappellani, Familiares, & Servitores ſui, & propria, ac illorum bona quoad vixerint immunia forent ab omni Juriſdictione, correctione, viſitatione, dominio, ac poteſtate Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Prælatorum, & Ordinariorum locorum quorumcumque, Officialium, & Judicum, etiam à S. Sede delegatorum; eoſque in rebus, & bonis propriis dumtaxat, & cum eis contrahentes, à ſolutione, & exactione quarumcumque gabellarum, bollectarum, decimarum, & cujuſvis alterius oneris tam ordinarii, quam extraordinarii, ubicumque locorum, & ex quacumque cauſa etiam per Synodales Conſtitu-

tutiones impoſiti, vel imponendi, exemit, & liberavit; ſub protectione Beati Petri, & S. Sedis ſuſcepit, ſibique, immediatè, ac S. Sedi ſubjectos declaravit.

In gratiis expectativarum abſque aliqua Signatura obtinenda juſſit eos præferri, & quod ipſi ad ſatisfaciendum Conſtitutioni *de publicandis* acceptationibus, & proviſionibus, ac illis intimandis poſſeſſoribus minimè teneantur, tantummodò novam proviſionem habere debeant a die vacationis Beneficiorum, in quibus ſi Ordo ſacer ex ſtatuto, fundatione, conſuetudine, vel privilegiò requiratur, indulſit etiam, ne per ſeptennium à fine anni, à Jure ſtatuti, decurrendum, ſe promoveri facere teneantur.

Naturales item eos declaravit omnium Regnorum, Dominiorum, & Provinciarum, itaut ipſi, vel eorum Procuratores in Regnis, & Provinciis hujuſmodi quæcumque Beneficia Eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura obtinere valeant, ac ſi oriundi, & nati in illis eſſent. Et ſi contigerit eos abſentes eſſe Pontificis juſſu, vel ſtudii occaſione, quod in abſentia Beneficiorum fructus percipere poſſint, conceſſit.

Confeſſarii electionem indulſit, qui in caſibus S. Sedi reſervatis, aliquibus exceptis, ac etiam in omnibus Votis, præter Viſitationis liminis Apoſtolorum, ultramarinum S. Jacobi in Compoſtella, Caſtitatis, ac Religionis, abſolvere, & commutare poſſint. Facultatem inſuper eiſdem dedit habendi Altare portatile, & celebrandi in locis, Interdicto Eccleſiaſtico ſuppoſitis; Indulgentias Stationum Urbis, viſitando Altaria per ſemetipſos eligenda; carnibus, ut veſci poſſint diebus vetitis; & Canonicas horas poſtpoſitis horis recitare; teſtarique etiam de bonis adquiſitis ex reditibus Beneficiorum, prout Auditores Rotæ, eademque Beneficia reſignandi, ac permutandi. Juſſit demum laudatus Pontifex, quod Referendariatus officium duret quoad vixerint, & primo admiſſi cæteris præferantur.

At inter recenſita privilegia nonnulla retractata deprehenduntur, prout ſunt præſertim diſpenſatio defectus natalium, retentio beneficiorum incompatibilium, Notariorum creatio, ac diſpoſitio ſuorum Beneficiorum, quod è *Regula XIV. Cancellariæ* ſatis perſpicuè innoteſcit. Et quamvis ante Pontificatum Benedicti XIII. non adeo clara res eſſet, num dicta *Regula XIV.* comprehenderet etiam Referendarios, itaut omninò vi ejuſdem Regulæ, quæ tantummodo de Patriarchis, & aliis Perſonis, ac Prælatis loquebatur, derogatum eſſet hujuſmodi privilegio diſponendi de ſuis Beneficiis per viam Reſignationis, vel permutationis coram Ordinario, vel aliis

in

in dignitate conſtitutis; attamen quædam reſolutio emanata fuit contra Referendarios, qui nunquam hoc uſi fuerunt privilegio; & in Congregatione, habita pro conficiendis Cancellariæ regulis, opportunum viſum fuit *Regulæ* addere, *ac etiam utriuſque Signaturæ Referendariis*, ad effectum tollendi in poſterum quamcumque dubitandi rationem ſuper dicti privilegii revocatione; ideoque è *Riganti* (1) habemus, verba illa, quæ hodie in dicta *Regula* leguntur, fuiſſe addita a Benedicto XIII. in aſſumptione ad ſummi Apoſtolatus apicem.

De Exemptione verò a Juriſdictione Ordinarii, quæ Referendariis indulta fuit, *Fagnanus* diſputat (2), an nempe ſublata fuerit aliquo Tridentini Concilii decreto, & hinc inde adductis variis dubitandi rationibus concludit, eam non fuiſſe retractatam, quum Referendarii non reperiantur expreſſi in Decreto Concilii, contento *in Cap. 3. & 4. Seſſ. 14.*, vel *in Capite XI. Seſſ. XXIV.*; neque per illam clauſulam, quæ ibi legitur, *& aliis hujuſmodi*, adfirmat ille, comprehenſos fuiſſe Referendarios; ea enim comprehendit tantum habentes officia expreſſis ſimilia, & Referendarii juxtà doctrinam *Sarnenſis* (3) majores cæteris Officialibus, in dicto Capite expreſſis, reputantur, ex eo præſertim, quod in regulis expectativarum, & prærogativarum, omnium primi Referendarii deſcribantur, deindè Protonotarii participantes, & alii Romanæ Curiæ Officiales; *Zerola* vero auctor *praxis Epiſcoporum* (4) oſtendere conatur, illos tantum exemptos eſſe, qui ſunt de numero, alios verò non, quia hodie ſunt innumerabiles; & *Staphilæus* (5) ait, eos neque excommunicari, neque interdici poſſe ab Epiſcopo, quum ſint Officiales Papæ, attamen intelligi debere de illis principalibus Referendariis Juſtitiæ, & Gratiæ, quos ſua ætate undecim fuiſſe aſſerit; *Aloyſius Riccius* (6), eos ſubeſſe locorum Ordinariis ratione Beneficiorum, quæ habent in partibus, demonſtrat. Attamen *Barboſa* (7) luculentèr firmat, Doctores iſtos tenorem Conſtitutionis Sixti V. *in* §.8. aut non vidiſſe, aut minime percepiſſe; ibi enim Pontifex ille eos exemit ab omni Juriſdictione Ordinariorum, & Conſtitutio Sixtina clauſulis ampliſſimis, ac derogatoriis præcedentibus Conſtitutionibus munita, poſterior eſt Synodo Tridentina; idcircò privilegium Exemptionis ab Ordinarii Juriſdictione, etiam delegata, vi dictæ Sixtinæ Conſtitu-

(1) *Comment. ad regulas Cancellariæ tom. 2. pag. 182. n. 9.*

(2) *De Privilegiis Cap. ex parte 18.*

(3) *In Compendio V. S. n. 32.*

(4) *Part. 1. verba Referendarii.*

(5) *Prærogativ. Expectativ. n. 15. fol. 118.*

(6) *Praxis Aurea Reſol. 30.*

(7) *Lib. 1. Juris Eccleſiaſtici cap. 22. n. 15.*

tutionis, de qua inferiùs verba faciemus, quatenus ademptum fuiſſet a dicta Synodo, omninò reviviſcit. Quoad familiares verò, cæteroſque Referendariorum ſervitio addictos, docet idem *Fagnanus*, exemptionis prærogativa, à Paulo III. indulta, non gaudere, ex eo potiſſimum, quod in Sixtina Conſtitutione nulla eorumdem mentio fit.

Cenſent aliqui, quos inter eſt *Calcagninus* (1), exemptionem Referendariorum potentiorem eſſe privilegio legis *unic. Cod. Quando Imperator inter Pupillum, & Viduam*; itaut ſi quæſtio emergat de avocatione alicujus cauſæ, & concurrat in ea aliqua perſona, cui privilegium dictæ Legis competat, non vigeat illa vulgaris propoſitio, inter duos æquè privilegiatos privilegia quieſcere, & reduci ad limites juris. Nullus enim Referendariorum Judex eſt, niſi Summus Pontifex, ejuſve Auditor, qui privativè quoad omnes, exemptorum Cauſas, & negotia definire ſolet, juxta ſuas facultates, quas, ut legitur apud eumdem *Calcagninum*, recenſet *Ridolphinus in praxi* (2). Hinc laudatus *Calcagninus* adnotare proſequitur, privilegium dictæ *Leg. unicæ* attendendum non eſſe in *Cauſis Referendariorum, quæ debent recognoſci à Papa, vel ab Auditore Cameræ, privativè quoad omnes Judices.*

Hujuſmodi privilegium Referendariis conceſſum prodeſt etiam, ſi extra Romanam Curiam iidem moram traxerint, quia ſi prodeſſet dumtaxat illis, qui in Curia morantur, dicta Exemptionis prærogativa inutilis profecto eſſet; nam ſi ipſorum aliquis conveniatur, dum Curiam ſequitur, ſatis profecto eidem eſſet allegare privilegium *Eugenianæ*, qua cavetur, omnes, Romanam Curiam ſequentes, non poſſe alibi conveniri, quam in ipſa Curia; & ita fuit reſolutum à Signatura Sanctiſſimi de anno 1614, & Reſolutionis verba recenſentur a *Marcheſano* prout ſequitur, (3) *Quod ſolum exiſtentes Referendarii in Romana Curia privilegio potiantur, Dominis viſum non fuit relevans, quia in ea præſentes jam Eugenianæ favore gaudent, meritò extra Curiam, ubi ſunt Ordinarii, venit intelligendum, ut illis non ſubſint, alias fruſtratorium redderetur, quod eſſe non debet, præcipuè quia motu proprio conceſſum reiteratè*; Et quamvis extra dubium ſit, illos eadem exemptione gaudere, quando adſunt de licentia Pontificis, ex eo quia tunc haberi debent tanquam præſentes, tamen id etiam adnotare *Calcagninus* poſt *Cherubinum* (4) non prætermiſit.

Quæ quidem omnia intelligenda eſſe tradit ipſemet *Calcagninus*, quando Referendarii eſſent Rei conventi, non vero Actores; tunc

(1) *Part. 1. Obſer. 3. n. 63. 64. & 65. de Avocatione Cauſarum.*

(2) *Part. 1. Cap. 1. n. 33. cum ſeqq.*

(3) *De Commiſſ. p. 2. ſol. 614.*

(4) *In Compendio Bullæ Sixti V. 41. Schol. 1.*

tunc enim illis obſtare regulam obtinentem inter privilegiatos, actorem nempe debere ſequi forum rei; itaut, etiamſi in proſequutione Judicii Referendarii aſſumerent figuram rei, nihilominus obtinere non poſſent adverſus privilegium dictæ *Legis Unicæ*, prout edocemur è Reſolutione, capta à Signatura Juſtitiæ ſub die 22. *Auguſti* 1709. in una *Ravennaten. pro Domina Gentile Paradiſia contra R. P. D. Raynaldum de Albitiis* proponente *R. P. D. Gentili*.

Hactenus de Privilegiis, in Conſtitutione Pauli III. contentis, videndum modo eſt, quid præſtiterit Sixtus V; hic enim peculiari ſanctione *anno* 1586. (1), qua conſuluit multitudini Referendariorum, quæ adeo excrevit, ut ſummam ipſe inſtituat querelam de nimia præteritorum temporum indulgentia in Referendariorum creatione, itaut eorum Dignitas ob multitudinem potius vileſceret, Referendarios in ſuos, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis familiares, & continuos commenſales gratioſè recepit, & ab omni etiam Juriſdictione Ordinariorum exemptos declaravit, & Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubjecit, nobilitatis titulo decoravit, & veræ nobilitatis inſignia gentilitia una cum ſuis ſtemmatibus geſtare indulſit; cætera vero, quæ ſequuntur privilegia, penè coincidunt cum illis ſuperiùs expreſſis, præter illud extenſionis Bullæ Bonifacii VIII, (quæ incipit *Statutum*) ad eoſdem Referendarios, itaut ipſi omnes ſint, & eſſe cenſeantur in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, & juxta diſpoſitionem ejuſdem Conſtitutionis qualificati, etiam ad hoc ut in eorum manibus penſiones ab iis, qui ſufficienti ad hoc facultate ſuffulti fuerint, transferri valeant; & hujuſmodi translationes Penſionum coram ipſis factæ validæ, & efficaces exiſtant, ſuoſque effectus ſortiri debeant.

Occaſione relatæ Sixtinæ Conſtitutionis animadvertendum duximus., nullius penè momenti eſse quæſtionem illam a *Moneta* promotam, & a *Barboſa* denuò excitatam, num nempè Referendarii in Conſervatores eligi poſſint ex ea ratione, quod quamvis dicantur habere Dignitatem ſimul cum officio, juxta ſententiam *Veſtrii in praxi lib.*1. *cap.*3. ubi *Gravat* (2), *Caſſanei* (3), *Gomeſii* (4), & *Cardinalis Jacobat*: (5); attamen illi, quum dignitatem verè non dicantur habere in aliqua Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata, deputari non poſsunt Conſervatores. E' verbis enim Sixtinæ Sanctionis apertiſſimè patet, Referendarios Dignitatem habere parem, & coæ-

(1) *Quæ incipit*: Quemadmodum *Bull.* 41. *Bull. nov. t.* 2. *p.* 543.

(2) *Num.* 10.

(3) *In Cathalogo gloriæ Mundi p.* 7. *Conſid.* 11.

(4) *In Compendio V. S.*

(5) *De Conciliis lib.* 1. *art.* 5. *n.* 5.

& coæqualem Dignitati, quæ a conſtitutione Bonifacii VIII., innovata a Clemente VIII. anno 1592., & a Gregorio XV. anno 1621. (1), requiritur in Judicibus delegatis; & diſpoſitio ejuſdem ſequens eſt, *ſancimus igitur, ut nullis, niſi Dignitate præditis, aut perſonatum obtinentibus, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Canonicis Cauſæ &c. de cætero committantur*; recteque Sacra Congregatio Concilii de *anno* 1650. quum quæſtio eſset an Protonotarii, ex eo quia Dignitatem non habent in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata deputari poſſint Conſervatores, cenſuit poſse, ex eo quod Dignitatem habent in Eccleſia Romana, quæ omnium aliarum mater eſt, & magiſtra. (2)

Diximus enim ſupra, Referendariorum multitudinem Sixto V. ſummopere diſplicuiſse, & eapropter eadem ſua Conſtitutione probè noſcens non ſine priſtinæ ſuæ dignitatis diminutione adauctum fuiſse Referendariorum numerum, ad certum, & determinatum redigere curavit, itaut, eo ad centum redacto, expreſsè inhibuit, nè ullo unquam tempore præſcriptus centenarius numerus augeretur; attamen procedente tempore exoleviſse inhibitionem illam certum eſt, quum paſſim crearentur Referendarii ultra dictum præfixum numerum. Hinc *Chriſtophorus Robuſterius* Hiſpanus Romanæ Rotæ Auditor, & poſtea, dimiſsa Epiſcopali Cathedra Orioleuſi, unus ex XII. Votantibus, requiſitus a tunc temporis Signaturæ Præfecto, de illorum multitudine reſecanda diſcurſum edidit, integrè tranſcriptum a *Marcheſano* (3); Qui deinde variis rationum præſidiis accuratiſsimè expendit, ac demonſtrandum ſumit, Referendariorum multitudinem Cauſarum expeditioni plurimum juvare, Romanæque Curiæ decus augere, & nobilibus Juvenibus incitamento eſſe, ut alacriùs ſtudiis incumbant, iiſque abſolutis eam dignitatem adipiſcantur.

Referendarii verò, qui Votantes ſunt Signaturæ Juſtitiæ, ſicut muneris dignitate cæteris ſimplicibus Referendariis antecellunt, ita, & peculiari honoris prærogativa decorati fuerunt: Paulus enim V. violaceas illis veſtes indulſit, prout teſtantur *Lunadorus* (4), & *Cobellius* (5), quam poſtea prærogativam Alexander VII. etiam Auditoribus Rotæ communicavit (6); Qui quidem mox recenſitus Alexander dum ſuppreſſit, ut ex ſuo Brevi apparet, Officia Sub-

 dia-

(1) *Contenta in Cap. Statutum de reſcriptis in 6.*

(2) *Cap. 2. de Summa Trinit. cap. antiqua de privilegiis.*

(3) *De Commiſſ. §. 1. cap. 1. n. 82.*

(4) *In ſuo Opere*: Relazione della Corte di Roma.

(5) *Notitia Cardinalatus Cap. 57. Reg.* 308.

(6) *26. Octobris 1655. in Litteris in forma brevis.*

diaconorum, & Acolythorum, & Rotæ Auditoribus Subdiaconatus Apoſtolici munus injunxit, Acolythos creavit Referendarios Votantes Signaturæ, cum eodem omninò honore aſſiſtendi, & inſerviendi Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, tam in Cappella Apoſtolici Palatii, quam in aliis, in quibus Romano Pontifice præſente divina celebrantur Officia.

Clemens deinde IX. ſumma, & laudabilia eorum merita animadvertens, ſpirituali eorumdemque conſolationi benignè conſulendo, Motu proprio facultatem impartitus fuit erigendi in domo cujuslibet habitationis, etiam in hac alma Urbe, Oratorium privatum, & in eo unam Miſsam pro unaquaque die celebrandi perſeipſos, ſi Sacerdotes fuerint, vel per quemcumque Sacerdotem approbatum; ita tamen, ut familiares eorum ſervitiis non neceſsarii, ibidem Miſsæ intereſsentes ab obligatione audiendi Miſsam diebus feſtis de præcepto immunes minime cenſeantur. (1)

Innocentius verò XII. anno Pontificatus ſui V., eorumdem Votantium Collegio prædicta Conſtitutione in meliorem ordinem redacto, ut alacrius fidem operam, induſtriam, & ſedulitatem in tanti muneris exercitio adhibere ſtudeant, alia majori honorificentia decorare Votantes voluit; & eapropter eis conceſsit, ut in omnibus, & quibuſcumque Congregationibus, ſeſsionibus, proceſsionibus, functionibus, cæteriſque actibus publicis, & privatis etiam coram Summo Pontifice, *Rocchettum* palam deferre, & geſtare, illoque induti publicè incedere poſsint, necnon *Cappas magnas*, quibus iidem Votantes in Cappella Pontificia utuntur, etiam in Signaturæ Juſtitiæ congreſsu, dum collegialiter aſsiſtunt pro Cauſarum Commiſsionibus. Exemptos inſuper eos declaravit ſub *anno 1692.* peculiari Chirographo ab omni ſolutione publicorum onerum, & æquavit Gubernatori Urbis, Auditoribus Rotæ, ac Apoſtolicæ Cameræ Clericis; qua de Cauſa juſsit etiam, ut tam dicto Urbis Gubernatori, Rotæ Auditoribus &c.; quam dictis Votantibus pro immunitate eis conceſsa Doanæ, & datiorum Urbis ſolverentur a R. C. Apoſtolica annua ſcuta quinquaginta pro quolibet, & res omnes, tam eorum, quam Familiæ uſibus deſtinatæ, prædictis oneribus deinde ſubjiciantur.

Et quia abſque ullo ſtipendio DD. Votantes labores penè incredibiles ſubire cogebantur, dignum, quin potiùs debitum reputavit laudatus Pontifex Innocentius XII. *anno 1693.* prævia abolitione Præfecturæ Congregationis confinium, eidem Collegio aſsigna-

(1) 14. *Martii* 1668.

Digitized by Google

gnare ſcuta mille, & biſcentum quotannis, menſtruatim inter ipſos æque dividenda, prout liquet è mandato Pontificio exhibito in plena Camera per acta *Antamori* a Secretis ejuſdem Cameræ. Non minori deinde liberalitate eoſdem DD. Votantes proſequutus fuit Benedictus XIII., qui prævio Apoſtolico mandato Eminentiſſimo Domino Cardinali *S. Clementis* nuncupato, S. R. E. Camerario, *ſub die* 24: *Septembris* 1725. directo, animadvertens ſummoperè aſſiduos, graveſque labores ejuſdem Collegii in æſtivis præſertim Congregationibus, honorarium prædictum adauxit ad ſcuta annua tria millia, & octicenta, ut alacriter, & ex animo operam, ac ſedulitatem omnem in eorum munere adhibere non ſinerent; Quæ quidem ſcuta biſmille, & ſexcenta adjecta ſcutis mille, & biſcentis ab Innocentio XII. elargitis, è reditibus, ac proventibus Dohanarum Urbis iiſdem ſolvenda eſſe ſtatuit, ea tamen adjecta lege, ut annua ſcuta quincenta Decano ipſius Collegii, & annua tercenta cuilibet cæterorum Votantium, prævio ordine ipſiuſmet Decani, initio cujuslibet menſis debeantur; & ſi vacationis caſus acciderit, jure accreſcendi pro rata fieret locus, derogando omnibus Conſtitutionibus adverſantibus, & præſertim Pii IV. *de regiſtrandis*. Quod quidem Benedicti XIII. Chirographum manu propria ſubſcriptum peculiari Conſtitutione, quæ incipit, *Singularis dilectorum filiorum Collegii*, confirmavit Clemens XII., ut patet è codice ſuarum Conſtitutionum. (1)

Eorumdem Votantium fidem, induſtriam, prudentiam, ac dexteritatem multis rerum experimentis ſpectatam habens laudatus Pontifex Benedictus XIII., ut eo alacrius majora Apoſtolicæ Sedi obſequia præſtarent, & in munerum ſibi demandatorum exequutione ſummo ſtudio perſeverarent, Conſtitutione inter ſuas nonageſima prima *ſub datum Romæ apud S. Petrum die xij. Julii MDCCXXVII.* munificentiſſimè illis tam præſentibus, quam futuris indulſit, ut omnes, & ſinguli Galeri rediniculum, *Cordone* vulgò nuncupatum, coloris violacei in quibuſvis functionibus, atque actibus publicis, & privatis ubique deferre, & licitè, ac liberè geſtare poſſint, ſublata cuicumque aliter judicandi, ſive interpretandi facultate, & non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis forſan contrariis.

In præmium etiam laborum ſuorum, quæ a Prædeceſſoribus prudenti liberalitate elargita fuerunt DD. Votantibus, pari immò uberiori benignitate ampliavit Clemens XII. Conſtitutione, quæ

C 2 in-

(1) *Tom.* 1. *pag.* 333.

Digitized by Google

incipit, *Creditæ nobis divinitus*, *ſub die* 25. *Januarii* 1731., qua iiſdem, ac ſucceſſoribus conceſſit uſum Mantelli magni *Mantellone* vulgò appellati, ac Pilei Pontificalis, eorumdemque ornamentorum, quibus Cappellani, & Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Clerici Cameræ Præſidentes in ſolemnibus Equitationibus utuntur; ac demum pro firmiori validitate dictæ conceſſionis clauſulis conſuetis Conſtitutionem ipſam munivit.

Clementem etiam XI. eximia Votantium Signaturæ merita moverunt, ut Conſtitutione, quæ incipit, *Romanus Pontifex*, ſanciverit, eos nempe poſſe transferre penſiones annuas Apoſtolica auctoritate ſibi reſervatas ſuper quibuſvis fructibus Eccleſiaſticis uſque ad ſummam ſcutorum centum monetæ, etiam in articulo mortis coram Notario, & Teſtibus, & cum alicujus Prælati, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ interventu, ſervata forma Conſtitutionis Innoc. XI. ſuper translatione penſionum editæ. Et ne ulla difficultas in poſterum oriretur, an eodem Indulto Votantes gauderent poſt dimiſſum officium, alia Conſtitutione, quæ incipit, *Creditæ nobis* (1) juſſit, ut ipſi, dimiſſis etiam Votantium hujuſmodi officiis, facultatem transferendi penſiones annuas uſque ad ſummam ſcutorum centum monetæ, ut ſupra, haberent.

Et quamvis laudatus Pontifex Clemens XI. Indultum Votantibus conceſſum transferendi penſiones, ut ſuperius recenſuimus, ampliaverit; tamen de anno 1740:, quum *Sardinius*, unus ex Signaturæ Votantibus Clerico *Jacobo Mariotto* reſignaviſſet penſionem annuam ſcutorum 60:, quam exigebat ab R. P. D. *Amato* titulari, & translatarius terminos decurſos expoſtulaſſet, & ille ſolvere renuiſſet ſub prætextu defectus facultatis transferendi, inſtructum fuit Judicium coram Præfecto Sacri Palatii Apoſtolici, qui favore Translatarii pronunciavit, ac mandata pro decurſis terminis relaxavit; a quo judicato reclamante dicto R. P. D. *Amato*, ac Rotæ appellatione commiſſa, dubium concordatum fuit, *an dicta mandata eſſent exequenda*; eoque diſcuſſo affirmativè reſolutum fuit. Excipiebatur enim de defectu facultatis transferendi in perſona Domini *Sardinii*, ex eo quia per ſententiam A. C. in Criminalibus ad decennium fuerat relegatus in arce Caſtri S. Angeli Urbis, ac inſuper vivæ vocis oraculo ſanctæ memoriæ Clem. XII. demandatum, ne in poſterum *Sardinii* nomen in Albo Prælatorum deſcriberetur; ideoque quemadmodum per hæc remanſit ille ſpoliatus Prælatitia dignitate, ita per conſequens frui amplius non po-

(1) 12. *Auguſti* 1701.

Digitized by Google

poterat hoc transferendi privilegio, Votantibus conceſſo, cujus vigore penſionem tranſtulerat; nam intuitu certæ, ac determinatæ qualitatis, ſeu dignitatis elargita privilegia extingui prorſus, contendebat titularis, ſtatim ac dignitas illa ceſſat, & eò vel magis, quia dictus *Sardinius* ob ejus crimina, tanquam patrata in ipſum Principem, & contra fidelitatis Juramentum in decennalem relegationem damnatus fuit, atque privatus officiis Advocati Conſiſtorialis, & Clericatus Cameræ, & propterea infamiam Juris contraxit, nec gaudere poterat offenſi Principis beneficiis, quorum ſe indignum effecit.

At quia è dicta Sententia condemnatoria non liquebat, illum, ſpoliatum fuiſſe Prælatitia dignitate, ſed tantum Officio Advocati Conſiſtorialis, & Clericatus Cameræ, & in pœnalibus non eſt facienda extenſio, nec multiplicandæ ſunt pœnæ, ultra eas, quas imperat Princeps, immò nec Titularis Prælaturæ privationem deducere poterat ex illo vivæ vocis oraculo, quo demandatum fuit, ut *in futurum illius nomen non adnotetur in albo Prælatorum*, quum non aliud demonſtrare valeret, quam temporalem Prælaturæ ſuſpenſionem, & temporaneam interim prohibitionem deſcriptionis, præciſam verò privationem inducere nequiret. Hanc enim Summi Pontificis intentionem ſuſpicatur *Rota* ex eo potiſſimum, quia durante relegatione, & vix expleto triennio idem Summus Pontifex permiſit, ut ad Civitatem Albani ſe transferret, ubi palam a ſummis, ac præcipuis ejuſdem Summi Pontificis Miniſtris Prælati honore, ac titulo decoratus fuit; & BENEDICTUS XIV., quem diù commiſſo ſibi Gregi ſoſpitem Deus tribuat, in quodam motu proprio pluries uti Prælatum denominavit, eidemque Prælatitios titulos donavit.

Et quatenus dicta Prælatura omninò ſpoliatum fuiſſe pro certo haberetur, jure tamen transferendi privatum non remanſiſſe cenſuit *Rota*; nam Clemens XI. Indultum illud conceſſit non ratione Prælaturæ, ac officii Votantis, ſed quidem intuitu perſonarum in remunerationem laborum, quos Votantes ſubſtinent in Cauſis decidendis, ut è verbis indulti apparet; qua de re illam regulam vigere certum eſt, quod Privilegia intuitu perſonæ elargita nunquam extinguuntur, donec extat perſona illa, cujus contemplatione fuerunt a Principe conceſſa, per textum in *Cap. Quoniam*. Et eò magis, quia Jus transferendi Votantibus Signaturæ Juſtitiæ ex cauſa oneroſa non uti ſingulis, ſed omnibus in modum Collegii impartitum fuit, adeoque litteraliter, ac peculiariter eodem jure D. *Sardinius* privandus erat, juxta cenſuram textus *in leg. Attilius*

lius Dig. de Donationibus, *Surd. conſ.* 419. *num.* 51., *Rota coram Anſaldo* 387. *n.* 14., & ita ratiocinatur Deciſio in dicta Cauſa *Romana Penſionis* 7. *Junii* 1743. *coram Tanara*, quæ eſt 268. inter collectas *ab R. P. D. Pirellio*.

E' tot privilegiis, jam ſupra recenſitis, quibus Referendarii condecorati fuere, nemo non intelligit, eorum dignitatis præſtantiam; & proindè non immeritò præcedentiam inter plures alios Curiæ Prælatos vindicant; & eò magis Referendarii Votantes, quum eorum poteſtas in Romana Curia magna ſit, eamdem præcedentiæ prærogativam tuentur. Hinc promulgata Conſtitutione Innocentii XII., qua Rocchetti, & Cappæ Magnæ uſus eiſdem indulgebatur, reliquos omnes, eumdem uſum non habentes, præcedere cœperunt; & quamvis tunc temporis Sacrarum Congregationum Secretarii dictam præcedentiam illis contendere quodamodo demonſtraſsent, res tamen illicò compoſita fuit prævio Sanctiſſimi Oraculo commiſso Eminentiſsimo Domino Cardinali *Spada* Signaturæ Juſtitiæ Propræfecto, quo declaravit Referendariis Votantibus præcedentiam competere vi laudatæ Conſtitutionis etiam ſupra Congregationum Secretarios: & *Fattinellus* (1) rationem affert, cur de eo Congregationum Secretarii conqueri non debeant, nam, ait ille, ipſos ut Secretarios non eſse Prælatos, nec eccleſiaſticam habere dignitatem, & Sixtum V. in declaratione ſuæ Conſtitutionis ſuper inſtitutione Congregationum non exigere, ut Secretarii prædicti ſint Prælati; immo facto comprobat, non ſemper fuiſse Prælatos, prout teſtatur de Secretario Congregationis Epiſcoporum, & Regularium *Marcheſanus*. (2)

Revocatam in dubium refert etiam (3) *Fattinellus* Votantium Signaturæ præcedentiam ſupra Illuſtriſsimum Dominum *Sacripantes* tunc Subdatarium, poſtea S. R. E. Cardinalem meritiſſimum, ac patruum hodierni Eminentiſſimi *Sacripantes*, & *Anſaldum* Sanctiſsimi Auditorem, dum in ædibus Cardinalis *Panciatici* Prodatarii haberetur Congregatio, a Sanctiſſimo deputata in Cauſa *Romana Canonicatus S. Mariæ Tranſtyberim*; & quamvis ad ſedandas controverſias præmiſsa tunc fuit ab Eminentiſsimo Prodatario proteſtatio, quod pro illa vice ex ordine ſedendi, & votandi nulli jus quæſitum, præjudiciumque irrogatum cenſeretur; attamen re poſtea delata ad Summum Pontificem, ab eo reſolutio prodiit favorabilis Votantibus, itaut ipſi in altera Congregatione, pro eadem Cauſa habita, abſque ulla controverſia præceſserunt dictos

(1) *Cap.* 6. *n.* 4. *cit. Operis.*
(2) *Part.* 1 *c.* 1. *n.* 102.
(3) *Cap.* 6. *n.* 10. *cit. oper.*

ctos Auditorem, & Subdatarium; prout etiam in alia Congregatione in Cauſa *Corduben Juriſpatronatus* idem *Fattinellus* teſtatur, ſe præceſſiſſe Cameræ Commiſſarium, & A. C. Locumtenentem.

Altera verò de præcedentia controverſia exarſit anno 1671. inter Referendarios, & Generales Religionum, qui in proceſſione Sanctiſsimi Corporis Chriſti, & in aliis actibus eos præcedere abſque ullo Juris fundamento inſtabant, & *Antonius Altovitus* utriuſque Signaturæ Referendarius doctiſsimè ea de re ſcripſit, fretus primum poſseſsione, in quo erant Referendarii; quam quidem poſſeſsionem comprobavit quamplurimis teſtimoniis Prælatorum fide dignorum; deinde vero in medium tulit, communicationem privilegiorum Protonotariatus, eiſdem tributam a Summis Pontificibus, ac diſpoſitionem Cæremonialis Romani, in ordinem redacti anno 1516. regnante Leone X., ubi cautum reperitur (1), digniorem locum Referendariis deberi, Generalibus verò inferiorem; nam poſt aſsignatum locum procedendi ante Pontificem in proceſsione Clericis Cameræ, Auditoribus Rotæ, Epiſcopis, cæteriſque Prælatis paratis, aſsignat ordinem procedendi poſt ipſum per hæc verba: *Papa ſub baldachino &c.*, *Secretarius Papæ*, *ſi non eſt Prælatus*, *cum Medico Papæ*, *Protonotarii*, *Prælati*, *ſi qui non ſunt parati*, *Generales Ordinum*. Quam quidem veritatem agnoſcentes Generales Monachorum, qui in omnibus actibus præferuntur Generalibus Mendicantium, & Abbates, qui eoſdem Mendicantium Generales præcedunt, ſemper Referendariis præcedentiam ceſſerunt; variis demum rationum momentis excuſsit objectiones omnes, ac cætera argumenta, quæ a Generalibus proponebantur, ut videre eſt in eodem diſcurſu *Altoviti*, impreſso poſt tractatum ſæpius laudati *Fattinelli*. (2)

Quoad alias verò Eccleſiaſticas dignitates inferiores, nulli dubium eſt, Referendariis præcedentiam competere, itaut non ſolum Canonicis, ſed etiam Dignitatibus extra Eccleſiam præcedere debent ex declaratione S. Rituum Congregationis in *Veronenſi* his verbis, teſte *Barboſa* (3), *Conqueſtus eſt R. P. D. Veritas Veronenſis Utriuſque Signaturæ Referendarius de quodam Canonico dictæ Civitatis denegante ſibi præcedentiam*, *ſupplicans reſponderi quid ſervandum? & S. Rituum Congregatio ſub die 6. Junii 1626. reſpondit*, *Prælatum extra Eccleſiam præcedere debere* Canonicis; & 4. Julii ejuſdem anni, *etiam quoad Archipresbyterum*.

De præcedentiæ ordine ſervando inter Votantes Signaturæ Juſti-

(1) *Cap. 15. de Feſto Corporis Chriſti.*
(2) *Pag.* 174.
(3) *Lib. 1. Juris Eccleſiaſtici c. 22. n. 16.*

ſtitiæ, & illos Signaturæ Gratiæ, ſi quacunque ex cauſa contigerit eos inſimul convenire, extra rem quippe non erit hic animadvertere, quum Sapientiſſimus Pontifex Benedictus XIV., ad dirimendas potiſſimum controverſias divinitùs militanti Eccleſiæ præpoſitus (quem Deus Omnipotens pro totius Chriſtianæ Reipublicæ bono diu incolumen ſervet) ea de re peculiarem edidit Sanctionem ſub *die ſeptima Junii* 1746, qua juremerito decrevit, convenientibus, nempe, uno, vel pluribus ex utroque Signaturæ Juſtitiæ, & Gratiæ Tribunali Votantibus, quacumque ex cauſa, ſive Prælatitio, ſive quocumque alio habitu indutis, quomodolibet, & ubicumque inſimul exiſtentibus, eam eſſe inter ipſos ſervandam præcedentiæ regulam, ut votans ille, qui in ſuo Tribunali antiquior, & prior conſtitutus reperiatur, præcedat alteri in ſuo Tribunali non priori, neque antiquiori; & proindè Votans Signaturæ Juſtitiæ prius admiſſus, præcedat Votantem Signaturæ Gratiæ in hoc ſuo Tribunali poſteriori tempore admiſſum; ita è contra Votantem Signaturæ Juſtitiæ præcedat Votans Signaturæ Gratiæ, qui in ſuo Tribunali admiſſus reperitur priuſquam Votans Signaturæ Juſtitiæ in ſuo receptus fuerit.

Quando verò caſus ille advenerit, Signaturæ Juſtitiæ Votantem addictum nempe ſuo Tribunali fuiſſe eadem die, qua Votans Gratiæ ſuo conſtitutus fuerit, Summus Pontifex ſtatuit, præcedentiam illi dandam, qui in Prælatura quacumque antiquior, & prior reperitur; at, exiſtente alio præcedentiæ titulo penes aliquem ex dictis Votantibus, à præſcripta præcedentiæ regula omnino eſſe recedendum, ut nempe ſi Votans cujuſcumque Signaturæ, Epiſcopali inſignitus, ſive Apoſtolici Protonotarii dignitate ornatus, & quolibet alio ejuſdem Romanæ Curiæ munere, aut officio decoratus exiſtat, id ſervandum omnino ſit, quod reſpectu Epiſcopalis characteris, ſive dignitatis prædictæ, aut alterius muneris, præcedentiam requirentis, competit.

Ad contingentem denique caſum reſpiciens, quando, nempè, quivis Votans in utroque Signaturæ Juſtitiæ, & Gratiæ Tribunali adſcriptus fuerit, idem Sanctiſſimus Pontifex decrevit, præcedentiæ regulam metiendam, ac definiendam eſſe à primæva ipſius Votantis in altero utriuſque Signaturæ Tribunali receptione, & admiſſione; itaut Votans ille utrius Signaturæ, qui primò in Signaturæ Tribunali receptus fuerit, præcedentiam obtineat ſupra alium Votantem utrius Signaturæ, poſteriori tempore admiſſum. Quoad congreſſus verò illos, qui ab iiſdem Votantibus fieri debent pro ſuis reſpectu proprii Tribunalis ſeorſim obeundis, adimplendiſque mu-

muneribus nihil novi decernendum eſſe cenſuit, & eumdem præcedentiæ ordinem tam in ſedendo, quam in ſuffragiis ferendis habendum, qui uſque adhuc retinetur, atque ſervatur. Extra enim hos recenſitos Caſus, quum nunquam Votantes Gratiæ in corporis, vel Tribunalis ſpeciem inſimul conveniunt, nullum idcircò in ea parte neceſſariam ſanctionem eſſe decrevit.

Ne autem quidquam prætermittamus, hic referre proprium eſt, *Fattinellum* in laudato opere, de Referendariorum privilegiis diſſerendo, ſatis abundè demonſtraſſe, illa ejuſdem eſſe naturæ, ac privilegia Auditorum Rotæ, quia nempe utriſque dantur ratione laborum; & eapropter, quando Commiſſiones Cauſarum diriguntur, tam dictis Referendariis, quam Auditoribus Rotæ, nomine *Magiſtri* decorantur; quod namque teſtimonium honoris eſt, *ex Clementina 2. gloſ. verbo honorem de Magiſtris, & ex Cobellio* (1). *Magiſtri legum* reverà in proœmio Pandectarum appellantur, quos hodie Doctores vocamus, ut advertit *Brechæus in leg. Cui præcipua Dig. de verborum, & rerum ſignificatione*; hinc credendum, ait *Calvinus in Lexico*, fluxiſſe, ut Romanæ Rotæ Auditores *Magiſtri* appellarentur, quaſi ad eam legum peritiam deducti, ut Magiſterio fungi poſſint, ſeu magis, quia Doctoratus inſignia aſſequuti ſint; Galli etiam, ex ſententia ejuſdem *Calvini*, pleroſque Doctores Magiſtros appellant, & appellationem hanc Curia ſervavit, dum Gallia Romam reverſus eſſet Aldobrandinus, in *proœmio Inſtitutionum* verb. *Magiſtros*.

Et ut Sacræ Rotæ Collegium Paulus III. magis decoraret, eidem communicavit prærogativas omnes, ſive gratias, Referendariorum Collegio indultas, ac in poſterum indulgendas, prout ad rem obſervat *Jacobus Giandemaria* (2). Paulus verò V. prærogativa (3) Referendariatus decoravit Abbreviatores majoris Præſidentiæ; hinc jure meritò *Cobellius* (4) ex hac communicatione Referendariatus Auditoribus Rotæ, aliiſque Prælatis a Summis Pontificibus elargita, eorumdem Referendariorum præſtantiam comprobare ſtuduit, dum ita ſcriptum reliquit. *Et colligi etiam poteſt ex lectura privilegiorum, Protonotariis, Auditoribus Rotæ, Abbreviatoribus, aliiſque Apoſtolicæ Sedis Prælatis conceſſorum, præter cæteras prærogativas Referendariatus dignitas aſſignatur; Quod ſi hæc minor eſſet, inanis etiam eſſet illius ſpecificatio, immò diminutio, & ad inferiorem dignitatem deſcenſus dici poſſet.*

Quum ſolemnes fiunt Equitationes, & fit intimatio per Curſo-

(1) *In notitia Cardinalatus cap. 57.*
(2) *Oſſervazioni ſopra la Bolla d'Aleſſandro VII.*
(3) *Conſtitut. 2. Bull. nov. t. 3.*
(4) *Cap. 57. pag. 306.*

ſores domi dimiſſa copia omnibus, qui intereſſe debent, inſtructio, quæ efformatur ab Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſtro, continet etiam intimationem hiſce potiſſimum verbis directam Votantibus, & Referendariis Signaturæ: *aderunt quoque Auditor generalis R. C. A. &c. Votantes Signaturæ &c. ideo intimentur Decani omnes prædictorum Collegiorum, qui Collegas ſuos admoneant, ut induti Rocchettis, & Mantellectis cum Pileis Semipontificalibus ſuper mulas ſtragulis nigris ornatas equitaturi interſint.*

Item Decanus Votantium Referendarios admoneat, ut induti proprio habitu quotidiano mulas, ut ſupra ornatas, equitent.

Pro hujuſmodi igitur Equitatione intimentur omnes, & ſinguli Emi, & Rmi Dni Cardinales, ac ſupradicti Prælati, qui deindè publico Conſiſtorio (Referendariis exceptis) Cappas induti intererunt.

Ita namque nobis legendum occurrit in quadam Intimatione facta *feria* 3. *die* 10. *Junii* 1721, occaſione traditionis Galeri Rubri quibuſdam novis Cardinalibus, nempe de Rohan, Cunha, aliiſque Romam advenientibus.

Poſtremò animadvertendum eſt, *Urſajam in Inſtitutionibus Criminalibus* (1) adnotaſſe, Utriuſque Signaturæ Referendarios in Civitatibus illis, in quibus Gubernatores à S. Sede delegantur, Miſſam conſueviſſe celebrare more, & ritu Epiſcoporum, & præſertim Gubernatorem Cæſenæ, proindèque adverſus ipſum S. Rituum Congregationem *ſub die* 9. *Februarii* 1675. reſolutionem evulgaſſe, qua declaravit: *non licere Illmis DD. Referendariis SSmi D.N. Papæ, ac Protonotariis Apoſtolicis honorariis, Miſſam celebrantibus in Civitatibus, quarum regimini præficiuntur, uti ritibus, qui proprii Emorum Cardinalium, & Epiſcoporum videntur; ſed iidem rem ſacram facere teneantur more cæterorum Sacerdotum, prout in privatis Miſſis præſcriptum fuit Abbatibus in decreto circa uſum Pontificalium Prælatis Epiſcopo inferioribus conceſſorum, emanato ab eadem S. Congregatione, habita coram fel. mem. Alexandro VII. die 27. Septembris 1659. & ita ſervari mandavit ab Illmo Gubernatore Civitatis Cæſenæ.*

Abundè dictum cenſemus de Votantium, ac Referendariorum Signaturæ præſtantia, ac privilegiis; & eapropter operæ pretium nunc eſſe duximus de eorum admiſſione, ſive creatione aliqua diſſerere, quum nonnulla in Pontificiis Conſtitutionibus ſancita reperiantur. Et primum antiquitus ſola Pontificis juſſione creabantur Re-

(1) *Lib.* 1. *Tit.* 10. *de Criminibus merè Eccleſiaſticis Innominatis n.* 142.

Referendarii; Sixtus V. quamplura circa admiſſionem decrevit, Alexander vero VII. laudata Conſtitutione, quæ incipit *Inter cæteras*, pro majori perſonarum delectu, ac rerum ordine, ſtatuit, ut inquiſitio, ac proceſſus formaretur ſuper qualitatibus eorum, qui ad præfatum munus, ac dignitatem admittendi eſsent; quæ provincia ab Emo Præfecto demandanda eſt ſpeciali reſcripto alicui ex Votantibus, relata prius ab eodem Præfecto Summo Pontifici inſtantia admittendorum, ejuſdemque aſſenſu, ac beneplacito obtento. Quid enim inquirendum ſit, quæve qualitates juſtificandæ, in dicta Conſtitutione recenſetur, ut nempe ex vero, & legitimo ſint Matrimonio, ac bonis, & honeſtis parentibus procreati, bonæ indolis, vitæ, ac famæ prorſus inculpatæ, & in vigeſimo quinto ætatis anno conſtituti.

De Referendariorum ætate quæſtionem inſtituit *Didacus de Narbona* (1), qui affirmat neminem illam aſſignare, nec etiam *Gomeſium* ipſum, qui inter Cancellariæ regulas, & in *utriuſque Signaturæ Compendio*, exactam Referendariorum tractationem compilavit; Ille tamen cenſet ſeptem, & viginti ſaltem annorum eſſe debere, vel ſex ſupra viginti, quorum ita finis lapſus ſit, ut ſequentis anni exordium merito dici queat; hanc enim ſuam opinionem, ut tueatur, argumentum à ſimili ducit Renunciatorum, ſive Relatorum cujuſcumque Tribunalis, & Referendarios, ſive Pontificis, ſive alterius Principis Relatores propriè eſſe affirmat, ex eo quod ſupplices libellos, vulgò petitiones dictas legebant, ac referebant, ex doctrina *Joannis Matienz* (2); & ibidem recenſet verba *Placidi de Sandoval* (3): *y de la Confeſſion reſultò, que mandò llamar al Licenziado Zapata, y al Doctor Carvajal ſus Relatores, y Referendarios, y de ſu Conſejo y Camera*; eodemque tempore reprehendit *Garziam Toletanum* (4), qui Referendariorum munus, & officium idem fuiſſe teſtatur, quod apud ſuos *Eſcrivano, e Recetor del Conſejo* appellatur. Demum poſt ſcripta fatetur laudatus *Narbonenſis* perlegiſſe librum primum Juris Eccleſiaſtici *Barboſæ* (5), & ita didiciſſe, ætatem eſſe 25. annorum ex Conſtitutione 41. Sixti V., & gratulatur idcircò parum ab ea differre illam, quam ab initio ſola ratione duce eidem muneri præſcripſit.

Ad ſemitam redeundo, oportet etiam, ut promovendi ad Referendariatum in aliqua publica Univerſitate ſtudiis Legalibus ſal-

 tem

(1) *Quæſt. 74. de ætate, anno 25.*

(2) *In Dialog. Relat. 2. p. 2. cap. 1. n. 7.*

(3) *In hiſtoria Caroli V. lib. 1. anno 1516. §. 58.*

(4) *In lucerna rubricarum trium poſteriorum librorum Codicis Tit. de excuſat. munerum n. 6.*

(5) *Lib. 1. cap. 22. n. 4.*

tem per quinquennium operam dederint, in eademque utriuſque Juris lauream ſint adepti; annuos inſuper reditus, ut habeant mille, & quincentum ſcutorum monetæ pacificè poſſeſſos, vel à parentibus, aut propinquis validè aſſignatos; in hac demum Romana Curia per biennium ſaltem verſati fuerint, & ſtudio praxis penes aliquem ex Auditoribus Rotæ, vel alios Prælatos, Officiales, ſeu Advocatos ejuſdem Curiæ ſedulò incubuerint.

Abſoluta poſtea inquiſitione antedicta, & diligentèr proceſſu à Ponente, ſive Delegato inſtructo, relationem fieri, juſſit laudatus Pontifex, in Collegio, cui ſi videantur probata, quæ ſuperius præmiſſa ſunt, tunc oratorem admitti ad examen, aſſignatis illis, ut moris eſt, duabus ſupplicationibus, ſeu Commiſſionibus coram ipſo Collegio proponendis; & ſubinde peracto examine, ſi ejuſdem Præfecti, atque Collegii, quorum conſcientiam oneravit, fuerit concordi judicio approbatus, vel ſaltem per duas ex tribus partibus votorum, quæ ſecretò per fabas albas, & nigras proferri voluit, tunc Præfectus Summo Pontifici omnia referens, illum Referendarium eſſe declarabit, ac in aliorum numero adſcribi mandabit, præſtito tamen prius in ejus manibus ſolito Juramento.

Hinc hodie, qui Referendariatus dignitatem aſſequi deſiderat, preces primum Sanctiſſimo porrigit, qui reſcribit: *Il Signor Cardinale N. N. Prefetto ordini il ſolito proceſſo, e ne parli*, & Emus Præfectus, cui exhibetur ſupplex libellus cum reſcripto, facto jam verbo cum Sanctiſſimo, eaſdem preces remittit Domino Votantium Signaturæ Decano, his verbis in calce earumdem adjectis, *avendo N. S. fatto la grazia all'Oratore, potrà Monſignor Decano commettere, che ſi faccia il proceſſo ad formam Bullæ. N. Cardinalis Corſini*. Qua deinde facultate exhibita Dño Decano, deputat ille unum ex DD. Votantibus per turnum hac formula: *R. P. D. Negroni, ſervata in omnibus forma Conſtitutionis ſan. mem. Alexandri Papæ VII., quæ incipit Inter cæteras, Proceſſum conficiat, & referat: Datum hac die ... N. N. Decanus*: & coram Votante ſic deputato efformatur per acta proprii Collegii Signaturæ Notarii proceſſus; quo compilato fit per eumdem Votantem relatio in plena Signatura, & per ſecreta ſuffragia probatur, vel reprobatur illius validitas; in alio poſtea ſequenti Signaturæ congreſſu admittitur promovendus ad examen, ut ſupra diximus, & fiunt omnia ea, quæ jam recenſuimus.

Ne autem in poſterum hæſitari contingeret quo quiſque tempore in Signatura fuerit admiſſus, Sixtus V. recenſita Conſtitutione 41. ſtatuit, ut Referendarii in futurum admittendi litteras Apoſto-

ſtolicas ſub plumbo ſuper conceſſione ſui officii Referendariatus hujuſmodi expedire teneantur, quæ pro tempore exiſtentis Romani Pontificis Datarii manu ſubſcriptæ eamdem firmitatem, ac robur haberent, ac ſi juxta ſtilum Cancellariæ Apoſtolicæ, ſeu Cameræ, ab omnibus, & ſingulis Officialibus, & aliis, ad quos litterarum Apoſtolicarum expeditio pertineat, ritè, ac legitimè forent expeditæ.

Animadvertendum tamen hic eſt, quod dupliciter perſonæ, quæ Curiam Romanam ſequuntur, aſſequi ſolent hanc Prælaturam, quæ hodiedum quædam ſpecies eſt gradus, ſine quo ad cætera ſuprema munia provehi non poteſt, ſive janua aliarum dignitatum, rectiuſve medium quo ad cæteras in Romana Curia exiſtentes Juriſdictionales Dignitates pervenitur. Alii enim creantur, ut ſuperius enarravimus; alii vero emunt illa Officia, quibus iſta Prælatura utrius Signaturæ annexa eſt, ut erant prius Auditoratus Cameræ, Theſaurariatus, Clericatus Cameræ, nunc vero tantum Protonotariatus, Abbreviatores de Parco majori, Auditor Confidentiarum, & Contradictarum, & alia ejuſmodi Officia, quæ venalia hodie ſuperſunt ratione emolumentorum. Qua de cauſa orta olim fuit dubitatio, an ementes dicta officia, quibus Prælatura Referendariatus annexa ſit, pro cooptatione in Referendariorum Collegio, & examen, & ſuperius laudatam Alexandrinam inquiſitionem ſubire teneantur; & de hac quidem quæſtione agit *De Luca* in tractatu de *Officiis Venalibus Vacabilibus Romanæ Curiæ* (1), qui etiam aſſerit, attenta quadam obſervantia de facto, nemine ad id reflectente, illi Officiales prætendebant ſe exemptos ex eo fundamento, quod Protonotarii Apoſtolici per Conſtitutionem Sixti V. creantur Prælati Domeſtici, & utriuſque Signaturæ Referendarii, Abbreviatores autem de Parco majori, fortèque alii Officiales Cancellariæ per Conſtitutionem Pauli V. paritèr creantur Referendarii.

Et inter alios abuſus, quos pro ſui muneris debito abolere curavit *De Luca*, iſte præſertim talis ſibi videbatur, & quod nullatenus permittenda propterea eſſet hæc Apoſtolicarum Conſtitutionum publica contraventio in adeò magno Tribunali, & in conſpectu Curiæ; nec ſufficit, quod Officiales, proſequitur ille, unius Collegii, ad quod fuerunt admiſſi, per Papam creati ſint etiam Referendarii, quoniam id aliud non operatur niſi conceſſionem generalem illius Prælaturæ, pro qua in aliis, non obtinentibus hæc officia, neceſſaria eſt conceſſio, vel gratia ſpecialis, quæ tamen non ſufficit pro cooptatione in Collegium, niſi, prævia juſtificatione requiſitorum, ſequatur admiſſio.

Et

(1) *Cap. 2. n. 14. uſque ad 24.*

Digitized by Google

Et eò, vel magis id profectò obſervandum eſt in Referendariatu, quia iſta Prælatura annexam habet adminiſtrationem Juſtitiæ, & exercitium Juriſdictionis; & eapropter improprium eſt, ut ex officio Protonotarii, vel Abbreviatoris, quod ſatis modicam exigit adminiſtrationem pro aliquibus actibus extrajudicialibus, potius honorificis, obtineri debeat cooptatio in Collegio Referendariorum, abſque eo quod conſtet de idoneitate, aliiſque requiſitis neceſſariis pro hoc majori munere exercendo; & evenire etiam poteſt, quod immaturæ ætatis, malèque morigeratus adoleſcens, nullam juris, & fori peritiam habens, ita efficeretur Judex, atque Juſtitiam adminiſtrare deberet, & in Signatura adeſſet, ignotus Collegio, & Tribunali; concludit idcircò laudatus *De Luca*, quod dictum Privilegium conceſſum hujuſmodi Officiis continet quamdam conceſſionem generalem, ut præbeat quidem titulum ad illam Prælaturam aſſequendam, conſtito tamen de idoneitáte, & aliis requiſitis, ad inſtar Beneficiorum, quæ expediuntur *in forma dignum*; & Sixto V., & Alexandro VII. ſi innotuiſsent dicta officia, hanc Prælaturæ prærogativam habentia, veroſimiliter illa excepiſſent, & non ſtatuiſſent regulam generalem pro omnibus in Collegio cooptandis.

Quod etiam *Rigante* in tractatu de Protonotariis (1) obſervavit ex Conſtitutione Sixtina, qua demandatum fuit, ut, qui ex ſeptem Protonotariis U. J. Doctores fuerint, adſcribantur quoque numero Referendariorum utrius Signaturæ. Non habet igitur, ait ille, Protonotariatus annexum Referendariatum V. S., ut alias in quadam facti contingentia nonnulli Datariæ Officiales autumabant; & aſſerere videtur *Sacchettus* in Opuſculo de *Privilegiis Protonotariorum*, ſed Protonotarii ipſi participantes non prius efficiuntur Referendarii, quam oſtendant ſe fuiſſe doctorali laurea inſignitos, ſervatiſque ſervandis adſcribantur numero Referendariorum; ſæpè enim vidimus, ille teſtatur, plures Protonotarios nonniſi multos poſt annos fuiſſe Signaturæ Referendarios.

Attamen neſcio quomodo Eminentiſſimo *De Luca* non innotuit reſolutio illa, capta in plena Signatura Juſtitiæ ſub *die 16. Aprilis 1676*, quam è Signaturæ Regeſto depromit *Fattinellus* (2); Ea namque, ſuffragantibus Eminentiſſimo Flavio Chiſio Præfecto, Buſſio, Muto de Papazzurris, Bentivolo, Telonio, Ginetto, Bernino, & Filicaja ejuſdem Signaturæ Referendariis Votantibus, decretum fuit, quod in poſterum non admittantur amplius Prælati in Si-

(1) *Diſſert. 10. n. 225.*

(2) *Pag. 203. de Votantium Signat. Collegio.*

Signatura, tam illi, qui emunt Officia, quam alii, qui quoquomodo obtinent Prælaturam, niſi prius in eadem Signatura admiſſi fuerint ad examen, proponendo juxta morem duas Commiſſiones in forma ipſis aſſignandas, & fuerint ſucceſſivè Votantium ſuffragio approbati, ac præſtiterint deinde ſolitum juramentum; Quæ profectò reſolutio confirmata fuit in Signaturæ congreſſu, habito ſub *die* 23. *Aprilis* ejuſdem anni prævio maturiori examine, ac ſuffragantibus etiam Creſcentio Decano, & Urſino ejuſdem Signaturæ Votantibus.

Juramenti verò formula a *Fattinello* refertur, at eam nos habuimus è quodam Codice membranaceo MS., qui extabat in Bibliotheca *Illuſtriſsimi*, & Reverendiſſimi D. Joannis Franciſci de Abbatibus Oliveriis Reverendæ Fabricæ Congregationis Secretarii, & hic tranſcribere duximus.

Formula Juramenti, quod præſtatur a Referendario Domini N. Papæ.

EGo N. Domini Papæ Referendarius ab hac hora in antea fidelis ero B. Petro, Sanctæque R. E., & Domino meo Domino Papæ, ejuſque ſucceſſoribus Canonicè intrantibus, non ero in facto, conſilio, vel conſenſu, quod vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Conſilium, quod per ſe, vel Nuncium ſuum, ſeu litteras mihi credituri ſunt ſigno, verbo, vel nutu me ſciente ad eorum damnum, ſeu præjudicium nulli pandam. Si damnum eorum tractari ſcivero pro poſſe meo impediam ne fiat: quod ſi per me impedire non poſſem, per nuntium, aut litteras eis ſignificare, vel illi, per quem citiùs ad notitiam deducatur. Papatum Romanum, & Regalia B. Petri, & omnia Jura Romanæ Eccleſiæ, quæ habet ubique manutenebo totis viribus, & defendam. Officium Referendariatus mihi a Domino P. P. commiſſum benè, & fidelitèr geram. A donis, muneribus, & xeniis abſtinebo, & meos familiares abſtinere omni diligentia, qua potero procurabo; exculentis, & poculentis non fraudolentis dumtaxat exceptis; ita quod per me, vel per alium in quocumque caſu nihil recipiam, nec a meis familiaribus recipi permittam ſine Domini Papæ, vel ejus Camerarii licentia ſpeciali, ſuper dicta omnia &c.

Reliquum eſt, ne quidquam deſit pleniſſimæ cognitioni hujuſce Tribunalis, ut differamus de modo, forma, ac tempore congreſſus ejuſdem; & primum habetur Signaturæ Juſtitiæ congreſſus

ſus, qui vulgò plena Signatura dicitur, qualibet die Jovis de mane cujuslibet hebdomadæ non impedita, hoc eſt, dummodo feria aliqua ſtata, & ſolemnis, vel repentina, quæ nempe pro re nata Curiæ indicitur, in dicta die non coincidat. Quæ quidem congregandi ratio antiquitus ſervabatur interdum uſque ad medietatem menſis Julii, ut patet è Tribunalium Indice *Franciſci Gherii*, nunc vero uſque ad menſem Junii, nam a menſe Julii uſque ad exitum Septembris ſingulis tantum quindecim diebus habetur ob æſtivos calores (1); in menſe vero Octobris occaſione feriarum autumnalium penitus vacat; qua de re, ut omnibus innoteſceret quænam dies vacationis eſſet, antiquitus in Banco Curſorum in acie Campi Floræ tabella collocabatur per nonnullos dies ante, qua deſignabatur Signaturæ Congreſſus; & ratio, cur ibi notula prædicta collocabatur, ea eſt, quia Magiſter Turnarius Curſorum ea ætate reſidebat in illorum Banco exiſtente in acie Campi Floræ, *ubi recipit*, ait *Gherius*, *& ponit in capſulis Commiſſiones, & apponit notulam utriuſque Signaturæ, & Conſiſtorii*. Nunc verò litigantium, & Curialium commoditati conſulitur editione Kalendarii Curiæ, quo non modo dies Curiales Tribunalis A. C. & Cameræ, verum & dies Jovis, in quibus Signatura plena non habetur, deſignantur. Congreſſus verò habebatur prius in ædibus Eminentiſſimi Præfecti, teſte *Marcheſano* (2); Innocentius tamen XII. Romanæ Curiæ reformationi conſulens, inter alia pro majori tanti Tribunalis decore ſtatuit, ut Signaturæ convocatio haberetur in Apoſtolico Palatio, prout S. Rotæ Auditores, & Cameræ Clerici jam conveniebant.

Coacto deinde Signaturæ Congreſſu, Referendarius ille, qui primum Cauſam relaturus eſt, ſtantibus omnibus, Orationem a beato Iſidoro, ut dicitur, compoſitam, intelligibiliter, & devotè legit; quem enim actum auſpicandi nempe Cauſarum deciſiones a Religione etiam antiquitus in uſu fuiſſe, teſtantur *Gomeſius* (3), *Marcheſanus* (4), & poſt eos *Fattinellus* (5), qui id magnopere exoptandum ſuadet, ut ad majus pietatis augumentum, ac ſecuram Divinæ opis implorationem è publico eis detur Sacerdos, qui Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium ante initium Signaturæ celebraret, ut in Rotæ, & Cameræ Tribunalibus obſervatur.

Oratio, quæ, ut ſuperius diximus, recitatur a Referendario, hæc eſt: *Adſumus Domine Sancte Spiritus, adſumus peccati quidem imma-*

(1) *Et tunc congreſſus illi appellantur Congregationes, prout etiam fit ſi S. Rota habeatur pro aliqua Cauſa dictorum feriarum tempore.*

(2) *De Commiſſ. p. 1. num. 107.*

(3) *In Compendio utriuſque Signaturæ.*

(4) *Part. 1. cap. 1. pag. 37.*

(5) *Cap. 8. num. 5.*

manitate detenti, ſed in nomine tuo congregati; veni ad nos, & eſto nobiſcum, & dignare illabi cordibus noſtris, doce nos quid agamus, quo gradiamur, & oſtende quid efficere debeamus, ut te auxiliante tibi in omnibus placere valeamus: Eſto ſolus ſuggeſtor, & effector judiciorum noſtrorum; qui ſolus cum Deo Patre, & ejus Filio nomen poſſides glorioſum, non patiaris perturbatores eſſe Juſtitiæ, qui ſummam diligis æquitatem, non in ſiniſtrum nos ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptatio muneris, vel perſonæ corrumpat, ſed junge nos efficaciter tibi ſolius gratiæ dono, ut ſimus in te unum, & in nullo deviemus a vero, ut ſicuti in nomine tuo collecti, ſic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis juſtitiam, ut & hic a te in nullo diſſentiat ſententia noſtra, & in futuro pro benè geſtis conſequamur præmia ſempiterna, reſpondent omnes *Amen*. Hæc namque Oratio recitatur etiam in Rota ſingulis diebus Audientiæ, & originem habuit a Conciliis generalibus, quorum initio hæc Oratio dicenda erat, ut docent *Speculator* in tractatu *de modo generalis Concilii celebrandi* (1) & *Petrus de Monte* Epiſcopus Brixianen in ſua *Monarchia*. (2)

Sedent deinde omnes hoc ordine, Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Præfectus in capite magnæ Menſæ oloſerico ſtratæ medius inter Votantium Decanum, & Subdecanum, ille in ſede oloſerica purpurei coloris, hi, ſicut cæteri Votantes ab utroque latere juxta eorum in officio prioritatem; In hac tamen Signatura non interſunt, prout in altera gratiæ, Datarius Sanctiſſimi D. N., Theſaurarius generalis, Auditor Cameræ, Vicesgerens, unus ex Prothonotariis, Decanus Rotæ, unus ex Abbreviatoribus, Auditor Sanctiſſimi, & Auditor Camerarii &c., ſed tantum Rotæ Decanus, vel Prodecanus, duo Locumtenentes in Civilibus Auditoris Cameræ, & Locumtenens Civilis Eminentiſſimi Vicarii, qui nec ſedent, nec ſuffragii ferendi jus habent, ſed in Cauſis ſuorum Tribunalium interrogati, reſpondent; & ut ait *De Luca* majorem hi laborem, majuſque faſtidium ſubire coguntur, dum, interveniendo in plena Signatura Juſtitiæ, rationem reddunt de eorum decretis, & proviſionibus, a quibus ſuccumbentes appellant, vel recurrunt, ita patiendo quemdam continuum ſyndicatum (3). Intervenit etiam Regens Cancellariæ pariter ſine voto, & ſede, tanquam ſubſtitutus Cardinalis Vicecancellarii ad congruam diſtributionem Cauſarum, Prælatis, vel Rotæ, juxta earum naturam, & Signaturæ reſcripta, faciendam, de qua ſuo loco dicemus.

 Fa-

(1) *In 1. part. rubr. 11.*
(2) *Quæſt. 4.*
(3) *In Relat. Curiæ diſc. 34. num. 33.*

Digitized by Google

Facta jam a Referendario relatione cauſæ, qui ſedet in poſtremo loco menſæ è conſpectu Cardinalis Præfecti, & enarrato breviter facto, annuente eodem Præfecto ſuum profert votum, quod vulgo in Curia proclamatur debere eſſe favorabile, & conſonum Commiſſioni; & qua de cauſa propoſitio iſta, quæ in axioma verſa eſt, invaluerit, penè neſcimus, quum ſi rem, ut par eſt, accuratè, ac ingenuè exploremus, Referendarii munus eſt, Cauſæ factum, & litigantium jura ſummatim referre, quidque ipſe juris cenſeat, requiſitus, palam facere: Erroneam illam propoſitionem in foro irrepſiſſe, credimus libenter, a ſententia Gloſatoris in *Authentica de Referendariis Sacri Palatii*, ubi ſub verbo *Referendarii* legitur, *ſunt autem Referendarii, qui ſunt Advocati in Curia Principis, dicti ex eo quia referunt vices hominum coram Principe, ut §. quomodo oportet Epiſcop. §. non aliter in fine*, & etiam in *authentica quomodo oporteat Epiſcopos §. Si quis. Referendarii, qui ſtant in Curia, ut præſient advocationem venientibus, ut dicta eorum referant*: Noſtrarum forenſium rerum periti exiſtimarunt, in Commiſſionibus, quæ à Referendariis proponuntur idem ferè eſse ipſorum munus, ac Advocatorum; attamen ſi rectè ponamus calculum, omninò diverſum profectò dici debet, quum Referendarii Romanæ Sedis ſuffragium ferunt juſſu Eminentiſſimi Præfecti in Cauſis, quas ipſi in plena Signatura referunt, & in ſuffragiis ferendis veritatem, & juſtitiam præ oculis omni adhibito ſtudio habendam eſſe pro jure certo habetur; & eapropter nihil ab eis pronunciandum eſt, niſi quod, inſtituta Cauſæ, hoc eſt facti cum legibus comparatione, jure ſtatuendum, pronunciandumque videatur; qua de re *Franciſcus Gherius de Sotiis in Indice Tribunalium Urbis*, dum de Signatura Juſtitiæ loquitur, animadvertit, quod contra Commiſsiones idem Referendarius proponat, nec aliquo modo poſsit, uti ſuſpectus recuſari, ſicut nec in proponendis aliis Commiſsionibus, niſi ex cauſa expreſſa, & approbata ab Eminentiſsimo Præfecto.

Propoſita Cauſa per Referendarium, Votantes ſuffragia ferunt, eo ordine, ut ſenior, primò nempe receptus incipiat, & cæteri juxta temporis prioritatem proſequantur, prout legitur apud *Marcheſanum* (1); & quamvis *De Luca* (2) juniorem in votando incipere debere demonſtret, credendum tamen eſt *Fattinello* (3), qui tanquam oculatus teſtis, ut votans tunc temporis ejuſdem Signaturæ, ita obſervari teſtatur. Oportet nunc dicere, quomodo illorum ſuffragia enumerentur, ut ea reſolutio renuncietur, in

quam

(1) *De Commiſs. cap. 1. part. 1.*

(2) *De Relat. Curiæ diſc. 1. num. 14.*

(3) *Cap. 8. num. 12.*

quam plurima ſuffragia convenerint , vel ea reticeatur, quæ paribus eſſet diſtracta ſuffragiis . Et ante omnia exponendum eſt, quod etiamſi omnes Referendarii Votantes non convenirent , itaut aliqui, vel plures ex iis legitimo eſsent impedimento detenti, illi qui interſunt cauſas definiunt, & committunt; quorum major pars, ſi concors fuerit , juxta votorum pluralitatem fit reſolutio, & illa dicitur capta in plena Signatura , licet multi Votantes non fuerint præſentes ; quum dicatur reſolutionem emanaſſe a plena Signatura, quoties major pars Prælatorum præſentium in illa , addito voto Prælati Referendarii in Cauſis , quæ ab ipſo, tamquam Ponente , proponuntur , in unum conveniat , prout adnotant *De Luca*, (1) & *Veſtrius* in praxi . (2)

Animadvertere hic non inutile eſt, quod aliquando vota ſcinduntur, alii nempe ex Votantibus, puta quinque ex duodecim, reſcribunt *ſine præjudicio* , tres *ſi quid exequendum* , quatuor *de appellatione* ; tunc ſolet procedi cum reſcripto *Si quid exequendum* ſuſpenſivo exequutionis judicati , quum in ſubſtantia ſeptem dederint vota pro commiſsione Cauſæ appellationis, licet alii ſimpliciter, & alii cum clauſula ſuſpenſiva, *Si quid exequendum*, nam abſque dubio illi quatuor , qui votum dederunt pro appellatione ſimpliciter, multò magis inclinarunt pro ſimplici ſuſpenſione judicati cum dicta clauſula, *Si quid exequendum*, quæ certè multo minus præjudicat, quam alia, *Alteri de Appellatione*, ut dicemus in capit. de diverſis Signaturæ reſcriptis, & adnotat etiam *Conſtantinus ad Statutum Urbis*. (3)

Cardinalis verò Præfectus, qui Signaturæ præſidet, poteſt ſuum ferre ſuffragium in cauſarum reſolutione, & eo magis ſi vota ſint paria, ad hoc ut oriatur cauſæ reſolutio cum ſui voti præponderantia; quod quidem inſtitutum , ut potior haberetur in paribus judicum ſententiis ea cui Præſes accederet , in Imperio Conſtantinopolitano ex Conſtitutione *Emanuelis Comneni cap. 6.*, ut refert *Gothofredus* (4), vires ſuas habuit. Eminentiſsimus Præfectus verò id rarò facere ſolet , immò potius in ſuffragiorum paritate reſolutio differtur ad aliam Signaturam, ut novo examine cauſæ inſtituto , res maturius examinari , & dijudicari valeat : Cardinalis *De Luca* cauſam etiam reddit , quare Præfectus a ſuffragio ferendo ſe abſtinere ſolet, ex eo potiſsimum, quod ille omnino ſequi deberet votum Prælatorum votantium, quum non ſit conſultivum, ut in Signatura Gratiæ , ſed arctativum ; itaut , quum reſolutio

 jam

(1) *Relat. Curiæ diſc. 31.*
(2) *Lib. 1. cap. 3. num. 3. in fine.*
(3) *Annot. 52. art. 1. ſect. 1. num. 7. 8*
(4) *In leg. unic. C. T. de reſponſ. prudent*

jam pro majori parte concluſa ſit, nihil refert, an ipſe diverſum habeat ſenſum, quem proinde prudenter explicare non ſolet. Auctoritas tamen Præfecti proculdubio ſumma eſt, quum nempe præcipiti, ac temerario judicio latam eſſe ſententiam agnoſcat, & demandare ſolet reſolutionis dilationem ad alterum Signaturæ congreſſum pro maturiori examine, prout etiam apud Romanos in uſu fuit, quando plena Cauſæ cognitio deerat, & ea utebantur formula: *Nondum liquet*, de qua *Aſconius*, (1) *Gellius*, (2) *Seneca*, (3) & *Cicero in Cluentio* teſtantur.

De forma ſubſcribendi reſcripta, ſive commiſsiones, in eodem Tribunali expeditas, operæ prætium eſt, ut aliqua hic adnotemus; & primum ipſamet ſubſcriptio Signatura etiam appellatur, ita & in minuta litterarum Apoſtolicarum ſubſcriptio Pontificis Signatura Sanctiſsimi denominatur, prout advertunt præ cæteris *Van-Eſpen* (4), & *Salgado* (5); Quæ namque ſubſcriptio Signatura appellata dupliciter fit in hoc Tribunali, itaut in commiſsionibus Cauſarum, quæ in Urbe delegantur ſubſcriptio hæc eſt: *Placet Sanctiſſimo D. N. PP. -- N. Cardinalis Corſini*; in iis verò, quæ extra Urbem mittuntur his verbis ſe ſubſcribit: *Conceſſum in præſentia D. N. PP. N. Cardinalis Corſini*. E' qua differentia ſubſcriptionis non leve jurgium in Hiſpania exortum fuit, de quo *Salgadus* (6); in ſupremo enim Regio Hiſpaniæ Conſilio, ubi vigilantiſsimè cuſtoditur S. Concilium Tridentinum, nullatenus, ille teſtatur admitti ſubſcriptiones *per conceſſum*, ex eo quia licet Præfectus, vel Prælatus a Pontifice deputatus dicat in ſubſcriptione, *Conceſſum*, *ut petitur in præſentia D. N: Papæ*, non tamen ſequitur, quod in Pontificis præſentia id fiat, quia revera in Domo ſua, vel in Palatio extra præſentiam Papæ ſemper ſubſcribit, ut advertit *Pariſius de Reſignatione* (7); & è contra quod forma Tridentini Concilii (8) *perſonaliſſima ſit*, *requirendo ſubſcriptionem propriæ manus Sanctiſſimi*, *itaut non modo excludit omnem fictionem*, *ſed etiam omnem veritatem repræſentativam*; Quapropter firmum in Conſilio Hiſpanico eſt, non ſufficere in commiſsionibus Avocatoriis Cauſarum in prima inſtantia ab Ordinario Signaturas illas per conceſsum; & revera, quando caſus evenit, hujuſmodi commiſsiones expediuntur per Datariam, & manu Pontificis ſignantur.

Ut autem liberum ſit Cauſarum examen, & ſuffragia abſque ulla

(1) *De Divin.*
(2) *Lib. 14. cap. 2.*
(3) *Epiſt. 66.*
(4) *Juris Eccleſiaſtici p. 2.*
(5) *De ſupplicat. & retent. p. 2. c. 30. §. 5.*
(6) *Eodem loco §. 36. 37. & 39.*
(7) *Tom. 2. lib. 8. q. 7. n. 80. & 81.*
(8) *In Cap. Cauſæ omnes de Refor ſeſſ. 24.*

ulla hæſitatione ferant Votantes, ab iiſdem ſecretum ſervari Pontifices conſtituerunt, itaut nec propria, nec aliorum ſuffragia alicui pandant; & primum teſte *Gomeſio* (1) Alexander VI. eos perjurii pœna, ac ſuſpenſionis ab officio per menſem coercendos eſse ſtatuit; è *Marcheſano* (2) verò habemus, Gregorium XIII. excommunicationem latæ ſententiæ, aliaſque arbitrio ſuæ Sanctitatis pœnas hujuſmodi revelantibus indixiſſe, Clementem deinde VIII. pœnas jam dictas non modo ad ſuffragiorum evulgationem, verum, & ad cætera alia, quæ cauſarum occaſione in Signatura loqui contingat, innovaſſe, ac ampliaſſe. Alexander VII. in superius laudata Conſtitutione decrevit, omnibus, & ſingulis tam Votantibus, quam cæteris aliis, in Signatura plena intervenientibus, ac eorum Auditoribus, & ſtudiorum Coadjutoribus haud licere vota ipſa cuipiam referre, aut palam facere oretenus, vel in ſcriptis per ſeipſos, vel per alios ſub pœna indignationis ſuæ; ita enim ſapientiſſimè conſultum eſt, ne timor ille ſcientiæ votorum ſententias dicendi libertati officiat.

Ne demum Decreta, Jura, cæterique actus ejuſdem Collegii, prout facilius eſt, in peſſum irent, & temporis diuturnitate oblivioni traderentur, ac memoria exciderent, ſtatim ac in Collegium Tribunal hoc redactum fuit, Signaturæ Votantes de mandato Eminentiſſimi Præfecti congreſſu indicto deputarunt Secretarium ejuſdem Collegii unum ex iiſdem Votantibus, cujus præcipuum munus eſſet, codicem quemdam conficere, in quo decreta, omneſque actus ejuſdem Collegii deſcriberentur; & deinde ſub eadem die 15. Julii 1659. (3) ab eiſdem deputatus fuit in Notarium dicti Collegii Notarius Archivii pro tempore, & in Bidellum unus ex ejus Subſtitutis, cui incumberet onus certiores faciendi DD. Votantes quotieſcumqne habendum erit dictum Collegium, eodemque convocato aſſiſtendi ab extra pro indigentiis obvenientibus. Notario verò munus illud demandatum fuit Archivium conſtruendi peculiare, in quo habeantur Proceſſus omnes admiſſorum ad Referendariatum, omneſque ſcripturæ, tangentes intereſſe dicti Collegii; & dicto Archivio binas claves apponi ſancitum fuit, quarum una retinenda eſſet a Secretario pro tempore Collegii, altera ab eodem Notario Archivii.

Sed jam demum ad alteram hujuſce capitis partem, ad juriſdictionem nempe provehimur; & indubium eſt eam ampliſſimam eſſe, itaut *Staphilæus* (4) facultates, & ſtilum ejuſdem Signaturæ ma-

(1) *In d. Compend. ver. Rurſus ne ſecreta.*
(2) *Cap. 1. p. 1. num. 38.*
(3) *Ex regeſto Signaturæ pag. 1.*
(4) *De litteris gratiæ, & juſtitiæ.*

mare magnum, & campum latiſſimum appellare non dubitaverit. Proprium, & peculiare illius eſt, ut ait *De Luca*, jus dicere in omnibus utriuſque Pontificii & Temporalis Principatus, ac etiam particularis Epiſcopatus Urbis cauſis, & negotiis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, pro quibus ſupremam Principis majeſtatem adire oporteat, ad effectum committendi cauſas appellationis, vel reſtitutionis in integrum, & quorumcumque gravaminum, ſive decidendi controverſias ſuper præſcriptione, ſive competentia fori; quam quidem juriſdictionem exercere comprobat *Fattinellus* (1) etiam inter extremos Indos ex declaratione Alexandri VII. in ejus litteris impreſſis in opuſculo *Joannis de Maria* (2), & ſua ætate eam exercuiſſe docet in Cauſa *Limana prætenſi Cambii* inter Capitulum Eccleſiæ Metropolitanæ Civitatis Limæ, & Equitem Franciſcum Nicolaum de Sylva proponente *R. P. D. Meſſerio* 29. Aprilis 1694.

Removet etiam Signatura hæc Judices omnes, aliqua ſuſpicione laborantes, & alios in illorum locum ſubrogat tam Romæ, quam extra; animadvertendum tamen eſt quoad Vicarium, Gubernatorem, ac etiam A. C., ipſoſmet, tanquam capita ſuorum reſpective Tribunalium, cognoſcere de Cauſis ſuſpicionum eorum Judicum, & Locumtenentium, & alium deputare in locum illius judicis ſuſpecti allegati, ut eſt notoria praxis, & obſervat *Paſſerinus* (3); & ſi partes non acquieſcant judicio, & declarationi ſuper hoc factæ ab ipſis Vicario, Gubernatore, A. C., tunc recurſus habetur ad Signaturæ Juſtitiæ Præfectum, vel ad ipſam plenam Signaturam pro habenda moderatione declarationum, factarum a dictis Superioribus Tribunalium; itaut ſi cognoſcat Signatura, quod recuſatio jure non fuit admiſſa, reſcribit *nihil*, remittendo cauſam ad Judicem recuſatum; ſi verò alia recuſatio admittenda non ſit, *nihil de deputatione alterius*; ſi denique locus ſit recuſationi ſolet reſcribere: *Ad A. C.*, *Vicarium* &c. *pro deputatione alterius*. In foro tamen Capitolino recurſus hic non procedit, quum Signatura in dicto foro non ſe ingerat, ſed ex ſtatuto Urbis, & Reformatione Innocentiana fuit proviſum, ut procedat Senator, vel Capitaneus modo, quo ſupra, & ſi partes non acquieſcant, recurſus fit ad *Aſſettamentum*, quod vices gerit Signaturæ; quoad Tribunalia verò Rotæ, & Cameræ fuit proviſum per Conſtitutiones (4) Pii IV. & Pauli V.

Sententias nullas quorumcumque Judicum ex defectu Juriſdictio-

---

(1) *Cap. 7. num. 15.*
(2) *Pag. 32. & 85.*
(3) *In Capit. Si contra unum num. 4. de officio, & poteſtate Jud. Delegati in p. 1. lib. 6. Decretal.*
(4) 44. & 87. 71.

ctionis, vel citationis circumſcribit, & alteri Judici cauſas delegat; inhibitiones, a Judicibus perperam conceſſas, moderatur, vel jubet illis, ut eas moderentur, & è contra ſi judices eas male moderati ſint, mandat eiſdem, ut eas reintegrent; & ita, *Fattinellus* (1) teſtatur, ſervatum fuiſſe in Cauſa *Romana* inter *Garrinos*, & *Pintos* ad relationem R. P. D. *De Auguſtinis* 4. Auguſti 1695; quum enim *D. Emerix* Rotæ Decanus ſuam moderatus fuiſſet inhibitionem ob prætenſam non integram Actorum tranſportationem, & ſubinde capta fuiſſet poſſeſſio, Signatura reſcripſit: *Rota inhibitionem reintegret circumſcripta poſſeſſione*.

Declarat ulterius præventionum Cauſas, & ad judices competentes remittit; circumſcribit, & irritat poſſeſſionem in Cauſa appellabili intra decendium captam; & quæcumque attentata in ſpretum ſuæ inhibitionis facta revocat; mandat Judicibus, ut articulos ad probandum minùs juſtè rejectos admittant; & ita ſervatum ſcribit *Fattinellus* (2) in Cauſa *Romana prælationis Caſtri Porciliani* 27. *Junii* 1686. proponente *R. P. D. Pallavicino*, & in *Romana pecuniaria inter Marchionem Azzolinum*, *&* *Comitem de Ulfed* proponente *R. P. D. Falconerio*, in qua Signatura reſcripſit *Rotæ pro articulorum admiſſione*; iiſdem Judicibus mandat, ſi Cauſam nimis properè, & abſque maturiori examine expediverint, ut *iterum audiant*.

Subdito litiganti cum Epiſcopo concedit exemptionem durante lite, ad evitandas ſævitias, ut docet *Mandoſius* (3), qui advertit etiam, quod Signatura Gratiæ hanc exemptionem concedit ſimpliciter, & per viam gratiæ durante lite. Signatura verò Juſtitiæ non concedit, ſed committit Judici cum clauſula, *Conſtito de ſævitia*, juxta ſententiam *Caſſiodori* (4); & licet concedere non poſſit licentiam alienandi bona Eccleſiæ, ſubrogare tamen ex cauſa poteſt Judicem Judici dato in brevi Apoſtolico ſuper evidenti conceſſionis utilitate, prout ſentit Rota apud *Seraphinum* (5).

Cognoſcit ulterius, an alteri litiganti debeantur alimenta, & ſumptus litis, & reſcribit, ut ſuo loco adnotabimus, vel abſolutè cum clauſula, *Subminiſtratis alimentis*, *&* *ſumptibus litis*, vel *cum facultate ſubminiſtrandi* juxta opportunitatem, & exigentiam cauſarum. (6)

Relaxationes juramenti, quod apponi in contractibus ſolet, ſi ad

---

[1] *Dict. cap. 7. num. 19.*
[2] *Dict. cap. num. 24.*
[3] *De Signatura Gratiæ Tit. Exemptiones ob Epiſcopis verſ. aliquando.*
[4] *Deciſ. 6. n. 3. & 6. de Reſcriptis.*
[5] *Deciſ. 307. num. 8.*
[6] *Deciſ. 404. num. 6. p. 18. rec.*

ad effectum agendi, vel contractum redarguendi de læſione petantur, de ſtilo Curiæ proponuntur in altera Signatura gratiæ, aliquando tamen, & perrarò ait *Marcheſanus* (1) conceduntur per Signaturam Juſtitiæ, & apponitur ſemper clauſula, *prout de jure*. Indubium tamen eſt, hujuſmodi relaxationes in Curia paſſim fieri a Locumtenente Eminentiſſimi Vicarii Urbis, ac etiam a RR. PP. DD. Auditoribus Rotæ in Cauſis illis, quæ coram ipſis pendentes ſunt, prout docemur è ſuperius laudato *Marcheſano*. In Cauſis verò, in quibus agitur de Camerali obligatione in Curia ex ſtilo ejuſdem Signaturæ non relaxatur juramentum, juxta ea, quæ tradit *Staphilæus de Litteris Juſtitiæ* (2), ea potiſſimum de cauſa, quod contractus, quibus Cameralis obligatio acceſſerit, ex ejuſdem Cameralis obligationis privilegio ſubſtinentur, non autem a juramento robur ſuum accipiunt; & proinde quum ex ſeipſa irrevocabilis ſit, etiamſi relaxatio juramenti concederetur, adhuc tamen contractus in ſuo robore permanerent.

Avocationes cauſarum, quæ litium coram uno Judice pendentium ad Principem, vel Superiorem, vel competentem aliquem judicem factæ translationes appellantur, ad Principem ipſum, vel alium Superiorem, qui judicem dare poſſit, pertinere aſſerit *Covarruvias* (3); eapropter Principis perſonam Signatura Juſtitiæ, ut alibi diximus, repræſentante, jurемeritò eidem tributa facultas eſt, illas vel concedendi, vel denegandi. Et pro certò habemus id omninò Signaturæ arbitrio conlatum eſſe, ut cauſarum qualitatibus plenè rimatis, aliiſque circumſtantiis, perſonarum, ac loci qualitate, quid, quomodo, & quo in loco reſcribendum ſit potiſſimum, ut aſſolet, animadvertat. Diximus enim, Cauſarum qualitates a Signatura Juſtitiæ in Avocationibus eſſe inſpiciendas ex eo præſertim, quod non in omnibus Cauſis Signaturæ Tribunal reſcribere ſolet, ut ſuperius demonſtravimus, nec omnium Cauſarum quilibet judex competens eſt; locorum verò qualitates, quamvis *Marcheſanus* aſſerat, eas eſſe a Signatura inſpiciendas, quæ tutum acceſſum Collitigantium reſpiciunt, attamen eas præ oculis ab eodem Tribunali Signaturæ habendas locorum qualitates in Avocationibus concedendis arbitramur, quæ in privilegiis, vel peculiaribus prærogativis cujuslibet Civitatis conſiſtunt.

A denegata juſtitia, quando nempè aliquis Judex expeditionem Cauſæ differat, recurſus habetur ad eamdem Signaturam,

quæ

[1] *De commiſſ. relaxat. Jurament. c.IV.*
[2] *Fol. 134. verſ. Stilus.*
[3] *Practic. qu. cap. 9. num. 2.*

quæ, conſtito prius de judicis mora in expediendo, ſolet Cauſam committere alteri, ut in ſtatu, & terminis, in quibus reperitur eam definiat; hoc enim remedio ſi deſtituti eſſent litigantes, quum præſertim in aliqua Cauſa exadverſo ſcribat Procuraror aliquis, ſive Advocatus, Judici, vel Prælato amicus, & bonum jus non foveat, nunquam ſententia in lucem prodiret, prout evenit nobis in quadam Cauſa *Neapolitana*, ſive *Alexanen Honorarii*, in qua à biennio, & ultra fuit habitus terminus pro ſervato, abſque ulla informatione, & Cauſæ expeditione; & quum inquireremus an ullum remedium in praxi exiſteret ad obviandum hujuſmodi dilationi, ex eo quia Judex expedire Cauſam nolebat, ut fieri aſſolet, in contumaciam, & Procurator, cui defenſionem commiſimus, nihil profectò fieri poſſe ajebat; tunc a quodam peritiſſimo Juvene à ſtudiis *D. Renatii* Cauſarum Patroni magni nominis accepimus, ad Signaturam Juſtitiæ recurrendum, & de denegata juſtitia querelam exponendam eſſe.

In edicto declarationis, & extenſionis decreti ſuper abolitione Tribunalium particularium alia huic Tribunali tributa facultas eſt, *ut nempe habentes facultatem eligendi in partibus judicem ſecundarum inſtantiarum teneantur illum ibidem per unicam, & univerſalem deputationem ad omnes Cauſas deputare; & ſi controverſia emergat ſuper recuſatione, vel ſuper modo procedendi coram dicto judice deputato recurratur ad Signaturam Juſtitiæ, quemadmodum in cæteris aliis Cauſis, & negotiis fieri aſſolet*.

Aliquando Tribunal hoc Signaturam Gratiæ repræſentat, quum nempe in aliqua Cauſa ſit recurſus, ut ea proponatur in Signatura Gratiæ, & ex eo quia dicta Signatura non ita facile habetur, ſed perrarò, itaut ſæpiſſimè duo, tres, vel quatuor anni excurrant, quum pendeat a voluntate Pontificis, qui, gravioribus detentus negotiis, Principatus curam reſpicientibus, tam facilè auditum præbere nequit litigantibus, R. P. D. Auditor Sanctiſſimi ad obviandum dilationibus, ſimiles Cauſas remittit ad Signaturam Juſtitiæ loco Gratiæ; tunc enim Juſtitiæ Signatura diverſimodè procedit, & in judicando poteſt, ut ait Cardinalis *De Luca*, laxare habenas, quum illius juriſdictio intra juris limites non ſit reſtricta. Cauſæ enim, quæ proponuntur in Signatura Gratiæ ſunt eæ præſertim, quæ jam definitæ fuere per rem judicatam, itaut nullum ſuppetat ſuccumbenti remedium ordinarium pro inſtauranda nova ejuſdem Cauſæ cognitione, & ex indulgentia, ſive gratia petitur, ut denuò revideatur; indubium tamen eſt, magni momenti eas eſſe debere, ut ſupremam Principis mentem occupent; illæ etiam Cauſæ, quibus obſtant *Motus proprii* Summi Pontificis, vel clauſulæ, in

 ali-

aliquo Brevi eaſdem Cauſas tangenti adjectæ, irritantes dictæ, dignæ reputantur judicio Signaturæ Gratiæ.

In cauſis criminalibus hic etiam opus eſt, ut videamus, an ſe ingerat Tribunal hoc Signaturæ Juſtitiæ; quum enim gravamen in hiſce cauſis, æque ac in civilibus inferri poſsit a Judicibus, & Signatura, ut ſuperius diximus, judex ſit omnium, & quorumcumque gravaminum, non immeritò hic ſermonem habere decrevimus de illius auctoritate in hujuſmodi Cauſis. Et primum quando illa quæſtio emergit, an Cauſa, de qua agitur Civilis, vel Criminalis ſit, Signaturæ Juſtitiæ proprium, & peculiare eſt id declarare, juxta notata per *Cavalerium* (1), *Farinacium* (2), & *Scaccia de Judiciis* (3); itaut, ſi ab ea pro Criminali habita ſit, talis ab omnibus habenda eſt, ait *Rota* (4); animadvertit tamen *Fattinellus* (5), innixus auctoritati Cardinalis *De Luca*, ſub Pontificatu Innocentii X. invaluiſſe, ut hujuſmodi cognitio ad ſolum Eminentiſsimum Præfectum pertineret; hinc hodiedum, diſputatione intercedente, an Cauſa Criminalis ſit, vel Civilis, citatio fit coram R. P. D. Auditore Signaturæ *ad videndum prævia avocatione Cauſæ a Judice Criminali remitti Cauſam ad Judicem Civilem*; aliquando tamen, ait laudatus *Fattinellus*, vel a Sanctiſsimo, vel ab ipſo Eminentiſsimo Præfecto remittitur ad plenam Signaturam ejuſmodi declaratio. *De Luca* verò fuſius hac de re ratiocinatur, & quum rationi congruum eſſe omne id, quod oſtendere conatur, exiſtimamus, non erit inutile hic illius ſenſum referre: *Opinio viget*, ait ille, *in Curia apud ſuperficiales, quod plena Signatura Juſtitiæ non poteſt ſe ingerere in hujuſmodi Cauſis Criminalibus, neque in eis habet juriſdictionem, quæ ſola eſt Præfecti, vel ejus Auditoris; verum quando coram me de hoc diſputare contingit, advertere conſuevi, quod iſtud eſt æquivocum, conſuetum pabulum ſuperficialium, qui tanquam ſimplices teſtes ab auditu nihil ſciunt per rationes, vel per principia; improprium enim eſt, quod majorem juriſdictionem, & prærogativam habeat ſolus Præfectus, vel ejus Auditor, quam habeat totum plenum Tribunal conſtitutum ex eodem Præfecto, & treſdecim Prælatis, & quod dici poteſt ipſius Præfecti quodammodo ſuperior, dum ab ejus decretis, & proviſionibus recurritur ad plenam Signaturam, quæ frequenter retractat, vel moderatur ab eo geſta. Sed id provenit a quadam proviſione facta per Innoc. X. laudabiliter quidem, & prudenter, ne ſcilicet occaſione hujuſ-*

[1] *Deciſ.* 443. *num.* 1.
[2] *Quæſt.* 100. *num.* 77.
[3] *Quæſt.* 65. *per totam*.
[4] *Deciſ.* 52. *num.* 6. *p.* 7. *recent.*
[5] *Cap.* 7. *num.* 31.

hujuſmodi diſputationum in plena Signatura pandantur proceſſuum informativorum ſecreta, dum eſt anima Cauſarum Criminalium uſquequo poſt inquiſiti conſtitutum, ſive examen ſequatur legitimatio proceſſus, qui publicetur; atque his terminis retentis, & quando iſta ratio intrat benè procedit, ac ſervari debet; ſed quando iſta ratio ceſſat, quia nempè proceſſus jam publicatus eſſet, magis verò, ſi ad condemnationem, vel abſolutionem eſt deventum, vel alias facti circumſtantiæ præbent, quod præfata ratio nullatenus intret, tunc non videtur quid prohibeat, quin Tribunal Signaturæ deſuper manus apponere valeat ex regula cum ceſſante &c. Ideoque iſte videtur conſuetus error ſuperficialium, qui abſque alio diſcurſu cum ea procedunt generalitate, quod in Cauſis Criminalibus Signatura caret juriſdictione, quoniam dum ejus Præfectus illam exercet, dici non poteſt, quod Tribunali non competat, ſed intelligendum venit ad limites rationis, cui dicta proviſio Apoſtolica prudenter eſt innixa.

Signatura demum Juſtitiæ non reſcribit, neque ſe ingerit in Cauſis S. Congregationis Sancti Officii, etiam attingentibus merum intereſſe Miniſtrorum ejuſdem Supremi Tribunalis, quum earum cognitio pertineat eidemmet Congregationi, & ab illa committantur, juxta notata per *Marcheſanum*, (1); & *Conſtantinus* ad rem tradit (2), quemdam Miniſtrum temere contrarium attentaſſe ſub Pontificatu Innocentii XI., qui auſui temerario non arriſit.

In Cauſis reſolutis, ac deciſis a Sacris Congregationibus Urbis nec etiam ullam habet juriſdictionem, nam ſi pars aliqua alteram reſolutionem, ſive judicatum experiri velit, nova audientia expoſtulatur ab eiſdem S. Congregationibus ad effectum reviſionis judicati, quæ ſi denegetur, & de re gravi agatur, ſolet Pontifex mandare eiſdem Congregationibus, ut iterum audiant, & procedant cum voto Rotæ. (3)

Ita, & in Cauſis illis, quas cognovit Congregatio Viſitationis Carceratorum, nam ex eo quia ampliſsimæ ſunt illius facultates in procedendo, ſolus Papa apponere poteſt manus circa decreta facta in Viſitatione, poſt *Marcheſanum* (4) refert *Conſtantinus* (5). Caret etiam facultate reſcribendi in Cauſis Congregationis Baronum, quum hæc procedat appellatione remota, & quan-

 do

[1] *De commiſſ. p. 1. cap. 3. n. 201. ad 203.*

[2] *De appellatione Ann. 53. art. 1. ſect. 1. num. 24.*

[3] *Conſtantin. loco cit. num. 25. 26.*

[4] *De commiſs. p. 3. §. 1. num. 57.*

[5] *Loco cit. num. 27.*

do appellationis remedium experiundum eſt, ad Signaturam Gratiæ recurſus fieri debet, prout docuit *Rota*. (1)

Juriſdictionem ulterius non habet in Cauſis Cameralibus, ex eo quia juxta vulgarem ſententiam forenſem Tribunal Cameræ habet Signaturam in ventre, hoc eſt Cauſæ Appellationum, & gravaminum committuntur eiſdem Clericis Cameræ ab ipſomet Tribunali Cameræ; quod obſervatur in cæteris Cauſis definitis a Cardinali Camerario, Theſaurario generali, & aliis Judicibus Cameralibus; itaut ſiquis timeat exequutionem ſententiæ de ſui natura non appellabilis, prolatæ per jam dictos judices, ſolet citare coram Clerico Decano Tribunalis Cameræ pro habenda ſuperſeſſoria ad effectum diſputandi dubium in plena Camera, *an*, *& quomodo ſit inhibendum*, quæ ſi denegetur, habetur recurſus ad D. Auditorem Sanctiſsimi. Hic tamen adnotare non prætermittimus, occaſione cujuſdam edicti, emanati a Cardinali Præfecto Signaturæ, quo cavebatur, citationes circa cauſas pendentes in Tribunali R. C. Apoſtolicæ, factas coram Signatura, vel ejus Auditore, impunè ſperni poſſe, exceptis citationibus ad videndum declarari Cauſam, & Cauſam ſpectare ad alia Tribunalia, remittique ad alios Judices, excitatam fuiſse quæſtionem, an in Cauſis Cameralibus, de quibus dubitatur, an ſpectent ad Camerarii Tribunal, vel Tribunalia Cameralia, id declarandum ſit a Camerario, vel potius a Signatura Juſtitiæ; ejuſdem quæſtionis reſolutio commiſsa fuit R. P. D. *Corradino* Auditore Sanctiſsimi, a quo nulla deciſio emanata fuit, & a Camerario pro ſuis juribus tuendis in medium afferebantur plures Pontificiæ Conſtitutiones, & præſertim illa Gregorii XV., confirmans antecedentes omnes prædeceſsorum ſuorum, in quibus conceſsa fuit Cameræ, & Camerario in Cauſis Cameralibus privativa, juriſdictio, declarandi etiam illarum pertinentiam, & alia Conſtitutio Clementis VIII., qua in §. 38. præcipitur, quod *Signatura Juſtitiæ non poſſit, nec debeat, ſive reformando, ſive declarando aliquid in Camera noſtra, vel alibi in Cauſis ſpectantibus ad Camerarium prædictum reſcribere, & ſupplicationes ſignatæ nullius ſint roboris, nullamque tribuant juriſdictionem*, & in §. 40. *quod nullus Judex poſſit ab iis avocare Cauſas Camerales ſub prætextu, quod non ſint tales, & ad dicta Tribunalia non ſpectent*.

Pro parte verò Signaturæ obiiciebatur Reformatio Julii III. & Pauli V. (2), ubi decernitur, quod orta lite inter Tribunalia, ad quod ſpectet cognitio Cauſæ, debeat recurſus fieri ad

[1] *Deciſ. 230. n. 1. & ſeq. p. 19. recent.* [2] *Conſtit. 71. Tit. de Auditore Cameræ.*

ad Signaturam Juſtitiæ, ſeu ejus Præfectum; Camerales verò reſpondebant id intelligi debere de Tribunalibus A. C., Vicarii, & Fori Capitolini, de quibus loquitur, & non poſse comprehendere Cameram, & Judices Camerales, qui habent Signaturam in ventre, & quoad hoc exiſtere peculiare indultum, quod præſervatur a Conſtitutione Julii III.

At *Petra in Commentario ad Conſtitutiones Apoſtolicas*, (1) ait, omnes prædictas facultates, quibus gaudent Judices Camerales, & Cameræ Tribunal, reſpicere Cauſas verè Camerales, & in quibus Fiſci intereſſe concurrit, & citatur Commiſsarius Cameræ, ut enunciatur in dictis reformationibus, in cæteris autem Cauſis indifferentibus inter privatos, quas ſibi competere prætendunt Camerales ratione adminiſtrationis alicujus muneris Cameralis, quod exercetur a prædictis privatis perſonis, non eſse excludendum jus Signaturæ; tunc enim conſideratur, Cauſam non eſse Fiſcalem, ſed privatam, alias ſequeretur, quod omnes privatorum Cauſæ introduci valerent ex calumnia litigantium in Camera, abſque eo, quod a proprio Tribunali ſuperiori poſsint coerceri.

Pluribus exemplis ſe tuebatur etiam Tribunal Signaturæ hujuſmodi, nempe, declarationum in ſimilibus Cauſis, vel ad favorem Cameræ, vel etiam aliorum Judicum, factarum ab Auditore Signaturæ, & a Signatura plena, immo ſuper Cauſarum pertinentia inter ipſa Tribunalia Cameralia, ſpectare nempe ad Camerarium, non ad Theſaurarium; & eapropter inconcuſsam eſse praxim oſtendebat, ut Notarii Camerales accedant ad audientiam Signaturæ. Cardinalis *De Luca* de hujuſmodi quæſtione verba faciens (2) remedium præſcribit, ut ad tollendas ambages juriſdictionis, congruat Summum Pontificem hujuſmodi diſputationi finem imponere in ſua Signatura Gratiæ, & quatenus validum recognoſceretur privilegium Camerale, deputare Signaturam Juſtitiæ, ut procedat in hujuſmodi pertinentiis Cauſarum loco Signaturæ Gratiæ, ne diù hujus congreſsum expectare cogantur litigantes, & dilationibus via aperiatur. *Petra* demum (3) aliter ſentit, dum ait, optime conſultum ita non eſse, quia non omnes Cauſæ merentur adire plenam Signaturam, ideoque requireretur Auditoris deputatio, coram quo frequentes inſtantiæ fieri poſsent, qui utique eſse deberet Auditor Sanctiſsimi, ut ad eum recurratur in hiſce Cauſarum pertinentiis, quæ frequentiſsimè occurrunt, quatenus, proſequitur ille, nolit eam cognitionem Summus Pontifex remittere ei-

[1] *Tc. 4. in Conſtit. 1. Urbani VI.*
[2] *Diſc. 47. Relat. Cur. Rom.*
[3] *Loc. citat. num. 42.*

eidem Camerario, qui ſicut, nefas non eſt, ut judicet in cauſa propria Fiſci, ita neque, ut declaret Cauſam ad ipſum ſpectare, prout in Cauſis Miniſtrorum S. Officii obſervari refert Cardinalis *De Luca*.

Quoad Cauſas inſtructas, & definitas in Foro Capitolino, quamvis a *Fenzonio ad ſtatuta Urbis* (1) habeatur, tam ex ſtatuto, quam ex litteris Apoſtolicis non eſſe verum ſimpliciter id, quod vulgò dici ſolet, Signaturam Juſtitiæ non reſcribere, ex eo quia reſcribit eadem Signatura ad Judices Capitolinos in caſu prorogationis fatalium, & generaliter in omnibus caſibus, præterquam in iis, quibus per Statuta Urbis plenè proviſum eſt; attamen hodiè juriſdictio Signaturæ ſilet in Cauſis reſolutis in Foro Capitolino; nam è reformatione Curiæ facta per Innoc. XI. poteſtas Præfecti Signaturæ collata fuit Domino Capitaneo appellationum dicti Fori, itaut in omnibus illum repræſentet.

Nec habet in facultate aperiendi os adverſus clauſulas, *ſublata*, *& decretum irritans*, vel *quod de ſubreptione*, *& obreptione dari non poſſit*, appoſitas in litteris Apoſtolicis, Chirographis, vel Brevibus Papæ, tradit *Rota* (2); nam proprium, & peculiare jus eſt alterius Signaturæ, nempe Gratiæ, ex eo quippe principio, quod Signatura Juſtitiæ non facit reſcripta gratioſa, aut aberrantia a juris diſpoſitione, quum ſolum reſcribat, *prout de jure*, ut advertunt *Rebuffus* (3), *Staphilæus* (4), & *Sacra Rota* (5). Et ex eodem ſanè principio quiſque intelligit, non poſſe etiam reſcribere Tribunal prædictum cum clauſula, *appellatione remota*; ea enim clauſula a Pontifice tantum in commiſſionibus apponi poteſt, juxta textum (6), quem ſequuntur *Marcheſanus* (7), & *Lotterius*. (8)

Nequit quoque immutare Judices datos a Pontifice executores litterarum Apoſtolicarum, quum ille tantum poſſit eos mutare, hinc ad eumdem recurrendum eſſe *Amayden* (9), ac cæteri alii docent, relati per *Conſtantinum* (10); nec ſignare poteſt commiſſiones in Cauſis, in quibus adeſt commiſſio ſignata manu Papæ, id enim fit ob reverentiam, quæ eidem debetur; ita etiam ſe abſtinet a reſcribendo in appellationibus Cauſarum priuſquam ſenten-

ten-

[1] *Annot. cap. 43. num. 2.*

[2] *Deciſ. 1020. n. 3. coram Seraphino.*

[3] *In Praxi p. 1. de differentia inter reſcripta Gratiæ &c. num. 15.*

[4] *De litt. Juſtitiæ verſ. ſecundum eſt.*

[5] *Deciſ. 658. num. 1. part. 18. recent. tom. 2.*

[6] *In leg. 1. §. Interdum Dig. a quibus appell. non licet.*

[7] *P. 1. cap. 8. num. 1.*

[8] *De Re beneſ. in apparat. lib. 1. n. 117.*

[9] *De ſtilo Datariæ lib. 1. cap. 5. n. 41.*

[10] *Loc. cit. num. 35.*

tentia lata ſit, ut refert *Calcagninus in praxi* (1). Cæteræ demum materiæ, quæ meram, & ſupremam auctoritatem reſpiciunt, ad Signaturam Gratiæ pertinent, ut eſt potiſſimum leges tollere, ſtatuta, & privilegia contenta in corpore juris, & de his fuſius agit *Staphilæus*.

Abſoluta demum tractatione Juriſdictionis Signaturæ, pauca adnotare duximus quoad Juriſdictionem Referendariorum ſimplicium, quam eos habere, in comperto ſatis eſt, at difficultas in eo verſatur, num ordinaria ſit, vel delegata; Equidem in Cauſis, quæ de ſui natura Rotales non ſunt, quæque appellantur Prælatitiæ, pro jure certo habetur, illarum cognitionem vigore Commiſſionis Tribunalis Signaturæ Referendariis demandari; metiuntur idcircò Juriſdictionem a Commiſſionibus, & Judices Commiſſarii, Cauſæque Commiſſariæ appellantur; hinc delegatam tantummodo illos habere Juriſdictionem in Cauſis decidendis omnes profectò affirmant; at Referendarios noſtros Judices datos potius, quam Delegatos appellandos eſſe cenſemus: Erant enim Romæ, & in Provinciis judices dati, qui in decurias, inque album à Prætore, vel Præſide referebantur, eoſque ſelectos appellat *Cicero in Oratione pro Cluentio*; ex horum judicum numero, qui aut ſorte, aut litigantium conſenſu ſingulis negotiis dabantur, Judices dati dicebantur; Juriſdictionem verò nullam habebant, tantummodo namque notio, ſive cognitio controverſiæ, & ſententiæ prolatio eiſdem competebat, exequutio verò ad Magiſtratum, à quo dati erant pertinebat, juxta legem *a divo Pio 15. Digeſt. de re judicata*; quum igitur certum ſit, Referendariis nullam Juriſdictionem ineſſe, niſi poſtquam Emus Vicecancellarius, ſive Cancellariæ Regens unicuique certas Cauſas aſſignavit, ſive commiſit, dicendum profectò eſt, delegatos dici non poſſe, ſed tantummodo datos Judices, quibus notio dumtaxat competit; & reverà, quando lata ſententia ab iiſdem exequenda eſt, id fieri non poteſt, niſi Commiſſio Exequutorialis obtineatur ab eodem Signaturæ Tribunali.

Quum ergo Referendarii jus dicere ſolent in Cauſis hujuſmodi, oportet idcircò aſſumi ad eam dignitatem viros in jure, & praxi Curiæ verſatiſſimos, illiſque dotibus, ac prærogativis donatos, quæ optimum judicem conſtituunt; tales enim eos exiſtimat Summus Pontifex, quum in Commiſſionibus, quæ illis diriguntur, Magiſtros vocat, ita & in cæteris actibus, in quibus de Referendariis ſermo habeatur.

Et

[1] *Num.* 21.

Et ex eo quia de Cauſis Commiſſariis ſermo hic occurrit, extra rem quippe non erit aliqua adnotare, quæ munus Referendariorum reſpiciunt quoad hujuſmodi Cauſas; hinc quando Cauſa alicui Signaturæ Referendario committitur, coram eo tranſportantur acta prioris inſtantiæ, & producuntur in actis Notarii Archivii, in cujus Officio fiunt citationes neceſſariæ coram dictis Judicibus Commiſſariis producendæ; quæ quidem citationes fieri debent ex inveterato ſtilo perſonalitèr, ut teſtatur *Saluſtius Tiberius* (1), non autem, ut moris eſt in cæteris Tribunalibus, domi dimiſſa copia, & ratio differentiæ ea pridem erat, quia cæteri Judices dies fixos audientiæ habebant, Commiſſarii verò ſecus, coram quibus idcircò pars adverſa citanda erat pro die, & hora certa, at hodie iidem illos Audientiæ dies ſervant, qui à S. Rota obſervantur.

Eſt & alia differentia inter Commiſſarios, & cæteros alios judices, nam Commiſſariorum Judicum Juriſdictio expirat, ſtatim, ac feriæ Rotales indictæ ſunt, à menſe nempe Junii, uſque ad integrum menſem Septembris, itaut ſi pars aliqua litem proſequi deſiderat, obtinenda primum eſt Commiſſio, quæ dicitur *derogatoria feriis*, jam ſuo loco tranſcripta. Expirat etiam illorum Juriſdictio, dum Sententias ferendo functi ſunt officio ſuo, itaut, ſi quid ab eis explicandum ſit, nova indigent Commiſſione; nec ſuper reliquis annexis, & connexis manus apponi poſſunt ab aliis judicibus ordinariis, quum ea pertineant ad eos Judices, quibus Cauſa primum commiſſa fuit; ita etiam quando ad Cauſam admittendus ſit aliquis intereſſe habens, id à Commiſſariis judicibus fieri non poteſt, niſi pro hujuſmodi admiſſione Commiſſio prius impetrata fuerit, & deinde pars ex adverſo citetur ad *dicendum contra Commiſſionem, & videndum juxta illius formam mandari procedi*, juxta notata per *Ridolphinum in praxi*.

Conſtitutio à Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto XIV. promulgata ſub *datum Romæ VI. Non. Octobris* 1746., qua diſtinctio fuit præſcripta inter Cauſas Rotales, & Prælatitias, tangit etiam dictorum Judicum munus; quum enim non omnes Cauſæ illis committi poſſunt, recta ratio expoſtulat, ut ſciatur, quænam iis ſint committendæ, quæ verò non; eapropter hic monere debemus, dicta Conſtitutione cautum fuiſſe, ut Cauſæ graviores omnes, quæ in Romana Curia, tam in Tribunali Emi Vicarii, quam coram A. C. in prima inſtantia judicatæ, & definitæ reperiuntur, in

(1) *Lib.* 1. *cap.* 51. *n.* 3. *&* 5. *& lib.* 2. *cap.* 41. *n.* 1.

in ſecunda inſtantia nullatenus Prælatis extra Rotam, nec ipſis Rotæ Auditoribus, uti Prælatis, tam in poſſeſſorio, quam in petitorio committi unquam poſſint, & debeant, ſed quidem tam in petitorio, quam in poſſeſſorio Judicio ejuſdem Rotæ Auditorio omninò eſſe, & fore committendas. Quum verò Cauſæ graviores hujuſmodi ad Romanam Curiam deferantur in gradu Appellationis à Sententiis, & Judicatis quorumcumque Judicum de partibus, liberum quidem ſit Parti appellanti pro ſuo arbitrio, vel eas immediatè ad ipſum Rotæ Auditorium committi facere, vel, ſi maluerit, ad prædictum Cardinalem Vicarium, ſeu ad Cauſarum Curiæ Cameræ prædictæ generalem Auditorem, juxta eorum Tribunalium congruas facultates, appellationem interponere. Si autem ulteriori Appellationi locus ſit, Rotæ tantum Auditorio eas committendas ſancitum fuit, nunquam vero Prælatis extra Rotam, neque ipſis Auditoribus uti Prælatis.

Cauſas verò minus graves, in prima inſtantia in dictis duobus Tribunalibus etiam definitas, in gradu Appellationis committendas eſſe, ſtatuit Summus Pontifex eademmet Conſtitutione, omninò Prælatis extra Rotam, vel Rotæ Auditoribus uti Prælatis; illas tamen de partibus judicandas eſſe in ſecunda Inſtantia in dictis Tribunalibus Cardinalis Vicarii, & A. C. juxta eorum reſpectivè facultates; in ulteriori verò inſtantia, quatenus ei ſit locus, committendas Prælatis extra Rotam, vel etiam ipſius Rotæ Auditorio, ſalva tamen collitigantibus facultate recurrendi ad Signaturam Juſtitiæ in caſibus purgationis ſpolii, attentatorum, nullitatis prædictorum Judicatorum, aliorumque Decretorum, ac actorum, quorum circumſcriptio coram eadem Signatura petitur; & tunc liberum eſt arbitrium ejuſdem Signaturæ, dictas Cauſas minus graves committere alicui ex Prælatis, aut remittere ad Cardinalem Vicarium, vel ad A. C., juxta earum qualitates, illorumque facultates.

Graviores, ac proinde Rotales Cauſas cenſendas eſſe, laudata Conſtitutione edocemur, eas omnes, in quibus de *Juriſdictione* agitur, *exemptionibus*, *adoptionibus*, *ſponſalibus*, *filiationibus*, *legitimitatibus*, *præeminentiis*, *præcedentiis*, *Juribus quoque patronatus*, *aliiſque honorificis nominandi*, *eligendi*, *& ſimilibus*, *aut de Jure decimali*, *quotizandi &c.* Necnon Cauſas etiam *ſervitutis perſonalis*, & generaliter omnes & ſingulas Cauſas pecuniarias, & profanas tum citramontanas tum ultramontanas, attingentes, nimirum illas ſummam quincentorum ſcutorum auri, has vero mille ſcutorum auri ſimilium.

Inter graviores Cauſas recenſuit quoque Beneficiales, in quibus

bus agitur de titulo Beneficii ; ac de Jure in re , vel ad rem , nempe ad ipſum Beneficium; item Cauſas Penſionis Eccleſiaſticæ, & reſervationis fructuum , redituum , & proventuum Eccleſiaſticorum, quoties annuus valor Beneficii litigioſi, & Penſio , ac quantitas dictorum fructuum excedant ſummam 24. ducatorum auri de Camera ; eiſdemque æquavit etiam illas , in quibus agitur de primis Dignitatibus Eccleſiaſticis , prima nempe poſt Pontificalem in Cathedralibus, & prima in Collegiatis, cujuſcumque valoris ſint. Matrimoniales demum, tam ſuper fœdere Matrimonii, quam ſuper divortio , & illas nullitatis profeſsionis Regularis, etiam accedente conſenſu partium, Prælatis, vel Rotæ Auditoribus uti Prælatis, committi nequaquam poſse decrevit.

Minus graves vero ſunt omnes illæ pecuniariæ , & profanæ quarum valor citra montes attingit ſcuta auri 500., ultra montes verò ſcuta 1000. ſimilia, Beneficiales, Penſionum, & reſervationis fructuum 24. ducatorum auri, exceptis ſemper dignitatibus, ut ſuperius diximus; at quia quandoque veri valoris æſtimatio in quibuſdam Cauſis haberi nequit , & proinde pertinentia earumdem determinari nec poſsit, ideo in eadem Conſtitutione certa traditur regula, ut nempe quoad cenſus redimibiles , ac conſtitutos ad formam Bullæ Pianæ attendatur qualitas, & valor ſortis, quoad reſervativos verò, livella , canones , ac cæteras annuas præſtationes , tanquam debitas ex certo fundo, ratio habenda ſit valoris fundi, ſuper quo vel cenſus reſervatus, aut livella, annuæque præſtationes conſtitutæ reperiuntur; in Cauſis demum ſervitutum realium, vel mixtarum, quod valoris cognitio a prædii ſervientis æſtimatione deſumeretur, ea ſemper adhibita diſtinctione Cauſarum citra, & ultra Montes.

Si tamen partes conſenſerint , exceptis Matrimonialibus , & nullitatis Profeſsionis Cauſis , graviores etiam Prælatis committi poſsunt, & minus graves Rotæ Auditorio; earumdem vero conſenſus expreſsus apparere debet a tergo commiſsionis , nec aliter fieri poteſt ; qui quidem conſenſus ſi præſtitus fuerit pro commiſsione Prælatis dirigenda, Cauſa committi non poteſt Rotæ Auditori tanquam Prælato , & commiſsioni addenda eſt a Reviſore clauſula illa, *attento conſenſu partium*; alias non modo nullæ, & irritæ , ſi ſecus factum ſit , reputantur omnes , & quæcumque commiſsiones , verum nulla juriſdictio eidem Rotæ , ac Prælatis jam dictis ullo unquam pacto conceſsa cenſetur.

Diximus ſupra, Notarium dictorum Judicum illum nunc eſſe, qui Archivii dicitur ; nam olim quodlibet Romanæ Curiæ Tribunal, proindèque Cauſarum quoque Palatii Apoſtolici Auditores ſuos pro-

proprios Notarios habebant, & tantummodo S. R. E. Cardinales, ac ipſius Curiæ Prælati, quibus per ſpeciales Summorum Pontificum commiſſiones Cauſarum cognitiones delegantur, certos, ac proprios Notarios non habebant; eapropter in Cauſis ſibi commiſſis, quem maluiſſent, ad ſcribendum, & actitandum aſſumere poterant. Erecto poſtmodum a Julio Papa II. Collegio centum, & unius Virorum, qui Scriptores Archivii Romanæ Curiæ appellati fuerunt, idemmet Pontifex juſſit, dicti Collegii Scriptores in poſterum Notarios omnium Judicum Commiſſariorum eſſe debere, exceptis iis, qui peculiares habuiſſent Notarios, & Cardinalibus; S. Pius V. deinde 15. *Kalend. Auguſti anno* 4. facultatem dedit eidem Collegio Scriptorum eligendi Notarios Actuarios, & recenſitum, jus ampliavit ad Cauſas etiam Cardinalibus commiſſas, conlato dictis Notariis privativo jure ſcribendi in Cauſis prædictis, prout eruditiſſimè, ut aſſolet, Sanctiſſimus D. N. BENEDICTUS XIV. in Conſtitutione, edita *anno 1746.*, oſtendit.

Citationes verò in Cauſis Commiſſariis exequi debent per Curſores A. C., prout etiam fit ſi Cauſa aliqua per Apoſtolicam commiſſionem in Foro Capitolino promoveatur; in ea namque a Curſoribus jam dictis, non autem a Mandatariis, qui Nuncii, & Exequutores ſunt ejuſdem fori, fieri debent, ut adnotat *Lucas Pætus in praxi Fori Capitolini* (1).

Nunc deſcendamus oportet ad ea, quæ gerenda ſunt coram Judicibus Commiſſariis, dum inſtantia promovetur; & ex eo quia illorum juriſdictio firmata non dicitur, niſi commiſſio exhibeatur citata parte; idcirco facta illius præſentatione in Broliardo, quo nomine in Curia Romana vocatur Regeſtum actorum, ſequens citatio tranſmittitur.

R. P. D. Macedonio Judice Commiſſario.
Spoletana Cenſus.

Citetur N. N. ad dicendum contra commiſſionem in actis ultimo loco præſentatam, & juxta illius formam & tenorem videndum mandari procedi, & inhiberi ad ſtatim, & interim quandocumque ad p. d. inſtante N. N. principali, ſive &c.

Archivium.

Et hujuſmodi citatione tantummodo opus eſt, quando exhibetur prima, & principalis commiſſio; nam ſi commiſſio ſecunda erit, dicta citatio non requiritur, quum ſufficiat ea, quæ facta fuit adverſus primam commiſſionem, qua juriſdictio firmata fuit, jux-

G 2

(1) *Lib.* 1. *cap.* 5.

juxta ſenſum *Rotæ in Romana Vineæ de Fabris 24. Maji 1602. coram Litta*, apud *Marcheſanum* (1) impreſſa. Idemmet, dicunt fori ſapientes, obſervandum eſſe, quando agitur de commiſſione non principali, ſed acceſſoria & dependenti, prout cenſuit eadem *Rota in novis deciſ. 15. de Reſcriptis*. Sunt etiam nonnulli caſus, in quibus dicta citatio neceſſaria haud reputatur, & præſertim ſi commiſſio reformatoria ſit (2), vel quando utraque pars commiſſione uſa eſt (3).

Præcipuum verò effectum antedictæ citationis illum eſſe edocemur, ut communis reddatur commiſſio, & fiat de actis; itaut ullo unquam modo qui illam obtinuerit, &, hujuſmodi citatione tranſmiſſa, coram Judice exhibuerit, amplius nequeat pœnitere (4). Et quando reproducta fuerit, lis etiam ex illa probatur (5). Deſcendit enim hæc praxis ab illa notiſſima ſententia, quæ in Curia invaluit, commiſſionem qui obtinuit, non poſse cogi, ut illa utatur, licet adverſarius illam præſentaverit, ex eo potiſſimum, quod quum favorem impetrantis contineat, ipſe poſſit etiam eidem commiſſioni renunciare, prout Doctores firmant auctoritate *legis quod favore Cod. de legibus*. Hæc enim ratio reſpicit commiſſiones illas, quæ *ſub Banca* expediuntur, ſecus tamen eſt, quando fuerunt propoſitæ in plena Signatura utraque parte informante, & reſcribatur favore potius alterius, quam impetrantis, qui ſi illam expedire noluerit, tunc adverſarius dat aliam commiſſionem, qua petit, & obtinet, propoſitam, ac ſignatam primam commiſſionem fieri communem, & eam producit parte citata.

Adverſus commiſſionem jam coram Judice Commiſsario exhibitam non poteſt dici de invaliditate, neque in Curia de illius viribus diſputari, vel ſubreptionis, obreptioniſque vitium eidem opponi, quum facilem habeant partes aditum recurrendi ad Signaturam pro reformatione, quatenus opus ſit, controverſæ commiſſionis; ſecus verò quando aliquam habeat clauſulam conditionalem, diſputandum tunc primo loco erit de conditionis implemento, & deinde ad ulteriora proceditur.

Illud hic tenendum eſt, quod ſi citatio fit in Curia, ſufficit tantummodo editio, ſive præſentatio commiſſionis in actis; quum verò citatio *ad dicendum contra*, & ad totam cauſam dirigatur extra Curiam, tunc inſerendus eſt tenor commiſsionis; &

Pu-

[1] *Part. 1. cap. 3.*
[2] *Caputaquen deciſ. 324. num. 5. p. 1.*
[3] *Coccin. deciſ. 169. num. 7.*
[4] *Puteus deciſ. 70. lib. 2. Rota in Giennen Canonicatus 5. Junii 1604. coram Penia.*
[5] *Gregor. deciſ. 94. num. 2.*

Puteus cum Achille (1) cenſet, non a jure, ſed ex communi Doctorum ſententia hujuſmodi praxim invaluiſse. At inficiari non poteſt, rectam judicii methodum id exigere, ut Adverſarius de controverſia adverſus ſe mota inſtruatur, & ita deliberare poſsit, num cedere, vel jus ſuum experiri debeat; quod quidem facile redditur ei, qui in Curia citatur, quum ad acta recurrendo de Adverſarii inſtantia certior fit, difficile è contra illi, qui extra Curiam reperitur, & proinde in citatione tenor etiam commiſsionis tranſcribitur.

Qua quidem citatione reproducta in prima die juridica, quæ vel Lunæ, vel Mercurii, vel Veneris eſse ſolet in Cauſis Commiſsariis, ex eo quia in his tantum diebus habetur audientia a Judicibus Commiſsariis, fit Decretum, prout ſequitur, *N. N. petiit, & obtinuit inhiberi, & mandari procedi juxta illius formam, & tenorem omni &c.*; & deinde, vel producenda ſunt nova jura, inſtrumenta, nempe, ac aliæ publicæ, privatæque ſcripturæ, una cum actis prioris inſtantiæ, & fit citatio, quæ dicitur *contra Jura*, prout fit in prima inſtantia, & coram ordinario Judice; vel revocanda ſunt attentata, & citatur *ad videndum revocari*; fiunt denique ea omnia acta, quæ ſibi ad cauſæ propitiam expeditionem quiſque utiliora exiſtimet, & quæ coram ordinario Judice quoad Scripturam, Summarium, & Informationem fieri ſolent.

Priuſquam verò a Commiſsario Judice ſententia fiat, ea pernecesſè citatio præmittenda eſt, quæ dicitur ad *terminos ſubſtantiales*, & duplex eſt, una pro judicio ordinario, altera pro Summario; utriuſque formulam inferiùs ſubnectemus, nam convenit modò, qua de cauſa fiant, adnotare. Ordo ſiquidem judiciorum eſt, ut Adverſarius citetur, & judiciorum ſubſtantialia ſerventur, hoc eſt, actus omnes, qui fiunt ad ordinandum judicium, litis conteſtatio, concluſio in Cauſa, calumniæ juramentum, & cætera, quæ telam judiciariam reſpiciunt; in Romana Curia verò, ut celerem finem haberent lites, Summi Pontifices ſanxerunt, & præſertim Urbanus V., terminos ad dicta ſubſtantialia judicii adimplenda ſervari, dilationes concedendo pro iiſdem actibus, licet non fiant, ita namque reus interpellatur ad exequenda dicta acta Judicialia ſi velit. Et quia aliquando quæſtio inter partes erat, an dicti termini benè ſervati, vel ne fuiſsent, Innocentius VIII. juſsit ad tollendas quaſcumque diſputationes, ut Auditores Rotæ ad reiterationem nulliter, vel malè obſervatorum terminorum, partes, ſeù col-

[1] *Deciſ. 241. n. 1. lib. 3. Deciſ. 10. de Dolo, & Contumacia.*

collitigantes, eorumve Procuratores admittant, ut videre eſt in ejus Conſtitutione 13. §. 5. *in Bullario novo*; & eamdem facultatem poſtea Pius IV. tribuit cuilibet alio Judici Romanæ Curiæ (1). Hinc duplici citatione rectè inſtructum judicium dicitur in Curia, una ad terminos ſubſtantiales, altera ad reiterationem, quæ fit inſimul cum citatione ad ſententiam; & rectiſsimè id fieri arbitramur, quum ita exulant a Romana Curia tot, tantæque controverſiæ, nullitatem actorum reſpicientes, quæ in cæteris aliis ditionibus adeò vigent, ut paſsim longiſsimi temporis curſum abſumant, & expenſæ eo majores ſint æſtimatione rei, de qua agitur.

Citationis Formula.

In Cauſis Commiſſariis Summariis ad terminos ſubſtantiales.
R. P. D. Macedonio I. Commiſſario.

Citetur D. N. N. ex adverſo Procurator D. N. ex adverſo principalis ad dicendum contra Commiſſionem, & libellandum ad primam diem, articulandum ad octavam, dicendum contra articulos, producendum omnia, & dicendum contra producta ad ſecundam, necnon declarandum, & jurandum de calumnia in terminis ſubſtantialibus ad primam diem, Inſtante &c.

In ſecunda, & tertia Inſtantia earumdem cauſarum fit ſimilis citatio cum breviori tamen dilatione, nam præter terminum ad articulandum ſervantur cæteri termini ad primam diem, juxta Conſtitutionem Martini V. (2).

Sequens citatio differt a prima, ex eo quia judicium Summarium ab Ordinario differt; & quidem non ratione cognitionis Cauſæ, quæ in omni judicio adhibenda eſt, neque ratione probationum, quum ſemper partes probare debeant actionem, vel exceptionem propoſitam, ſed ratione dilationum, quæ in ſummariis breviores ſunt, in ordinariis vero longiores; in Curia idcirco, quando agitur de Cauſis ordinariis dantur decem termini ſubſtantiales, ſcilicet ad dicendum contra Commiſsionem, & libellandum, reſpondendum libello, conteſtandum litem, jurandum de calumnia, articulandum, dicendum contra articulos, producendum omnia, dicendum contra producta, ac declarandum; in ſummariis vero ſervantur ſolummodo octo termini ſubſtantiales, prout videre eſt in ſuperius relata citationis formula.

Citatio ad terminos ſubſtantiales in Commiſſariis Ordinariis Judiciis.
R. P. D. Macedonio I. Commiſſario.

Citetur D. N. N. ad dicendum contra commiſſionem ad p. d. ad li-

[1] *Conſt. 59. Bull. nov. lib. 2.*

[2] *Bull. 5. §. 21. tom. 1.*

libellandum ad 8. ; *reſpondendum libello* , *litem conteſtandum ad primam diem*, *articulandum ad* 15. , *dicendum contra articulos*, *producendum omnia* , *&* *dicendum contra producta ad ſecundam*, *necnon declarandum* , *&* *jurandum de calumnia ad p. d. inſtante &c.*

Noviſſimo loco fit citatio illa, quæ dicitur reiterationis terminorum, & ad ſententiam diffinitivam, quæ in uſu etiam eſt coram judicibus Ordinariis; quam quidem citationem Notarius in die ſolitæ audientiæ legit coram ipſo Judice, qui tunc habet terminum pro ſervato, & ipſemet Notarius ibidem ſcribit *pro ſervato*; qui terminus in Rota eſt dierum viginti ad ſubſcribendum, & promulgandum ſententiam, & in ultima anni audientia durat per menſem; coram Auditore Cameræ, aliiſque Judicibus tam Civilibus, quam Criminalibus eſt tantummodo dierum decem, eodemque termino pendente Judex deliberare debet pro ſubſcriptione, & promulgatione ſententiæ; qua de re ſi cauſam, de qua agitur, expedire velit, Notarius ſcribit in eadem citatione inſtantiam partis hoc modo, *Idem petiit* , *&* *inſtetit* , *ac obtinuit terminos reiterari in forma* , *&* *abſolvi a cenſuris* , *ſi quibus &c. ad effectum &c. petens amplius*, *&* *inſtans* , *ut ſupra omni meliori modo*. Et deinde Judicis decretum adnotat hiſce verbis.

Ex tunc Illuſtriſſimus Dominus ſedens &c. pronunciavit , *&* *ſententiavit prout in cedula*, *quam facto legit* , *&* *mihi Notario dedit*, *tenoris &c. omni meliori modo &c. ſuper quibus &c. præſentibus N. N.*, *&* *N. N.*

Demum ſententia pronunciatur, & ſubſcribitur a Judice per hæc verba, *Ita pronunciavi Ego N. N. Judex Commiſſarius*; & ideo ultra nomen proprium exprimitur etiam illud dignitatis, & officii, ut pateat ſe uti judicem pronunciaſse, non autem uti privatum; at quia diximus ſupra, Judicem pronunciare, prout in cedula, adnotare duximus, de Jure Communi ſententiam nullo pacto valere, niſi libello conformem; æquum enim eſt, ait lex *de qua re dig. de Judiciis*, ut, de qua re Judex cognoverit, pronunciare cogatur; & eapropter praxis Romanæ Curiæ eſt, ut loco libelli, ſive petitionis Procurator illius partis, cujus favore ſententia ferenda eſt, cedulam ſententiæ conficiat, quam poſtea Judex, ea benè ponderata, & correcta, ſi opus fuerit, ſubſcribit, & Notarius adnotat in Regeſto.

Et priuſquam hujuſmodi ſententiam ſubſcribat Commiſſarius Judex ad evitandas tres illas nullitates, quæ in Curia cæteris poſthabitis attenduntur, defectus nempe juriſdictionis, mandati, & citationis, opus eſt, ut animadvertat, quam habeat juriſdictionem; & proinde commiſſio-

ſionem obſervare debet, & an pars citata fuerit ad dicendum contra eam, & deinde Procuratorum mandata ſi legitima ſint, & ſufficientia, demum verò citationes, num nempè legitimè factæ reperiantur ad terminos ſubſtantiales, ſi exequutæ, ac reproductæ fuerint in actis, & eapropter dum ſententia ſubſcribenda eſt, Notarius eidem Judici dictas citationes originales exhibet. His omnibus a Judice præcognitis, tenore nempe commiſſionis, & citatione ad dicendum contra, e qua dignoſcitur, quod firmata fuit illius juriſdictio, mandatis Procuratorum, è quibus patet legitimatio perſonarum, quæ in judiciis præcipuum locum obtinere debet, & demum citatione partis ad terminos ſubſtantiales, illorumque reiterationem, & ad ſententiam, dubium nullum remanet de proceſſu ordinato, & valido.

In eiſdem Cauſis expediendis per definitivam ſententiam, omninò obſervare debent Judices Commiſſarii declarationes particularis Congregationis, deputatæ a Summo Pontifice Clemente XI., tangentes ſportularum, ſive propinarum, exactionem, quæ ſequenti ordine in Conſtitutione reformatoria ejuſdem Pontificis (1) recenſentur; primo in cauſis, in quibus procedunt vigore unius commiſſionis, non liceat eis exigere niſi unicam tantum propinam, juxta taxam in reformatione Pauli V. editam, ac in litteris Innoc. XI. & XII. confirmatam, etiamſi in commiſſionibus fuerint expreſſa, & incluſa diverſa credita, ſeù bona, diverſæ actiones, & diverſæ perſonæ; ac etiam non obſtante, quod ad inſtantiam collitigantium, vel alterius ipſorum fuerint diviſa, & diſputata diverſa dubia, ſeparatæ prodierint deciſiones, latæque ſeparatæ ſententiæ.

In cauſis verò, in quibus definitum fuit conſtare de credito unius ex collitigantibus in aliqua certa, & determinata ſumma, in monitorio, ſeù commiſſione petita, diſcutienda in alia inſtantia, ſive judicio, taxatio ſportularum erit regulanda a rata ſummæ in ſententia definitæ, non autem a tota ſumma in monitorio, ſeù commiſſione deducta; in illis, quæ creditorum concurſum reſpiciunt, unica tantum propina exigenda eſt, habito tamen reſpectu ad integram ſummam, & ſolvenda tamen eſt prò rata ab omnibus creditoribus.

Quando autem commiſſiones contineant clauſulam, *docto de paupertate unius ex collitigantibus Judex procedat abſque ſolutione ſportularum, ſeù propinæ*, nullo modo poſſunt Commiſſarii Judices exi-

[1] *Conſt.* 222. *ann.* 1715. 22. *Junii*.

exigere ſportulas, ſeù propinam ab ulla ex partibus; quamvis divite, aut ſpontè dante; renunciatione demum facta liti, eiſdem Judicibus non licet quidquam recipere pro ſportulis, ſeù propina, ſub quovis prætextu etiam taxationis expenſarum, ſublatis, ac penitus revocatis quocumque decreto etiam Rotæ, uſu, ſeu conſuetudine contraria, & quibuſcumque aliis in contrarium facientibus.

At quid agendum ſit, videamus oportet, quando una, vel altera pars recuſationis querelam adverſus Judicem Commiſſarium proponere velit, ſive ſuſpectum habeat; tunc enim, ſi appellans emiſerit jam citationem ad dicendum contra Commiſſionem, & fuerit elapſus tertius dies, ullo pacto ab ipſo recuſari Judex non poteſt, nam approbatus cenſetur, & commiſſio communis effecta; & idem dicendum de appellato, ſi, appellantem præveniendo, dicta acta judicialia agat; & prout ille ante citationis exequutionem recuſare Judicem poteſt, ita & iſte, qui, ſi citatus fuerit ad *dicendum contra*, poteſt Judicem electum allegare ſuſpectum: eapropter ſit proteſtatio in *Broliardo*.

Die N. menſis N. anni N.

Pro D. N. *contra* D. N. N.

In Officio mei &c. comparuit D. N. N. Procurator, & medio juramento tactis &c. allegavit ſuſpectum, ſuſpectiſſimum R. P. D. N. *ideoque proteſtatus fuit nihil fieri, niſi concordato de alio judice, alias de nullitate &c. petens &c. omni &c.*

Et deinde ab eo, cujus intereſt cauſam celerius definiri, & eapropter ad ulteriora procedi, ſit citatio coram R. P. D. Regente Cancellariæ, per acta ejuſdem Notarii officii Archivii.

R. P. D. *Regente Cancellariæ ſive &c.*

Nepeſina Dotis.

Citetur D. N. N. *ex adverſo Procurator aſſertus* D. N. N. *ex adverſo Principalis ad concordandum de alio Judice in locum* R. P. D. N. N. *ſuſpecti allegati, & dandam liſtam confidentium, & diffidentium, quatenus dare intendat, alias videndum per Illm̃um, & Rm̃um Dominum deputari ex officio, & decretum &c. ad primam diem &c. inſtante* D. N. N. *Principali, ſive &c.*

Archivium.

Ab eodem Domino Regente ſit decretum: *relatione facta comparuit* D. N. N. *Procurator petiit, ut ſupra. Ex tunc Illm̃us, & Rm̃us Dominus mandavit dari liſtam, ut ſupra cum intimatione omni &c.*

Tranſmittitur poſtea dicti decreti intimatio cum citatione ad dandam liſtam.

R. P. D. Regente Cancellariæ, ſive &c.
Nepeſina Dotis.

Intimetur D. N. N. &c. qualiter Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus mandavit dari liſtam, & alias, prout in actis; ideo citetur idem ad dandam ſuam, alias videndum deputari Judicem ex officio, & decretum &c. ad p. d. inſtante D. N. N. Principali, ſive &c.

Archivium.

Si partes de Judice eligendo concordaverint ab eodem Domino Regente fit decretum, ut ſequitur.

Relatione facta comparuit D. N. N. Procurator petiit, & obtinuit, ut ſupra, deputari R. P. D. N. in Judicem de conſenſu partium, omni &c. Quum vero in electione non conveniant, ea fit a dicto R. P. D. Regente, & in decreto, loco clauſulæ *de conſenſu partium*, dicitur *ex officio*.

CAPUT II.

De actis præambulis ad effectum adeundi plenam Signaturam, & de auctoritate Auditoris Signaturæ.

PRæmiſſa jam notitia juriſdictionis Signaturæ, è qua facili negotio percipi poteſt, qua de cauſa quiſque poſſit eam adire, proximum eſt, ut videamus, quid prius agendum ſit, ut legitima ſequatur propoſitio Cauſæ in eadem plena Signatura; eapropter de actis præambulis ſermonem hic habere decrevimus, & ut rectius id expleamus, ante omnia duximus recenſendum, commiſſiones vel eſſe de rebus ſignari ſolitis, vel contentioſas; quoad illas plenæ Signaturæ reſcripto opus non eſt, ſecus verò quoad alteras: & proinde ordinem ſignandarum commiſſionum, quum obvia, & frequentiſſima materia ſit, exponendo, nè, de omnibus diverſorum negotiorum commiſſionibus verba faciendo, ultra morem, ac propoſitum noſtrum prolixiores ſimus, exemplo tantum utimur Appellationis. Cauſæ igitur vel de ſui natura appellabiles ſunt, itaut nulla inter partes ſit controverſia, nec dubium aliquod intercedat, & tunc commiſſio pro appellatione obtinenda in plena Signatura non proponitur, & ea jam efformata a Cauſæ patrono, ſive Procuratore, & a tergo ipſiuſmet commiſſionis illius nomine adnotato, alicui ex Referendariis exhibetur, ut eam legat,

ac cognoſcat, num ſit de rebus ſignari ſolitis, & deinde ſuo nomine in ſuperiori parte ad lævam obſignet, quod in Curia dicitur *Referendariare*; in calce verò ipſius addit verbum *Placet*; ſi Rotæ, aut alicui Romanæ Curiæ Prælato commiſſio dirigenda ſit, ſi tamen in partibus, ſcribit *Conceſſum*, indicans talem fore Signaturam; hiſce omnibus abſolutis Commiſſio ſignanda porrigitur Eminentiſſimo Præfecto, qui propterea cujuſdam opera utitur, Reviſoris commiſſionum appellati, ut cognoſcat, cujus naturæ ſint commiſſiones ſignandæ; & eapropter hic eas omnes perluſtrat, addit, ac delet, ſi opus eſt, & inter rejectas collocat, commiſſionum defectum, ſive errorem in calce earumdem adnotando; omni demum difficultate ſubmota eidem Eñio Præfecto Signaturæ nomine Papæ ſignandam exhibet, quæ quidem commiſsio ita ſignata vulgò appellatur *Sotto banca*.

Si verò agatur de Cauſis, quæ Appellationem non merentur, vel devolutivam tantum, non ſuſpenſivam, prout eſt in ſummariis, & executivis, & per appellantem ei locum eſſe ſubſtineatur, ratione, nempe, nullitatis, vel injuſtitiæ, ob quarum unam, firmum in praxi eſt, appellationem eſſe admittendam, tunc plenæ Signaturæ judicium experiundum eſt. Et quamvis appellabiles cauſæ, in quibus dubium aliquod ſit, eodem ordine ſuperius recenſito ſignari poſſint; itaut citatio fiat coram Reviſore, vel coram Signaturæ Præfecto ad dicendum cauſam, quare commiſsio ſignari non debeat; mos tamen noviſsimis his temporibus invaluit, ut cauſarum patroni ad circuitus evitandos, in appellationibus, in quibus dubium aliquod ſit, an admitti, vel reiici mereantur, extemplo plenam adire Signaturam feſtinant (1). Hinc hodiedum commiſsiones, quæ in camera ab Eminentiſsimo Præfecto ſignantur, reſpiciunt eas tantummodo cauſas, in quibus de appellatione nulla inter partes ſit diſputatio; non mirum idcircò eſt, ſi cauſarum numerus in Signatura ſummopere excrevit.

Et ex eo quia non omnes mox expreſſæ cauſæ, in quibus controverſia inter partes ſit, an admitti, vel reiici debeat appellatio, in plena Signatura jure proponi poſſunt, rectam, ut par eſt, methodum ſervando, hujuſmodi cauſas ad duo tantummodo genera redigendo, exponemus, quid in unoquoque earum ſervandum ſit ad effectum adeundi plenam Signaturam. Et primum ſi reclamatur a judicatis illis, quæ negotium principale non feriunt, ſed incidentia dumtaxat reſpiciunt, prout ſunt controverſiæ ſuper at-

H 2 ten-

(1) *De Luca in Relatione Rom. Curiæ.*

Digitized by Google

tentatorum purgatione ; pertinentia Cauſarum, competentia juriſdictionis, & cætera hujuſmodi, quæ ſigillatim recenſentur inter *decreta anni* 1742., neutiquam fas erit plenam adire Signaturam; in iis enim coram R. P. D. Auditore Signaturæ inſtantiam promovere debent Defenſores, ejuſque decretum habet eamdem vim, ac ſi in plena Signatura Cauſa propoſita, & ab ea reſcriptum fuiſſet; itaut ſi partes eo non obſtante plenam Signaturam adire velint, proceditur eodem ſane modo, ac in reiterata propoſitione; indignum quippe reputatum fuit, ut controverſiæ, quæ excitantur quoad judiciorum incidentia, occupent audientiam hujus ſupremi Tribunalis, quæ vix ſatis eſt cæteris controverſiis, quæ inibi definiendæ proponuntur quoad appellationes, negotium principale reſpicientes, ideoque juremeritò illarum cognitio demandata fuit D. Auditori.

Et quamvis Eminentiſſimus *Salviatus* ſuo edicto id ipſum præſcripſerit, attamen Auditores ſe a judicio ferendo in hujuſmodi inſtantiis eximentes, eas remittere cœperunt judicio plenæ Signaturæ; hinc providè ſancivit Collegium Votantium Signaturæ, ne ullo unquam pacto licitum eſſet eiſdem Auditoribus inſtantias, & cauſas prædictas ad plenam Signaturam remittere; itaut pro ſuo judicio omninò decretum proferre tenentur, cui tamen ſi pars aliqua acquieſcere nolit, ne ab unius judicio definitio pendeat, poteſt adire ipſummet Eminentiſſimum Præfectum, qui ſimplicem etiam remiſſionem inſtantiarum hujuſmodi ad Signaturam plenam facere nequit, ſed quid ipſe juris cenſeat, deliberare debet ex aſſertione actoris, & contradictione adverſarii, ſive (ut clarius agendi methodum exponamus) decretum proferre tenetur, quo vel inſtantiam reiiciat, vel admittat.

Ut autem legitima ſit citatio, quæ a parte reclamante fit coram dicto Eminentiſſimo Præfecto, non modo requiritur, quod præceſſerit, ut ſupra diximus, inſtantia coram D. Auditore, verum omninò neceſſe eſt, quod hujuſmodi citatio, priuſquam per Curſores parti adverſæ tranſmittatur, ſit ſubſcripta ab eodem Præfecto, ſive ejus domeſtico Auditore, prout *anno* 1722. Eminentiſſimus *Scotti* etiam ſtatuit, cæteras citationes non ſubſcriptas nullas, ac irritas declarando, & Notariis inhibendo, ne audeant illas legere, vel recipere, exceptis citationibus in quibus carceratus exiſtat; & quia ibi ſe ſubſcribendo adnotat hæc præcipua verba, *poterit legi*, uſuvenit propterea ſuſcriptionem illam *poterit legi* appellari; monere etiam debemus, quod ſi citatio modo præmiſſo ſubſcripta non ſit, nullius roboris erit, ac impune, ideſt ſine at-

attentatorum incurſu, ſperni poterit, prout videre eſt in *capit.* 16. *Edicti* Eminentiſſimi *Salviati*.

Adnotandum verò hic eſt, neceſſitate aliqua non obſtringi reclamantes a decreto D. Auditoris, citandi adverſarios coram Præfecto pro illius moderatione, ſive repoſitione; licitum enim illis eſt, recto tramite plenam Signaturam adire, facto prius depoſito ſcutorum quatuor, ad hoc ut ſi denuò in eadem ſuccubuerint, adjudicetur parti victrici in cauſam refectionis expenſarum; ita namque cavetur in *cap.* 2. *Edicti* Eminentiſsimi *Salviati*; nec in noviſsimis *Decretis anni* 1742. præſcribitur, ut omnino a decreto D. Auditoris Signaturæ recurſus habeatur ad ipſummet Præfectum, immo partium arbitrio relinquitur, prout ex verborum contextu apertiſsimè deprehenditur.

Quum verò ab Eminentiſsimo Præfecto decretum fuerit latum conforme illi D. Auditoris, quocumque modo conceptum ſit, vel cum clauſula *ſuperſederi*, vel cum clauſula *niſi*, aut alia quacumque, qui ſibi gravamen illatum eſſe cenſeat, & plenam adire Signaturam vellet, ad dictum conſuetum depoſitum ſemper, & omninò tenetur; de forma, loco, & tempore faciendi præſcriptum depoſitum fuſius agemus infra.

Ejuſdem generis, ac dicta incidentia, reputantur in *capit.* 14. Cauſæ illæ, in quibus agitur de re judicata ob non interpoſitam, aut legitimo tempore proſequutam appellationem, de judicato alterius revocatorio, de mandato conſignandi uni potius, quam alteri ex creditoribus, de mandato relaxato in judiciis redditionis rationum, liquidationis fructuum, damnorum, & expenſarum, quum pro certo in foro habeatur, hiſce in controverſiis de Signaturæ ſtilo paſsim admitti appellationem. Et ut expenſis idcirco, quæ in propoſitionibus Cauſarum in plena Signatura occurrunt, modus fiat, eodem laudato capite noviſsimæ ſanctionis cavetur, ut quando agatur de commiſsionibus in ſuperius expreſſo Cauſarum genere ſignandis, quatenus controverſia aliqua ſuper modo ſignandi ſuboriatur, inſtantiæ proponantur coram D. Auditore, partibuſque ab ejuſdem decretis reclamare licitum non ſit, niſi facto ante propoſitionem in plena Signatura conſueto depoſito; eoque adimpleto ipſamet agendi methodus ſervanda eſt, quæ adhibetur quoad cæteras illas commiſsiones, ſive cauſas, in ſuperioribus decretis non comprehenſas, prout, de illis ſermonem infra inſtituendo, ſigillatim animadvertemus.

Ad alterum idcircò Cauſarum genus greſſus dirigendo, ſatis quippe in comperto eſt, quod in iis, quum litigans ille, qui in ju-

judicio ſe læſum ſenſerit, ne decretum diffinitivum, vel vim habens diffinitivi, in albo rerum judicatarum deſcribatur, neve exequutionem ſortiatur, Signaturam plenam adire velit, ut ab ea appellationis Cauſa committatur, citatio fit coram Auditore Signaturæ, qua adverſario denuntiatur, ut præſto ſit, ac paratus ad experiendam Signaturæ reſolutionem ſuper appellatione, hoc eſt, ut Forenſes ajunt, ad effectum diſcutiendi in plena Signatura, *an, & quomodo Appellationi locus ſit*.

Ea enim citatio pernecеſſe præmittenda eſt, nam Commiſſio Cauſæ nullo pacto impetrari poteſt abſque citatione, & quamvis *Ubertus* aſſerat (1), Commiſſionem Cauſæ abſque ea impetrari poſſe, ex eo potiſſimum, quia Cauſæ committuntur prout de jure, juxta ſenſum *Capit. Cauſam, quæ, de Reſcriptis*, attamen ipſemet Auctor laudato loco rem omnem aperit, quum *Bartoli* ſententiam in *Leg. 2. n. 3. Cod. de temporibus Appellat.* in medium profert, tunc, nempe Citationem in obtinendo Principis reſcripto non requiri, quando alteri præjudiciale non ſit; hinc ratione præjudicii, ait ille, quando pars ſe opponit in Curia, & vult audiri in Signatura, vel quia Cauſa appellabilis non ſit, vel quia appellatio non fuerit legitima, ſive ſtatuto tempore interpoſita, tunc debet citari.

Quæ quidem Citatio parti collitiganti tranſmittitur per Apparitorem, ſive Nuncium abſque ulla judicis, vel Notarii ſubſcriptione; & ne quis, rerum noſtrarum expers, fortè miretur de forma hac citandi, qua Romana Curia in omnibus Tribunalibus utitur, quum alibi ſine judicis juſſu id fieri, conſuetudo, vel ſtilus vetat, de ea aliquid dicere ſe ſe offert occaſio. Equidem in comperto ſatis eſt, priſcæ Romæ temporibus in jus vocationem propria auctoritate factam fuiſse, itaut acturi reos ſibi obvios monerent, ut ſe in Jus ſequerentur, hinc Plautus..... *ambula in jus* (2); quæ deinde citandi conſuetudo poſtquam ſemel Jus Civile Romanorum ſibi viam munivit in quamplurimis Provinciis Romano Imperio ſubjectis, in aliquibus invaluit, prout in Germania præſertim de *Tractu ad Renum*, & *Hennebergico* obſervat *Schilt.* (3); & quod alicubi etiam inſalutato judice injungere aliquis poſſit adparitori, ut adverſarium in jus vocet, teſtantur *Gudelinus* (4), & *Bachovius* (5); ita & in *Belgio* in quibuſdam Tribunalibus apparitores, ſive nuncii, nullo ſpecialis Judicis mandato interveniente, ſed ſola partis

[1] *In Tractatu de Citationibus.*
[2] *In Curculio verſ. 2.*
[3] *Exercitat. 7. obſer. 7.*
[4] *De jure noviſſimo lib. 4. cap. 5.*
[5] *In notis ad Bugnionum de legibus obrogatis lib. 1. cap. 112.*

tis petitione, citationem exequuntur, ut poſt alios citatos obſervat *Chriſtinæus* (1), idque fermè ex tacito, & generali Magiſtratus mandato; eamdem diſtinctionem in *Gallia* ſervari teſtatur *Rebuffus*.

Exequuta, & tranſmiſſa dicta citatione, in termino in eadem contento reproducitur, hoc eſt, Notario Cauſæ exhibetur, ut in audientia Signaturæ eam recitet coram R. P. D. Auditore, nam alias circumducta dicitur, ideſt habetur tanquam non facta, prout exponunt Doctores in *leg. Acta Dig. de Re judicata*, & in *leg. Si Præſes Cod. quomodo, & quando Judic.*. Auditor verò Signaturæ, facti circumſtantiis ritè, rectèque libratis, partibuſque auditis, vel denegat, vel impartitur ſuperſeſſoriam ſequenti decreto, quod a Cauſæ Notario in calce citationis extenditur: *N. N. petiit, & obtinuit, ut ſupra, niſi ad primam diem cum intimatione, omni &c. vel petiit, & rejecit inſtantiam*; Intimatio vero, quando Pars adverſa præſens in Audientia non fuit, fit prout ſequitur: *Eminentiſſimo Signaturæ Juſtitiæ Præfecto, ſive &c. Intimetur N. N. ex adverſo principali, qualiter D. mandavit ſuperſederi, ſeù inhibuit, & alias, prout in actis, inſtante N. N. principali, ſive &c. N. Notarius*.

Animadvertendum tamen eſt, quod denegata ſuperſeſſoria a recenſito R. P. D. Auditore, poteſt denuo experiri judicium ejuſdem, citando *ad videndum reponi*, quod idem eſt, ac de medio tollere decretum latum, eamdem inſtantiam inſtaurare, noviſque excogitatis juribus ipſummet judicem ſuadere pro receſſu a deciſis, & conceſsione expoſtulatæ ſuperſeſſoriæ. Dubitari enim non poteſt, quin hæc citatio legitima ſit, nam Romana Curia juri Cæſareo innixa, eam in praxi recepit ſententiam, quod Judex decretum ſuum interloquutorium revocare quandocumque poſsit, ſecus verò diffinitivum, per textum in *leg. Quod juſſit Dig. de Re judicata*; & eapropter omnes, ſive Ordinarii, ſive Delegati judices Romanæ Curiæ quotidiè eorum decreta revocant, & partem reponunt in ſtatu, in quo erat ante decretum latum; nam pro regula receptum in foro eſt, quod licet decretum quoad partes tranſeat in judicatum, ſecus tamen eſt quoad judicem, ita ratiocinatur *Mandoſius in formul.* IX. *Commiſsionis*, in verbo admittat, & *Rota in Romana pecuniaria* coram Cardinali *Platto* (2).

Denegata iterum ſuperſeſſoria a R. P. D. Auditore Signaturæ, aliud & ſuppetit remedium, nam recurſus fit coram Eminen-

[1] *In tractatu de Citationibus Gloſ.* 4. *num.* 8.

[2] *Impreſſ. opud Marchesan. de Commiſſ. nullit. ſanat. p.* 3.

nentiſſimo Præfecto, & citatio, prævia ſubſcriptione, quæ appellatur *poterit legi*, parti tranſmittitur hiſce verbis concepta.

Eminentiſſimo Signaturæ Juſtitiæ Præfectomet.

Citetur N. N. ex adverſo principalis ad videndum, prævia quatenus opus ſit repoſitione, mandari ſuperſederi uſque ad primam, poſt proximam, Signaturam, & interim inhiberi ad ſtatim, ſeu ad primam diem, & interim quandocumque, ne audeat aliquod mandatum ſuſcipere, aut ſuſceptum exequi facere &c. aut quidquam prorſus innovare, vel attentare ſub pœnis &c. ſcutorum 500., *& aliis arbitrio Eminentiſſimi Domini, & decretum ad primam diem &c. Inſtante N. N. principali, ſive &c. N. Notarius.*

Supremum verò præſidium extat penes R. P. D. Auditorem Sanctiſſimi, cujus facultates ampliſſimæ ſunt, itaut porriguntur etiam ſupra eamdem Signaturam, & proindè non immeritò pluries eidem legem præſcripſit in rebus potiſſimum, quæ ex abuſu in ſtilum adoleverunt; qua in re ſummopere laudandus integerrimus juſtitiæ ſtator, Juriſprudentiæque decus, ac præſidium, EMINENTISSIMUS ARGENVILLIERES, ad Cardinalatus apicem noviſſimè evectus, qui gloriæ ſuæ ſatis conſulit in ritè, rectèque gerendo munere Pro-Auditoris Sanctiſſimi.

Si autem nec facultas ab eodem elargiatur adeundi plenam Signaturam, & proindè nec ſuperſeſſoria, tunc de facto poteſt eam quiſque adire, verum in caſu ſuccumbentiæ alteri collitiganti ſolvenda ſunt ſcuta quatuor pro expenſis, ut patet ex *Edicto* Emi Signaturæ Præfecti, relato in Bullario Clementis XI. Verbum enim ſuccumbentiæ à Romano jure deſcendere, non immeritò exiſtimamus, nam in *Leg. Pola Cod. De his, quibus ut indignis &c.* habetur, ſuccumbere, & non obtinere paria eſſe; hinc facilè quiſque intelligit, quid ſignificet caſus ſuccumbentiæ.

Hanc enim ſuperſeſſoriam, ex jam dictis patet, ſpeciem quamdam eſſe interceſſionis, unum inter cætera remedia, quæ Romani antiquitus litigantibus indulgebant, nè ſe quiſque unius judicis ſententia oppreſſum eſſe conquereretur; ea namque quid diverſum ab appellatione erat, prout eruditiſſimè demonſtrant *Cujacius* (1), & *Carolus Bretus* (2); hinc appellantes provocabant ad majorem judicem eo conſilio, ut retractaretur ſententia iniquior; intercedebant verò litigantis rogatu ii, quibus, vel æquale, vel minus erat Imperium, non ut Sententiam reſcinderent, ſed ut eam exequutioni mandari, vimque fieri, eo nomine prohiberent.

Eſ-

(1) *Obſervat. lib.* 21. *cap.* 33.

(2) *De Ordine perant. Jud. Civil. cap.* 42.

Digitized by Google

Effectus verò antedictæ citationis tranſmiſſæ pro obtinenda ſuperſeſſoria is eſt, ut ſi pars citata ea pendente aliquid in judicio agat, pro attentato habeatur; nam dicta citatio facta coram Cardinali Præfecto, ſive ejus Auditore habetur tanquam recurſus factus ad Principem, & litis pendentia ex ea oritur; hinc ex illa notiſſima juris regula, pendente lite nihil eſſe innovandum, deſcendit, quod omnia acta poſt dictam citationem ſint attentatorum vitio obnoxia, & per viam attentatorum revocanda, prout firmat etiam *Conſtantinus* (1) ex *Cappucii* praxi, & *Rotæ* auctoritate [2]. Et quamvis laudatus *Cappuccius* [3] aſſerat, per ſimplicem recurſum ad Signaturam attentata non oriri, attamen *Conſtantinus* ſuperiùs recitato loco ambagem omnem ademit, dum demonſtravit, id locum habere ſi poſſeſſio capta ſit, vel actus aliquis geſtus poſt recurſum conceſſum ſine ſuperſeſſoria, & ita loqui Deciſionem 276. coram *Bichio*, per eumdem *Cappuccium* allegatam, non autem quando poſſeſſio capta eſt adhuc pendente recurſu; nam hujuſmodi citatio, etiamſi non fuerit lecta coram Præfecto Signaturæ, vel ejus Auditore, ſed fuerit ſolum reproducta in actis loco jurium, ad docendum nempe de attentatis, & de poſſeſſione capta, ſive alio actu geſto poſt hujuſmodi citationis exequutionem, & in illius ſpretum, indubium eſt, quod proferat attentata (4).

Hinc rectè *Ubertus* (5) affirmat, quod talis citatio *ad videndum ſuperſederi, & inhiberi*, ex quo prima ſuperſeſſoria regularitèr conceditur, cauſet attentata, quum habeat vim inhibitionis formalis, etiamſi Judex poſtea non inhibeat; immò dicta citatio reddit etiam attentata omnia geſta in partibus poſt exequutam citationem, licet notitia citationis, factæ in curia Procuratori, adhuc pervenire non potuerit ad partes; eapropter, ut Attentatis obvietur, neceſſe eſt, ut Procurator citatus curet, quod apponatur in decreto clauſula *ſuperſederi in ſtatu & terminis a die intimationis faciendæ in partibus*; ſtilus autem curiæ ita ſe habet, ut ſi Procurator citatus potuerit ante decretum ſcribere in partibus exequutionem citationis, reddantur nihilominus attentata omnia geſta a die poſſibilis notitiæ; ideò ad obtinendam attentatorum purgationem, quando altera pars obtinet, ut apponatur in decreto, *in ſtatu, & terminis*, neceſſe eſt, ut inſtans pro ſuperſeſſoria curet, ut adjiciatur altera clauſula, *ſine præjudicio Attentatorum*.

(1) *Ad Statuta Vrbis de Appellat. annot. 52. art. 1. ſect. 1. n. 40.*

(2) *Decis. 409. n. 31. p. 9. recent.*

(3) *To. 1. p. 3. cap. 4. art. 15. n. 239.*

(4) *Decis. Civitatis Caſtelli bonorum coram Bevilacqua.*

(5) *De Citat p. 3. verſ. Citatio.*

Digitized by Google

Elapſo deinde tempore ſuperſeſſoriæ obtentæ, ſuccurritur appellanti petitione alterius ſuperſeſſoriæ, citando adverſam partem, priuſquam expiret præfixus terminus, *ad videndum* nempe *prorogari ſuperſeſſoriam*; attamen ultra binas ſuperſeſſorias, alię à Signaturę Præfecto, vel ejus Auditore non conceduntur, ne beneficiis hujuſmodi in aliorum detrimentum nefariè abutantur appellantes; itaut ſi poſt dictas binas ſuperſeſſorias capta ſit poſſeſſio, & facta judicati, de quo provocatur, exequutio, non erit attentata, ut ex antiquo *Edicto anni 1661.* teſtatur *Rota* (1): agebatur enim in eo Tribunali quædam *cauſa Bononien. Cenſuum*, & quum ab A. C. fuiſſent declaratæ nullæ quædam impoſitiones cenſuum, factæ a Domino *Vincentio Mareſcotto* favore *Aſſumptorum Abbatiæ Sanctorum Naboris, & Felicis*, & eodem tempore relaxatum Mandatum de manutenendo adverſus deliberationem prædii, factam in partibus ex cauſa dictarum impoſitionum, & ab R. P. D. *Albergato* in ulteriori inſtantia confirmatum, qui vigore rei judicatæ mandavit etiam exequi mandatum de manutenendo, & *Vincentius* bonorum poſſeſſionem apprehendiſſet, *Aſſumpti* oſtendere conabantur eam fuiſſe attentatam; hinc, propoſito dubio, *Rota* negativè reſolvit, quamvis poſſeſſio capta ſub die *13. Septembris anni 1666.* videretur attentata, utpote capta pendente ſuperſeſſoria conceſſa ſub *die 30. Junii*, prorogata *die 20. Auguſti*, & *die 10. Septembris* uſque ad primam Signaturam habitam *die 23.* ejuſdem menſis.

Hujuſmodi citatio pro habenda ſuperſeſſoria aliquando occaſionem præbet litigantibus calumniandi, itaut Juſtitiæ curſum hiſce modis ſtudeant impedire; per Apparitorem enim poſtquam illam alteri Collitiganti tranſmittunt, in Signaturæ Audientia data opera ab illius productione ſe abſtinent, & pluries repetitur, ut lis ſummopere protrahatur; & quamvis conſcii Curiales ſint ſe ſuccumbere, & per conſequens petitionis injuſtitiam agnoſcant, adhuc tamen id ſtudioſè agunt pro temporis beneficio obtinendo; hinc malo huic remedio aliquo occurrendum eſſet, ut nempe dictæ citationes non cauſarent attentata. Et revera tempore Emi *De Luca*, quum erat Sanctiſsimi Auditor, quoad recurſus, qui coram eo haberentur, declaratum ab eodem fuit, quod hujuſmodi citationes effectum reciperent à ſubſequto eventu, quod ſcilicet, ut ipſe ait (2), *ſi efficaces eſſent, quia concederetur Superſeſſoria, vel fieret alia proviſio impeditiva Exequutionis, tunc intraret retrotractio, & exequutio attentata remaneret, ſecus vero ubi reiiceretur*, & ita calumniis

(1) *Deciſ. 181. n. 2. p. 15. recent.* (2) *Diſc. 45. p. 1. de Judiciis.*

niis, & malitiis Cauſidicorum occurſum fuiſſe credidit; & quando Curiales ajebant attentata reſultare a ſpretu, ob violationem reverentiæ erga judicem, cujus majeſtas læditur, & eidem dicitur fieri iniuriam, tunc ille reſpondebat, quod libenter evangelicum præceptum remittendi offenſas obſervabat.

Cæterum ſuperſeſſoriam impartiendam eſſe, contendunt aliqui, docto prius de injuſtitia decreti, ſive ſententiæ, vel ejus nullitate, prout ex *Caputaquen.* (1) præ cæteris firmat *Ubertus* de *Citationibus*, attamen haud facile iis aſſentimur. Indubium enim eſt jure quemquam a Judicis ſententia appellare poſſe, itaut peculiare munus eſt alterius Judicis, cui Cauſa committi debet, de injuſtitia, & nullitate prioris ſententiæ inquirere; idcircò Signatura de cauſæ meritis judicare non debet, tantummodo enim in ſuperſeſſoriis concedendis cognoſcere valet, an appellabilis Cauſa ſit vel ne, & quamvis Signatura plena de Cauſæ meritis inquirat aliquando, id evenit, ut ritè decernat, quænam appellatio ſuſpenſiva nempe, vel devolutiva concedenda ſit.

Pro obtinenda tamen antedicta ſuperſeſſoria ad effectum purgationis attentatorum, vel commiſsionis Cauſæ appellationis, evenit aliquando, ut Auditor Signaturæ demandaret prius Actorum tranſportationem, quum nempe ageretur in Cauſis extra Curiam Romanam definitis; quod ſanè manifeſtum erat abſurdum, quum acta tranſportanda ſint coram Judice, cui Cauſa appellationis, ſive alterius gravaminis commiſſa reperitur, non coram Judice committente, ſatis enim eſt exhibitio ſententiæ, ſive illius exemplaris, a qua appellatio propoſita fuit. Hinc in Cauſa *Aprutina Beneficii anno* 1749., quum nec R. P. D. Auditor Signaturæ, nec Eminentiſsimi Præfecti Auditor facultatem adeundi plenam Signaturam concedere vellent ad effectum appellationis, & circumſcriptionis poſſeſsionis, attentatè captæ infra decendium, ad appellandum a jure ſtatutum, niſi prius tranſportatis actis, recurſum fieri ſuaſimus R. P. D. Auditori Sanctiſsimi, & coram eo facta brevi ſcriptura, ac informatione, obtinuit Defenſor decretum, quo cautum fuit relaxari commiſſionem abſque ulla præcedenti Actorum tranſportatione; & ita ſervari mandavit in cæteris ſimilibus Cauſis; Decreti tenor ſequens eſt.

Aprutina Beneficii.
Die 27. *Martii* 1749.

 Illu-

[1] *Decif.* 114. *p.* 3. *num.* 2.

Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Auditore Sanctiſſimi.

Citetur Dominus Lucas Quadrari ex adverſo Procurator aſſertus Reverendi Domini Canonici Venantii Mariani ex adverſo principalis ad videndum reponi a quocumque decreto nulliter, & indebitè extorto, & ad audiendam voluntatem Illuſtriſſimi Domini ſuper propoſitione Cauſæ in plena Signatura, & Decretum ad primam diem &c. inſtante R. D. Franciſcantonio Ferri principali, ſive &c.

Paparotius.

Relatione facta comparuit Dominus Antonius de Maximis Procurator, petiit, & obtinuit, ut ſupra.

Ex tunc Illuſtriſsimus Dominus repoſuit a quocumque contrario decreto tam R. P. D. Auditoris, quam Eminentiſsimi S. I. Præfecti, & mandavit proponi Cauſam in Signatura abſque ulla præcedenti Actorum tranſportatione, exhibito dumtaxat in fronte Summarii decreto, ſeu ſententia a quibus appellatur, una cum commiſsione, atque idem in poſterum ſervandum eſſe declarat in quolibet alio caſu occurrenti.

Eo namque decreto conſultum fuit abuſui jam introducto aſportandi integra acta, & illa inter acta Notarii Archivii rubricandi, (pro qua rubricatura ſolvendum erat ſtatutum emolumentum), & poſtquam commiſſa a Signatura erat Cauſa, denuò eadem acta coram Judice commiſſario tranſportandi, & rubricandi.

Et quia de numero ſuperſeſſoriarum, diximus ſupra, ultra binas elargiri non poſſe ex *edicto anni 1661.*, quid poſtea cautum ſit, opus eſt, ut exponamus. Et primum, cæteras ſanctiones omittendo, *Edicto* Eminentiſſimi *Salviati* ſtatutum legitur ſub *numero XXII.* ſuperſeſſorias in Cauſis proponendis in plena Signatura non concedi a D. Auditore, nec ab Eminentiſſimo Præfecto, poſtquam fuerit conceſſa prima ſuperſeſſoria, & unica illius prorogatio, itaut ulteriores citationes pro eis obtinendis factæ, vel faciendæ, niſi fuerint ſubſcriptæ modo, quo ſupra, non attendantur. In *Capit*: verò *II. decretorum* Collegii Signaturæ noviſſimè ſancitum fuit, a D. Auditore concedendam eſſe in quibuſcumque Commiſſionibus in plena Signatura proponendis nonniſi conſuetam ſuperſeſſoriam 15. dierum, & unam tantum prorogationem ad alios 15. dies, & deinde ad primam immediatam Signaturam dumtaxat duraturam, idque etiam juxta negotiorum qualitates; quibus quidem ſupradictis ſuperſeſſoriis, & prorogationibus elapſis, licitum eidem haud eſ-

ſe

ſe aliam concedere. Quum tamen adeò urgentiſſima neceſſitatis cauſa exiſtat, aliam concedendi prorogationem ultra primam, ut aliter fieri non poſſit, citationem pro ea obtinenda primum a D. Auditore, ſecundò a D. Decano ejuſdem Signaturæ, ac poſtremo ab Eminentiſsimo Præfecto propria cujuſque manu, & occaſione dictæ neceſſitatis, ſummo jure, & extrajudicialiter cognoſcendæ, ſubſcribendam eſſe, & aliter quam ſuperius præſcripto modo tranſmiſſam, nullam, ac irritam cenſeri, nec attentata cauſare, in eodem *capit:* præſcriptum legitur. Ita namque crediderunt ſapientiſsimi Patres modum præſcribere tot prorogationum petitionibus, res tamen non ita ſe habuit, ex eo præſertim, quod Cauſidici ad dictas prorogationes obſoletas expiſcandas, neceſsitatis cauſas invenire non diffidentes, faſtidio afficiebant quotidie jam dictas perſonas, quarum ſimultanea ſubſcriptio requirebatur; qua de re Emus D. Cardinalis *Nerius Corſini* matura deliberatione, prævio unanimi ſenſu ejuſdem Collegii, ac facto verbo cum Sanctiſsimo ſub *die 26. Septembris* 1742., ſtatuit, ut in poſterum præcipua cura D. Auditoris eſſet, ſi aliqua legitima, ac urgentiſsima cauſa poſt elargitam unam tantum ſuperſeſſoriam, & prorogationem, ſuboriretur, cujus cognitio ejus prudentiæ demandatur, citationes prædictas pro obtinenda altera prorogatione ſubſcribere, nulla alia adhibita ſubſcriptione; id vero obſervare debet D. Auditor, quod citationes prædictæ pro obtinenda extraordinaria prorogatione præventivè ſubſignatæ ſint ab ipſomet D. Auditore, cum ſolita clauſula, *poterit legi*, & cum expreſsione *pro prima*, vel *ſecunda vice* juxta numerum prorogationum extra ordinem petitarum, ne occaſio detur obreptitiis circumventionibus, quas D. Auditor inter aſsiduas, & difficiles ſui muneris partes ſubire poſſet; & alias factæ citationes hujuſmodi impune ſperni poſſunt, nulloque pacto attendendæ ſunt.

Re etiam melius examinata idem Eminentiſsimus Præfectus *Corſini* receſsit ab eo, quod in *Cap. 2. Decretorum* ſtatutum fuit quoad dictas ſuperſeſſorias, & prorogationes concedendas ad 15. dies, & ſub dicta die, ac anno mandavit, quod a D. Auditore dictæ ſuperſeſſoriæ, & prorogationes concedantur relativè ad Signaturas, quæ habentur.

Conceſsis jam a D. Auditore ſimilibus ſuperſeſſoriis, & prorogationibus, cavendum eſt, ne earumdem tempus excurrat; nam expirata, ut in foro dicitur, ſuperſeſſoria, ſeu illius prorogatione, adverſarius poteſt jure omnia facere, quæ exequutionem judicati reſpiciunt; eapropter Eminentiſsimus *Salviatus* ſub *num. XI.* mandavit, ut vel expirata ſuperſeſſoria, vel ea denegata, intimationes pro

pro adeunda Signatura non inhibeant, neque cauſent attentata, niſi a die Jovis ante imminentem Signaturam habendam nempe poſt octo dies ſubſequentes, etiamſi prædictæ intimationes exequutæ fuerint longè ante dictam diem Jovis.

At quia aliquando ſubſequens Signatura non habetur in aliqua hebdomada, ex eo quod dies Jovis ſit impedita, & idcircò haberi debeat poſt quindecim dies, aut aliud longius tempus, intimationes, ut ſupra factas nullo modo inhibere, ſtatuit idem Eminentiſsimus Præfectus, & ſperni poſſe abſque incurſu attentatorum, niſi recurrens intimationem pro adeunda Signatura exequi faciat in illa die Jovis tantum, quæ præcedat immediatè prædictam ſubſequentem Signaturam; ac demum hujuſmodi intimationes modo præfixo exequutas pro unica tantum vice ſuffragari, ac prodeſſe ſancivit.

Effectus verò ſuperſeſſoriæ is tantum eſt, ut, rebus in eodem ſtatu manentibus, ad ulteriora procedi non poſsit, non autem, ut quæ geſta ſunt revocentur; decreta enim ſtrictè intelligenda ſunt, juxta textum in *leg.* 1. *Codic. ſi plur. una ſententia*; & eapropter revocare omnia ea, quæ ante ſuperſeſſoriam geſta ſunt, quatenus tanquam nulla, vel injuſta revocanda eſſent, alterius Judicis officium eſt. Denique, & id notandum eſt, quod quando petitur ſuperſeſſoria adverſus mandatum, relaxatum in vim obligationis Cameralis, curari debet per Actorem, ut Auditor Signaturæ apponat eam clauſulam in decreto, quod declaretur per reum habere ſuperſeſſoriam loco termini, quæ declaratio, quoties petatur, debet fieri de ſtilo Curiæ, ejuſque effectus eſt, quod facta declaratione terminus ad ſolvendum ſuſcipi non debeat.

Commiſſionum tranſmiſſio ſequitur ſuperſeſſorias, proindeque de illis hic verba faciendo adnotare fas eſt, quod antiquitus per octo ſaltem dies ante congreſſum plenæ Signaturæ reus, vel actor, cujus intererat, eligere debebat unum ex Referendariis ſibi bene viſum, ut cauſam ſuam in plena Signatura referre, ſeù proponere dignaretur, eidemque annuenti commiſſionem in forma ſignandi antea efformatam juxta ſtilum, de quo inferius dicendum eſt, tradere oportebat; aliter tamen nunc ſe res habet ex diſpoſitione ſæpius laudatæ noviſſimæ ſanctionis 1741., quum commiſsionum tranſmiſsio non ſit, ut prius in uſu erat; hinc perneceſſe ante præfinitum tempus, quod hodie ſervatur quoad commiſsiones tranſmittendas omne id quod ſupra diximus agendum eſt. Et uſus quippe invaluit, ut uni ex Referendariis jam electo exhibeatur tantummodo folium unum papiri complicatum, in cujus ſuperiori parte adnotantur hæc ſe-

ſequentia verba, Signatura Justitiæ: *R.P.D. Macedonio*, *Romana Pecuniaria*, *pro D. Franciſco Angelini contra D. Antonium Silveſtri*, *Facti cum Summario*; quum verò parti adverſæ tranſmittitur Commiſsio, tunc ea extenditur, in calce vero ejuſdem folii Referendarius electus reſcribit manu propria, *Proponam die Jovis* 14. *Decembris* 1753. *I. Macedonio*, & ut innoteſcat quam Cauſam primo, vel ſecundo, tertio, vel quarto loco Referendarius propoſiturus ſit, adiicere ibidem debet *pro prima*, *pro ſecunda*, vel pro eo numero ſibi beneviſo; quæ namque expreſsio numeri adeo neceſſaria eſt, ut ſi Procurator ſupradictam Referendarii ſubſcriptionem impetraverit abſque ejuſmodi diſtinctione, omni poſtpoſita mora, & excuſationis cauſa damnatur pœna ſcutorum quatuor, applicanda Congregationi S. Ivonis, laudabiliter in urbe erectæ ad pauperum, ac egenorum jura apud eos, qui juriſdictioni præſunt, gratis exponenda.

Commiſsiones ita ſubſcriptæ, ſive, ut Forenſes loquuntur, Referendariatæ tranſmittuntur per Curſores collitiganti, ejuſque Procuratori cum citatione eiſdem annexa, cujus formula ſequens eſt.

Signatura Juſtitiæ

R. P. D. Macedonio.

Citetur N. N. ex adverſo procurator aſſertus ad dicendum Cauſam quare Commiſſio, cujus copia ſibi tranſmittitur proponi, & ſignari non debeat in prima proxima Signatura, & decretum &c. inſtante N. N. principali, ſive &c.

Archivium.

Ex hac quippe citationis formula unicuique ſat innoteſcit non originales commiſsiones, ſed tantummodo earum copias eſſe tranſmittendas; & in *Capite V. decretorum anni* 1741. ſancitum legimus, originale folium propoſitionis manu propria, & cum adnotata diſtinctione a Referendario quolibet ſubſcriptum, in quo etiam adnotari debet commiſsionis titulus, Referendarii nomen, & in calce ejuſdem illud Procuratoris proprio ejuſdem charactere inſcriptum, per integram diem Mercurii immediatè ſubſequentem tranſmiſsioni commiſsionum, deferendum eſſe ad D. Auditorem; ſi ſecus a Procuratoribus factum fuerit, plectendos eos eſſe eadem pœna ſcutorum quatuor, itidem applicanda Congregationi S. Ivonis.

Evenit aliquando commiſsionem continere clauſulas præjudiciales, & proinde tunc pars adverſa poteſt coram D. Auditore citare *ad videndum reportari* commiſsionem, vel moderari; eo etenim caſu Signaturæ Auditor, vel relaxari jubet, vel retineri, vel mo-

moderari dictam commiſsionem; decreto demum moderationis, vel retentionis non obſtante, ſi eadem commiſsio ſignanda exhibeatur in plena Signatura, & hujus reſolutio a commiſsione diſcrepet, itaut non obtineatur quicquid in ea petitur, ſolvenda tunc ſunt ſcuta quatuor parti adverſæ pro refectione expenſarum; hujuſmodi citationis formula ſequens eſt.

Signatura Juſtitiæ, ſive &c.
Anagnina Fideicommiſſi.

Citetur D. N. N. ex adverſo Procurator aſſertus D. N. N. ex adverſo principalis ad videndum reformari (vel reportari) vel relaxari, vel lacerari commiſſionem in Cauſa de qua agitur, & interim videndum ſibi inhiberi in forma, & decretum ad p. d. inſtante D. N. N. principali, &c.

N. N. Notarius.

At quonam tempore commiſsiones hujuſmodi ſignandæ in plena Signatura per Curſores tranſmittendæ ſunt, hic opus eſt, ut videamus; in *capit:* enim. III. noviſſimæ reformationis ſtatuitur, ut omninò tranſmittantur per dies treſdecim ante diem congreſſus plenæ Signaturæ, per totam nempe diem Veneris præcedentem immediatè hebdomadam, in qua facienda erit diſtributio informationum in ſcriptis. Et quum, dictam commiſſionum tranſmiſſionem, pro jure certo habeatur, in ſe inhibitionem continere, non mirum idcircò, ſi eodem *capite III.* ſancitum reperiatur, ut ex illa tantum die inhibeant, ac inhibere cenſeantur; anteactis enim temporibus inhibebant a die Mercurii hebdomadæ præcedentis Signaturam; ſi verò præſcripta Veneris dies feſtivitate aliqua, quæ haud de illis ſit, in Dei, ac Sanctorum honorem ſervari ſolitis, impedita fortaſſis fuerit, itaut Curſores, vel Mandatarii a munere citationes deferendi vacent, dicta tranſmiſſio omninò exequenda eſt, quibuſcumque aliis feriis, & vacationibus non obſtantibus; & Curſores, qui de conſuetudine extra dies juridicos citationes exequentes ſtipendium ultra ſolitum exigunt, pro hujuſmodi tranſmiſſione facienda nihil ultra petere poſsint, quam ſi diebus nullis vacationibus impeditis facta fuerit.

Idipſum ſervari ſtatutum fuit quoad exequutionem propoſitionis earumdem commiſsionum, quam, ſequuta tranſmiſsione prædicta, intimandam omninò eſſe collitiganti die Sabbati, immediatè ſequenti tranſmiſsionem, præſcribitur; quod ſi dicta Sabbati dies aliqua feſtivitate de præcepto impedita fuerit, ſervatur in praxi, ut die præcedenti fiat; intimationis formula hæc eſt.

Si-

Signatura Juſtitiæ.
Anagnina Fideicommiſſi.
R. P. D. Macedonio Ponente.

Intimetur N. N. ex adverſo Procuratori aſſerto D. N. N. ex adverſo principalis, qualiter Illuſtriſſimus Dominus omninò, & infallanter proponet Cauſam in prima proxima Signatura, ideo &c. Inſtante N. N. principali, ſive &c.

Archivium.

Et quia in omnibus humanis rebus nihil tam perfectè inſtitui a legislatoribus poteſt, quin perpetua quadam neceſsitate aliquando non cogantur, novis modo legibus faciendis, modo veteribus corrigendis, ea, quæ ſtatuta ſunt, in melius reformare, factum proinde eſt, ut nondum elapſis menſibus quinque a die promulgationis generalium Edictorum, ſub die nempe 26. Septembris 1742., Eminentiſsimus Dominus Cardinalis Corſini cum unanimi ſententia totius Collegii, ac accedente Pontificia confirmatione, declaraverit, quod commiſſionum tranſmiſſiones, in tertio decreto præfixæ, & faciendæ per dies treſdecim ante diem plenæ Signaturæ, per totam nempe diem Veneris antecedentis hebdomadam, in qua ſtatuta reperitur diſtributio informationum, fieri in poſterum debeant per ſolos decem dies ante, die nempe Lunæ hebdomadæ præcedentis plenam Signaturam, & per eoſdem tantummodo dies inhibeant; & quoad propoſitionem jam dictam eam intimandam eſſe die ſequenti poſt tranſmiſſionem, die ſcilicet Martis.

Commiſſione tranſmiſſa, originali folio propoſitionis exhibito D. Auditori, ac intimata propoſitione, informationes in ſcriptis, in quibus, ſtatu Cauſæ expoſito, ſimulque teſtibus, litteris, tabulis, deductiſque ab ipſa re argumentis, ſuas actiones, vel exceptiones probare debent Cauſidici, diſtribuendæ ſunt; hæc tamen diſtributio, quamvis, ut *Ubertus* (1) animadvertit, primitus die Lunæ proxima diei Signaturæ plenæ fiebat, & ex *Edicto Emi Scotti* anni 1726. die Sabbati præcedentis Signaturam plenam; attamen per totam diem Veneris modo facienda eſt ex præſcripto noviſſimæ Reformationis, & quidem tam omnibus Votantibus, quam etiam Referendariis propoſituris, & Auditori ejuſdem Signaturæ, ſub pœnis, arbitrio Tribunalis reſervatis; & ſi aliqui inter Votantes fuerint, quos, pro certo Procuratores ſciant, in congreſſu plenæ Signaturæ non intervenire, adhuc eiſdem informationes prædictæ diſtribuendæ ſunt, ut legitur in *Edicto notificationis Eminentiſſimi*

K *Scot-*

[1] *In Tractatu de Agentibus.*

Digitized by Google

Scotti ſub die 3. Junii 1726., ab Auditore *Samminiati* ſubſcripto; hac tamen in re uſus invaluit, ne incommodi quidquam ſentirent DD. Votantes, Referendarii, & Auditor in illarum receptione, ut immittantur jam dictæ Informationes in ſcriptis cum Summariis in quadam capſula, ad eum finem deſtinata, quæ extat ante fores interiores domus cujuslibet eorum; & ab ea fit deinde illarum extractio, ut earumdem ſtudio operam impendere poſſint.

Apud R. P. D. Ponentem vero fit communicatio earumdem informationum, ſive ſcripturarum tam facti, quam juris, cum earum Summariis, pars una, nempe, offert duo illarum exemplaria, unum pro eodem Referendario Ponente, alterum verò parti adverſæ conſignandum; ita & altera pars totidem pro effectu prædicto conſignat exemplaria ſuæ defenſionis, & Summarii; quæ quidem communicatio non immerito fit, ita namque datur locus promiſcuæ reſponſioni, qua omnia facti, & rationum momenta, in prioribus Scripturis deducta, ad trutinam revocantur.

Et deinde in die Lunæ, immediatè antecedenti Signaturam plenam, fiunt informationes in voce, itaut tam DD. Votantes, quam D. Ponentem adire debent Procuratores, eiſdemque controverſiæ ſummam exponere, & cætera ſummatim, quæ in informationibus in ſcriptis deducta ſunt; in qua quidem Informatione, quæ altera parte abſente fit, ſi eiſdem DD. Votantibus, & Ponenti difficultas aliqua occurrit, ſolvenda quippe eſt; & ſi in promptu ſatiſfieri non poſſit, in reſponſionibns conficiendis, & diſtribuendis proxima ſequenti die Martis, id agere debent, ut validiſſimis juris, & facti argumentis a difficultate illa dimoveantnr, & in eam deſcendant ſententiam, quæ promotæ inſtantiæ conſentanea ſit.

Hic revera agendi locus erat de forma conſcribendi informationes in ſcriptis, illaſque in voce exequendi, ac etiam quid quoad eas cautum reperiatur exponere; attamen ex eo quod peculiari Capite de ordine informationis, & ſcripturæ ante propoſitionem Cauſæ agere decrevimus, quum non mediocri indigeat animadverſione; omnia idcircò ad hujuſmodi materiam pertinentia ibidem referre meritò exiſtimamus, & tantummodo hic verba faciemus de conſuetudine illa, qua DD. Votantes, & Ponentes utuntur quoad ordinem recipiendi tum Cauſarum Patronos, tum Advocatos, dum eos adeunt iſti informandi cauſa.

E' *Fattinello* (1) namque edocemur, eam invaluiſſe conſuetudinem ponendi illos a ſiniſtris, dum in eorumdem ædibus merita Cau-

[1] *Cap. 6. num.* 20. 21. 23.

Cauſarum exponunt; & decretum, id ipſum præſcribens, Eminentiſſimi Cardinalis *Chiſii* extare in ejuſdem Signaturæ Juſtitiæ Regeſto (1); nec DD. Advocatos Conſiſtoriales, qui revera cæteros honore, ac dignitate præcellunt, aliter excipi, itaut in informando nulla potius gaudent prærogativa ſupra cæteros Cauſidicos etiam infimæ claſſis; nam uſu receptum eſt, ut qui prius ædes DD. Votantium, & Ponentium informaturus ingrediatur, prior informet, poſterior expectet. Et idemmet laudatus Auctor aſſerit, in hac tantum actione DD. Advocatos Conſiſtoriales ita excipi, *extra tamen illam debere ob eorum præſtantiam in honoris prærogativa cæteris Curialibus anteire*. Ex decreto Emi Præfecti refert *Franciſcus Gherius de Sotiis in Indice Tribunalium Urbis*, quod in informationibus, debitus, & conſuetus ordo ne ſubvertatur, prius ex Curialibus informet, qui prior acceſſit, non præferatur, niſi advocatus, vel Procurator, aut Subſtitutus Fiſcalis, informantes tamen pro Fiſco.

Et cedunt etiam locum DD. Votantes in propriis ædibus laudatis Conſiſtorialibus Advocatis informantibus, tam ſedendo, quam comitando, quum nempè pro Camera, & Fiſco Cauſam dicunt; ita enim a recolendæ memoriæ Innocentio XII. præſcriptum fuit obſervari ab omnibus Tribunalibus Urbis; id tamen omninò rationi congruum eſt, quum iis in Cauſis negotium Principis gerant; idcircò Advocatus ille Conſiſtorialis, qui Fiſci Patronus erit, ſi de aliis cauſis, vel negotiis Cameram Apoſtolicam minimè tangentibus agat, vi ejuſdem Pontificiæ Conſtitutionis excipiendus eſt, ac cæteri Advocati. Demum iidem DD. Votantes, adnotat laudatus *Gherius*, in die informationis neminem extra cubiculum Audientiæ comitari debent, niſi fuerit Prælatus, vel inſignis perſona.

Ad reliquas propoſitiones, quæ in plena Signatura fiunt, tranſeundo, hic animadvertendum cenſemus, quod ſi denuò eadem Cauſa proponenda venit in plena Signatura, & reſcripto, per eamdem emanato, addita fuit clauſula, *amplius*, quod idem eſt, ac amplius non proponatur, & evenit perſæpe, dum omnes ſuffragia ferentes, vel in Signaturæ congreſſu præſentes, fuerint concordes, itaut nemine diſcrepante capta reſolutio ſit, nequit D. Auditor, vel idem Eminentiſſimus Præfectus licentiam, quæ de *redeundo* dicitur impartiri, prout patet ex decreto plenæ Signaturæ anni 1680. tempore *Flavii Chiſii* Præfecti, exiſtente *in Regeſt. fol. 56. a tergo*, quo cautum fuit, non eſſe concedendam amplius licentiam redeundi ad Signaturam pro iis Cauſis, quę fuerunt omnium

 vo-

[1] *Fol. 75. a tergo*.

voto reſolutæ utraque parte informante, etiam ſi ea in Signatura non interfuerint niſi octo ſolum Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi DD. Votantes, ac ſingularum Cauſarum Ponentes, ſecus ſi in minori numero; & noviſſimè è decreto *XVIII. Reformationis Signaturæ anni* 1742., quo ſancitum etiam fuit, accedente rationabili cauſa, Eminentiſſimo Præfecto fas eſſe tantum, & perrarò dictam licentiam concedere, facto tamen per partem illam, quæ alteram Signaturæ reſolutionem experiri exoptat, duplicato depoſito ſcutorum quatuor; & hiſce omnibus adimpletis denuò commiſſio reproponi poteſt, qua de re ſupplex libellus hodiedum exhibetur. Eminentiſſimo Præfecto, eodemque vulgari idiomate conſcripto, exponuntur illata gravamina.

Et, ſi expoſita jura animadvertat Præfectus, eò potentiora eſſe, ut facile ſperari poſſit, quod Votantes Signaturæ a deciſis removeantur, ſupplicem libellum remittit R. P. D. Auditori, ad effectum concedendi licentiam *de redeundo* prout de jure; & ſequenti utitur reſcripto: *A Monſignor Uditore, che provegga come ſarà di ragione = N. Corſini Prefetto =* Quo quidem libello cum reſcripto, exhibito R. P. D. Auditori, & ab eodem, quum æquum eſſe judicatum fuerit, ad novam audientiam admitti litigantem, facultate citationem legendi elargita, fit citatio, ut ſequitur.

Signatura Juſtitiæ Præfecto, ſive &c.

Nepeſina Dotis.

Citetur Dominus N. N. ad videndum impartiri licentiam de redeundo ad primam poſt proximam Signaturam, & interim videndum ſibi inhiberi in forma, ne audeat &c. ſub pœnis &c. & decretum &c. ad primam diem, inſtante D. N. N. principali, ſive &c.

Archivium.

In calce ejuſdem ſe ſubſcribit R. P. D. Auditor ut ſequitur.

Poterit legi pro audientia diei N. menſis N. anni N. = N.N. Auditor.

Qua citatione reproducta, & lecta in dicta Audientia, fit decretum, ut infra.

Relatione facta comparuit D. N. N. Procurator petiit, & obtinuit, ut ſupra, facto tamen depoſito ſcutorum octo per octo dies ante Cauſæ propoſitionem, omni &c.

Abſque tamen dicta clauſula *amplius* ſi prima vice reſcriptum fuerit a Signatura, neceſſe quippe non eſt duplicatum depoſitum, eoque minus licentia Eminentiſſimi Præfecti, vel rationabilis cauſa, ſed tantummodo fieri debet conſuetum depoſitum ſcu-

ſcutorum quatuor, & omnes actus, quos in prima propoſitione ſigillatim obſervari recenſuimus. Hæc namque iterata propoſitio facienda etiam eſt prævia licentia D. Auditoris juxta inveteratam Curiæ praxim, & *Edictum Emi Scotti* anni 1719., quod extat inter decreta memorabilia Signaturæ Juſtitiæ in Bullario Clementis XI.; Quoad commiſſionem reproponendam ordo eſt, quod ea fiat cum inſertione alterius commiſſionis, quæ primo loco fuit propoſita, eodemque modo ſuperius expreſſo ſubſcribenda a Referendario, ſive Ponente electo; depoſitum verò omnino faciendum eſt per totam diem Jovis antecedentem repropoſitioni Cauſæ, ut videre eſt in *Edicto Eminentiſſimi Salviati n.* 12.; & juxta adnotata per *Ridolphinum* (1) pecunia prædicta, quæ in pœnam ſuccumbentiæ ſervatur, deponenda eſt penes S. Montem Pietatis Urbis, cujus cedula conſignanda eſt eidem Eminentiſſimo Præfecto, ſive R. P. D. Auditori; quam formam conficiendi depoſitum pro ſumma ſcut. quatuor in hujuſmodi dumtaxat caſu præſcriptam reperimus, quum Pontificia quadam Conſtitutione ſancitum legatur, omnia depoſita judicialia excedentia ſummam ſcut. quinque facienda eſſe in dicto S.Monte; at hodie relinquitur penes D. a Secretis R. P. D. Auditoris ejuſdem Signaturæ.

Breviter enarratis quæ gerenda ſunt pro repropoſitione Cauſarum in plena Signatura, ad ea nunc tranſeamus, quæ reſpiciunt earumdem propoſitionem in tempore æſtivo, a menſe nempe Junii, uſque ad menſem Septembris, quando, ut alibi dictum eſt, plena Signatura habetur ſingulis quindecim diebus; è ſumma Cauſarum multitudine, quæ præſertim æſtivo tempore proponuntur in plena Signatura, indubium eſt, oriri Cauſis ipſis præjudicium, ut a DD. Votantibus plenæ illarum cognitioni ſatisfieri non poſſit; proindeque *Fattinellus* ipſe, qui eo munere fungebatur, apertiſſimè fateri non erubuit, quod integrum ſtudium ſingulis Cauſis præſtare neutiquam Votantes valebant; *& dum multis Cauſis intendimus*, ajebat ille, *multas negligamus neceſſè eſt, cum immò oporteat nos cuncta rimari, & Cauſæ cujuslibet qualitatem plena inquiſitione diſcutere*, *leg. Judices Cod. de Judiciis*, *Can. judicantem* 30. *q.* 5. Qua de re cogitandum huic malo opportunum remedium, animadvertebat ille, & probatæ fidei Cauſidici id potiſsimè congruum eſſe cenſebant, fieri nempe in Signatura turnos ſaltem duos; aliqui verò, ut Signatura plena qualibet feria quinta omninò haberetur etiam æſtivo tempore, eaque die impedita, die ſequenti non impedita; ita namque ſapientiſsimè proviſum exiſtimabant, *ne per dua-*

---

[1] *In Praxi part.* 1. *cap.* 13. *num.* 55.

duarum, aut plurium hebdomadarum intervalla coacervatus Cauſarum numerus ſupra vires DD. Votantium, & in Juſtitiæ damnum adcreſcat.

Et quamvis ex *Edicto Cardinalis Cinthii Paſſari* Senogallienſis, in Aldobrandina Clementis VII. familia deinde cooptati, ut conſuleretur dictæ Cauſarum multitudini, ſancitum fuiſſet, quod *in qualibet Signatura DD. Referendarii duas tantum commiſſiones ſinguli proponerent*, & abuſui irrepto, de licentia nempe R. P. D. Auditoris plures ultra duas proponendi (quæ licentia proponendi extra numerum appellabatur) obviam ſapientiſsimè iviſſet ſanctæ memoriæ Pontifex Innocentius XI., dum in Signatura examinandum demandavit, an congruum eſſet, quod amplius non concederetur *extra numerum* in propoſitione Cauſarum, ab eaque ſub die 2. Martii 1679. reſolutum fuiſſet, raro id permittendum eſſe, & niſi neceſsitatis cauſa intercederet, ac deinde referente Eminentiſsimo *Flavio Chiſio* Præfecto, eidem reſolutioni acceſſiſſet Pontificia confirmatio, quæ innovata fuit quadam Epiſtola *Joannis Baptiſtæ De Luca* poſtea Cardinalis, de ejuſdem Pontificis mandato directa Emo Propræfecto, ut apparet ex Tribunalis Signaturæ Regeſto, deindeque edicto Cardinalis *Spada* in uſum revocata. Hiſce tamen remediis tam ſapienter repertis minimè obſtantibus, Referendarii, qui, ut *Calcagninus* ait (1) *licet, non faciant numerum in Collegio, faciunt quodammodo partem, ex eo quia habent, & ipſi votum deciſivum in iis tamen Cauſis, in quibus Relatoris, ſive Ponentis munus gerunt*, magnam rem conſtituentes in numeroſa Cauſarum reſolutione, ut judicandi, rectèque pronunciandi peritiam adquirant, & in Prælatorum magni nominis numero adcenſeantur, quandoque Cauſas a Curialibus quæritant; & ſolemnis abuſus irrepſit, ut ita a tribus, vel quatuor Prælatis propoſitio Cauſarum omnium fieret; hinc Emus *Salviati* Præfectus cenſuit, ac ſuo edicto ſancivit, quod quatuor tantummodo Cauſæ proponi poſſunt in plena Signatura per quemlibet Ponentem, quando Signatura plena habetur de hebdomada in hebdomadam, ſex verò, quando fit infra quindecim dies, non comprehenſis tamen in utroque caſu Commiſsionibus, ſive Cauſis illis, quæ redeunt, & quæ unica tantum parte informante reſolutæ fuerunt. Qui quidem Eminentiſsimus Præfectus, ut robur, ac firmitatem decretum haberet, injunxit, ut quilibet Ponens in ſubſcribenda propoſitione Cauſæ teneatur ibi enunciare, quo loco, primo, nempe, ſecundo, tertio, vel quar-

(1) *In praxi loc. cit.*

quarto illam proponet, & quod Procuratores non audeant Ponentes illos adire, qui aliis commiſsionibus impediti reperiuntur, ſub ſpe, nempe, obtinendæ facultatis, quæ dicitur *extra numerum*, ex eo quia dicta facultas in poſterum non concedetur; necnon Cauſæ extra dictum præfixum numerum Ponentibus delatæ in Signatura plena non proponantur, & illarum Procuratores, qui facultatem prædictam impetraverint, luent pœnam refectionis expenſarum, alteri ex collitigantibus applicandam.

Et quum Referendarii pro laudabili conſuetudine plures extent in Romana Curia, unuſquiſque ſat intelligit, hiſce recenſitis remediis non admodum conſultum fuiſſe propoſitioni plurium Cauſarum; nam ſi Referendarii in Romana Curia exiſtentes, quotquot ſint ab aliis muneribus non occupati, proponerent ſex Cauſas, immenſa propemodum eſſet earumdem propoſitio; eapropter *Fattinellus* jure conquerebatur, remedium illud inſufficiens eſſe. Credimus tamen, malo huic optimè occurriſſe edictum Eminentiſsimi *Salviati*, dum quampluribus Cauſis interdicti fuit propoſitio in plena Signatura, tributa omnimoda facultate, ut ſuo loco dicemus, R. P. D. Auditori in illis judicium ferendi, quod reſcripti plenæ Signaturæ vim haberet. Et pleniſsimè demum eidem multitudini Cauſarum obviam ivit Collegium ejuſdem Signaturæ decretis editis ſub *anno* 1742., quibus certa methodus præſcribitur in Cauſis proponendis, & ampliatur diſpoſitio Eminentiſsimi *Salviati*; nam proviſiones illæ reſpicientes denegationem facultatis proponendi *extra numerum*, nullum quippe levamen DD. Votantibus afferebant, immò potius eoſdemmet Ponentes tangebant, ut ita nempe incumberent ſtudio Cauſarum, ſumma, qua par eſt ſedulitate, cui profecto earumdem multitudo haud parum officit.

At quia in Congregationibus æſtivis, ob interruptam in qualibet hebdomada Cauſarum propoſitionem, effrænata etiam earumdem erat multitudo ex eo potiſsimum, quod quæ duabus vicibus, hoc eſt duabus in Signaturis proponendæ erant, in una proponebantur; ideoque ſapientiſsimè laudatis Decretis cautum fuit, ut in poſterum in quacumque Signatura, ſive Congregatione æſtiva non proponantur, nec proponi poſsint pluſquam quadraginta commiſsiones iis etiam comprehenſis, quæ redeunt, ac cæteris, quæ unica tantum parte proponuntur, & hunc præſcriptum numerum nemini ſub quovis prætextu tranſgredi licitum eſſet, utque inviolabiliter obſervaretur. Sequuta informationum in ſcriptis diſtributione, Auditor Signaturæ eligendo cauſas illas, quæ intra dictum numerum proponendæ ſunt, cæteras illum excedentes ſegregabit, ac uſque ad aliam Si-

Digitized by Google

Signaturam detinebit, ut fuſius ſuo loco enarrabimus.

Quæ quidem commiſsiones a D. Auditore ſeparatæ, ac ad ſequentem Signaturam reſervatæ, proponendæ omninò ſunt in prima proxima Signatura; nec ad retardandam exequutionem judicati, a quo reclamatur, opus eſt nova ſuperſeſſoria, quum interim occaſione dictæ ſeparationis partes habeantur tanquam inhibitæ, ac ſi prorogatio expirata non eſſet. Quid autem agendum ſit quando altera Signatura advenerit, ſapientiſsimè præſcriptum legitur in antedictis Decretis ſub *num.* X., quod nempe informationes in voce ſuper dictis commiſsionibus, ad ſequentem Signaturam reſervatis, habeantur die Lunæ, immediatè antecedente diem ſequentis Signaturæ, & tantummodo reſponſiones conficiendæ ſint; quum jam ante ſegregationem illam diſtributæ fuerunt ſcripturæ, quæ a forenſibus primæ dicuntur; & reſponſiones illas diſtribuere oportet proximè ſequenti die Martis ejuſdem hebdomadæ, in qua altera Signatura habetur, prout fieri adnotavimus in cæteris commiſsionibus.

In hoc enim rerum ſtatu creviſſent quippe litigantium incommoda, ex eo præſertim, quod arrepta occaſione Cauſidici novas conficerent informationes, ut magis lucriſacerent, niſi prudenti conſilio ſtatutum fuiſſet in eodem *capite X.*, non licere Procuratoribus ultra jam diſtributas informationes, ac præter ſolitas reſponſiones diſtribuendas, alias diſtribuere, non obſtante quovis prætextu, vel quæſito colore ſupplicis libelli additionalis, ſive *reaſſumatur*, aliorumque ſimilium.

Evenit aliquando, ut differatur Cauſarum reſolutio ab ipſa Signatura, & duobus potiſſimum modis accidere id ſolet, vel ex officio ab eadem Signatura, ut maturior cognitio controverſiæ inſtituatur, ad dirimendam præſertim ſuffragiorum paritatem, vel ex petitione dilationis ab alterutra parte factæ; & in hac dilatione concedenda liberum omninò non erit arbitrium DD. Votantium, nam accedente tantum urgentiſſima cauſa fieri debet, alias etiam uno ex collitigantibus informante commiſſio proponenda eſt, & pars altera non comparens, vel dilationem petens abſque legitima cauſa, contumaciæ pœnas eo modo luet, ut, ſi commiſſionis deinde reformationem petere velit in altera Signatura, nullo pacto audiatur, niſi oratori expenſas refecerit in ſumma ſcutorum quatuor; eademque pœna mulctatur ille, qui commiſſione tranſmiſſa, parte informante, a propoſitione reſiliverit, aut abſque graviſſimo impedimento dilationem poſtulaverit.

Ad obtinendam dictam dilationem conſueverunt Romani Cauſidici memoriale, ſive ſupplicem libellum efformare, quo argumenta va-

validiora, ſive cauſas urgentiſſimas exponerent ad effectum obtinendi; attamen rectè faciunt quamplurimi, qui jura, rationeſque Cauſæ in ſcriptura, ac ſi ea proponenda eſſet, deſcribunt, & noviſſimo loco occaſionem recenſendo dilationem expoſtulant; nam plurimum ea methodus agit, ex eo, quod aliquando DD. Votantes, bonum jus agnoſcentes, facilius dilationem impartiuntur; ſecus verò eſt, quum diverſimodè agitur, creditur enim, petitionem dilationis fieri, ut temporis beneficio fruantur partes, & ita adverſarii defatigentur; quod iniquum profectò eſt, ex eo potiſſimum, quod defenſores non ſubterfugiis, ſed juribus Cauſas tueri debeant; ſi hanc namque honeſtatis, & probitatis laudem omnes anxiè quærerent, non abundaret profectò Curia tot controverſiis, & cauſis, quæ utinam aliquando apertiſſimæ injuſtitiæ notam non præſeferrent.

Reliquum eſt, ut videamus, quid ſervandum in productionibus ſcripturarum, hoc eſt jurium, ſive privatorum, ſive publicorum, quæ ad Cauſam proponendam pertineant; & quidem Eminentiſſimus *Salviati* ſub *num.* VI., inhærendo decretis latis per Cardinalem *Chiſium* prædeceſſorem ſuum, expreſsè mandavit, quod ea omninò producantur per decem dies ante Cauſæ propoſitionem, in Signatura faciendam; non tamen prohibuit Ponentibus, ut in caſibus ſibi beneviſis, & neceſſitatis cauſa exiſtente, haud poſſint ſcripturas, & jura recipere, ac illa in plena Signatura referre, ut de illis habeatur ea ratio, quæ de jure habenda erit.

Quum verò pars aliqua, ex eo quia in promptu non habeat jura, ſive inſtrumenta, quæ ad Cauſæ defenſionem conducunt, retardari exoptet ejuſdem propoſitionem, ac ad aliam Signaturam reſervari, interpellationem conficere debet ſuper non propoſitione commiſsionis, & de ea partem alteram judicialiter certiorem reddere; eapropter illam faciendam eſſe etiam tempore feriarum generalium pridiè quam informetur, per totam nempe diem Sabbati, qua elapſa, ſi fiant, nullius prorſus roboris eſſe, ſtatutum fuit ab Eminentiſſimo *Salviati* ſub *num.* 12.; immò qui contravenerit, reficere expenſas parti informanti in præſcripta ſumma ſcutorum quatuor teneri, ex ipſomet Edicto animadvertimus; eamdemque pœnam ſubire tenentur Procuratores, dum pro mutatione Ponentis inſtantiam promovebunt, & eadem die Sabbati interpellationem, ut ſupra præſcriptam, facere neglexerint.

Et quia aliquando in Cauſis ordinariis obtinentur commiſſiones, quæ in Camera ab Eminentiſſimo Præfecto ſignantur, quæque appellantur *ſotto banca*, ut ſuperius diximus; in iis ſi doloſè aliquid

quid

Digitized by Google

quid enarratum ſit, vel clauſulæ, quæ de jure ac ſtylo apponendæ eſſent, deficiant, oportet illarum reformationem expoſtulare in plena Signatura; & tunc commiſsiones reformatoriæ proponuntur eodem ordine, ac illæ quæ reformatoriæ ſunt alterius commiſsionis, a Signatura plena ſignatæ; id tantummodo cautum reperitur *in reformatione Tribunalium Urbis anni* 1611. (1), ut cum agitur de reformatione, ſive moderatione ejuſdem præinſertæ, nullo pacto a Præfecto Signaturæ Juſtitiæ ſignari debet, niſi nomen Referendarii in ipſa præinſerta appoſitum fuerit; rationem vero reddit eademet Conſtitutio Reformationis Tribunalium, ut Referendarius, qui eidem manus appoſuit, quare ita commiſſio illa ſignata ſit, juſtificare poſsit; & demum, ſi commiſsio reformata fuerit, Eminentiſsimus Præfectus manu Regia, & exequutivè expenſas factas in reformatione reſtituere faciat, ſine litis minime expectato.

Evenit aliquando, ut recenſita methodus traſmittendi commiſsiones, & intimandi propoſitionem Cauſæ non ſervetur, quum nempe agitur de re, quæ dilationem non patitur, ſit, exempli gratia, in mandatis ſuſpicionis fugæ; tunc enim ſi coram R. P. D. Auditore citatur pro habenda ſuperſeſſoria ad effectum adeundi plenam Signaturam, ex eo quia ſit inſtantia in audientia diei Jovis, & tempus, tranſmiſsioni commiſsionum, & intimationi propoſitionum præſcriptum, elapſum reperitur, nè pars adverſa teneatur ex cauſa legitimè tranſmittendi commiſsiones alteram plenam Signaturam expectare, & ut omnino negotium proponatur in proxima Signatura, idemmet Auditor deputando Cauſæ Ponentem decernit, quod *commiſſio habeatur pro tranſmiſſa*, *partes pro intimatis*, & *Cauſa proponatur in proxima Signatura per R. P. D. N. N.*

Et hæc ſint ſatis quoad methodum agendi ante propoſitionem Cauſæ in plena Signatura, quum cætera, quæ reſpiciunt commiſſionum tranſmittendarum naturam, ſive qualitatem, in peculiari Capite adnotare non prætermittimus, ut propoſitum ordinem omninò obſervemus.

De auctoritate Auditoris Signaturæ, quæ partem alteram hujuſce capitis conſtituit nunc agere propoſuimus. Et primum omnium Auditor Signaturæ antiquitus Auditor erat Eminentiſsimi Præfecti, itaut non mirum, ſi *Rota coram Bichio* (2) afferat, hujuſmodi Auditorem vulgò dici Signaturæ, quum Auditor ſit Eminentiſsimi Prȩfecti; & quidem tunc temporis togatus tantummodo erat;

[1] *De Signat. Gratiæ & Juſtitiæ n.* 8. [2] *Deciſ.* 451. *n.* 3.

erat; at deinceps ex eo quia Præfectus penes ſe alium retinere cœpit domeſticum Auditorem, qui in Cauſis, in quibus a dicto Auditore Signaturæ recurritur ad Eminentiſſimum Præfectummet, judicare ſolet, uſus invaluit, ut hujuſmodi Auditor ab illo ea denominatione diſcriminaretur, ac in ſumma exiſtimatione munus illud crevit, ut noſtris his temporibus ſemper ſapientiſſimis Prælatis concreditum ſit; & quum non modicam ille habeat jurisdictionem, operæ pretium erit hic adnotare, in quo potiſſimum ea verſetur. Inter cæteras enim ſui muneris partes primo loco recenſenda eſt facultas, ſuperſeſſorias concedendi, vel eas denegandi, ad effectum adeundi plenam Signaturam, itaut priuſquam rei judicatæ vim obtineat decretum aliquod in Cauſa latum, coram eodem ſit citatio, parti adverſæ directa, prout ſuo loco ſatis abundè diximus.

Revocat etiam ille attentata, quæ committuntur in ſpretum ſuperſeſſoriæ per Signaturam conceſſæ, vel in ſpretum recurſus ad eam, quod mirum adeo non eſt, ſi præ oculis habeamus axioma illud, quod pro firma regula in foro habetur, in materia attentatorum, ea nempe revocanda eſſe ab eo Judice, cujus inhibitio, vel auctoritas fuit ſpreta; & in hac attentatorum materia, id præcipue præſcriptum reperimus, ut reſpectu attentatorum commiſſorum in ſpretum Signaturæ reſolutionum, aut decretorum D. Auditoris, tunc citationes coram Eminentiſſimo Præfectomet attendi debeant, quum ſuper iiſdem attentatis promota jam inſtantia fuerit coram dicto D. Auditore, & fuerint per Eminentiſſimummet ſubſcriptæ; itaut prius Auditoris judicium experiundum eſt, illudque vim reſcripti plenæ Signaturæ habere, jubetur in Edicto Eminentiſſimi *Salviati*.

Inter alia negotia, quæ expedit idem Auditor, eſt remiſſio Cauſarum ad partes in prima inſtantia, quando nempe Cauſa, vel curialis non ſit, hoc eſt, juxta Edicta Reformationis Curiæ, non excedat ſcuta quinquaginta monetæ Urbis, vel decretum latum diffinitivum non ſit, neque vim habens diffinitivi; tunc enim, quamvis inhibitio ab Auditore Cameræ, ejuſque Locumtenentibus, fuerit expedita, & exequuta, ſi altera pars reclamet, remiſſio Cauſæ ad partes decernitur; ſi vero Auditoris Cameræ Tribunal moderaſſet aliquam inhibitionem a ſeipſo expeditam, quæ moderanda non eſſet, pars illa, cui dicta moderatio non arridet, citando coram dicto Auditore obtinet inhibitionis reintegrationem; ambarum citationum formula ſequens eſt.

Digitized by Google

Eminentiſſimo S. I. P., ſive &c.

Citetur N. N., ex adverſo Procurator aſſertus N. N. ex adverſo Principalis ad videndum moderari inhibitionem nulliter, & indebitè obtentam, illamque mandari non afficere, declarari cauſam ſpectare ad partes, & decretum ad primam &c. inſtante N. N. Principali, ſive &c.

N. N. Notarius.

Eminentiſſimo S. I. P. ſive &c.

Citetur N. N., ex adverſo Procurator aſſertus N N. ex adverſo Principalis ad videndum prævia, quatenus opus ſit, repoſitione a quocumque decreto nulliter, & indebitè extorto ab R. P. D. N. N. reintegrari inhibitionem, illamque mandari afficere, prout de Jure, & decretum &c. ad primam &c. Inſtante N. N. Principali, ſive &c.

N. N. Notarius.

Cognoſcit etiam de competentia juriſdictionis, itaut, ſi caſus eveniat, quod Cauſa introducta ſit coram incompetenti Judice, adverſario inſtante ille decernit Cauſam ſpectare ad proprium judicem, ideoque eamdem avocat a Judice, coram quo introducta prius reperiebatur. Facultas enim hæc conceſſa Auditori Signaturæ de competentia judicandi laudanda quippe eſt, nam a ratione alienum eſſet, ut ſibimet de competenti juriſdictione jus dicerent Tribunalia; hinc *Accurſius* gloſſatoris munus gerens in *leg.* 2. *Digeſt. ſiquis in jus vocatus*, dum eam propoſuit quæſtionem, *ſed quomodo erit judex in cauſa propria, reſpondetur, non eſt in ſua, quantum ad utilitatem, ut aliquid dicatur eſſe alicujus, ut infra, quando appellandum ſit, leg.* 1. §. *in propria* ita nos animadvertit, *ſed juriſdictio ſua pronunciando ampliatur, pronunciabit ergo ſe Judicem eſſe, vel non eſſe*; Cujacius vero Accurſium reprehendit, at perperam, nam recte dixit ille, Judicem in Cauſa propria jus dicere, ex ea forſan ratione, quia & juriſdictio per eum prorogatur, & jus ſuum ipſemet tuetur, deciſionem nempe ferendi in ea, vel in illa Cauſa, jus dicendi in iſtam, vel illam perſonam; itaut quotidie in aliis ditionibus Judices in Cauſis, vulgò competentiæ dictis, inter ſe mirum in modum decertare, & aliquando omni ferme conatu acerrimam agere litem, demonſtravimus in adnotationibus ad eruditiſsimos *Commentarios Franciſci Rapolla de Jure Regni Neapolitani* (1). Diximus enim, ſi Cauſa eſt introducta coram Judice incompetenti, ab Auditore Signaturæ eam

[1] *Part.* 1. *Cap. VII.*

eam remitti Judici competenti, at ſi ea fuerit inſtructa, & pars incompetentiæ exceptione uſa non eſſet, tunc D. Auditor remittendo Cauſam competenti Judici decernere debet refectionem expenſarum favore actoris; ita namque Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Cardinalis *Argenvillieres* Proauditor Sanctiſsimi, quum coram eo diſputatum fuit de Competentia Juriſdictionis, avocando Cauſam, meritò juſsit refici expenſas, ut obviam iret calumniis, & ſubterfugiis litigantium.

Ad eumdem D. Auditorem pertinet decernere, quænam Cauſæ, vel Commiſsiones dignæ ſint judicio plenæ Signaturæ, cui ab eodem remittuntur, concedendo interim recurrentibus ſuperſeſſoriam, uſque ad primam, vel reſpectivè ſecundam Signaturam. Non omnes enim, ut etiam advertit *De Luca* (1), commiſſiones in plena Signatura proponuntur, ſed ſolum illæ, ſuper quibus dubium emergat, an admitti, vel reiici debeant; eapropter ſi adverſarius exoptet juſta de cauſa impediri commiſsionis tranſmiſsæ propoſitionem, recurſum habere debet ad D. Auditorem, citando partem alteram, ut ſuo loco diximus.

Quando cautiones recipiendæ ſunt præſertim in judicio ſuſpicionis fugæ, quod frequentiſsimè in uſu eſt in Romana Curia, etiam fit citatio coram Auditore ad videndum recipi cautionem, & interim inhiberi; nam praxis docet in eo judicio reum conventum non audiri, niſi, vel judicium ſecurum reddat, prout in foro dicitur, præſtita cautione, vel facta ſolutione; hinc debitores ita conventi, ut temporis beneficio utantur, citationes faciunt coram Auditore Signaturæ, qui jubet per totam audientiæ diem recipi cautionem; qua citatione pendente, ejuſque decreti termino non elapſo, mandatum aliquod expediri non poteſt, alias attentatum omnino eſſet.

Item ad tollendas omnes, & quaſcumque inhibitiones, quæ in omnibus cauſis fieri contingunt, recurſus ſit coram eodem D. Auditore, qui ſi agnoverit eas eſſe tollendas, decernit non afficere ad effectum impediendi actum de quo agitur; qua declaratione ſequuta inhibitiones illæ non poſſunt amplius cauſare attentata, uti ſublatæ a Papa ſupremo Principe, cujus nomine Cardinalis Præfectus, illiuſque Auditor reſcribit, prout ex *Deciſione Celſi* (1) adnotat *Conſtantinus ad ſtatuta Urbis* (3).

Aliquando rabulæ forenſes lites in longum protrahere ſtudent, & nè decreti ipſis contrarii exequutio petatur, citationes factas pro

[1] *In Relat. Curiæ diſc. 31. num. 6.*
[2] *Deciſ. 281. num.*
[3] *Sect. 1. Addn. 52. art. 1.*

pro repoſitione ad effectum impediendi non producant in Judicum audientia, ut manus liberas (in Curia dicitur) non habeat litigans victor; eo enim caſu fit citatio coram dicto D. Auditore ad videndum declarari, citationes factas, & faciendas, amplius non recipi, & juſtiſſimæ inſtantiæ paſſim aſſentitur a D. Auditore, ut dilationibus occurratur; & quamvis edicto Reformationis Curiæ caveatur, tertiam citationem non reproductam in audientia poſſe impunè ſperni, tamen, ut ſecurius agatur, & nè deinceps in aliis ejuſdem Cauſæ actibus id fiat, jam dicta agendi methodus ſervatur.

Ad eumdem D. Auditorem pertinet, novam audientiam concedere, quum, nempe, pars illam petens habuerit in prima propoſitione votum aliquod favorabile, vel ſi oſtendat novum aliquod motivum in facto, vel in jure, adeò ſubſiſtens, ut poſſit ſperare receſſum a prima reſolutione (1), & eo caſu fit citatio, prout ſequitur.

Emo S. I. P. ſive &c.

Citetur N. N. ex adverſo Procurator aſſertus N. N. ex adverſo Principalis, ad videndum ſibi impartiri licentiam de redeundo ad primam poſt proximam Signaturam, & inhiberi, & decretum &c. inſtante N. N. Principali, ſive &c. *Archivium.*

Et in Cauſis, in quibus per dictum D. Auditorem conceditur licentia redeundi ad plenam Signaturam, addit ille clauſulam, *facto depoſito*; quando verò in prima reſolutione Signatura reſcripſerit præcisè addendo, *& amplius non proponatur*; hoc caſu debebant olim Procuratores adire cum memoriali plenam Signaturam, vel recurrere ad Summum Pontificem, ejuſve Auditorem, qui tamen adverſus Signaturæ plenæ reſolutiones non ita facile manus apponere ſolebat, ſed tantummodo in caſu manifeſti gravaminis novam cauſæ cognitionem demandabat eidem Signaturæ juſtitiæ, ac perraro, & nonniſi conſulto Pontifice, talem remiſſionem dirigebat Signaturæ Gratiæ; noſtris vero temporibus aliter cautum reperitur *in decretis anni* 1742.

In Cauſis non excedentibus ſummam ſcutorum quinquaginta monetæ, ad parcendum litigantium expenſis, & coercendos inſurgentes abuſus, facto verbo cum Sanctiſſimo, Emus *Spada* Signaturæ Præfectus præcepit, quod nemo in poſterum audeat illas proponi facere in plena Signatura, ſed pro impetrandis & ſignandis commiſsionibus cum clauſulis opportunis inſtent partes coram dicto Domino Auditore prævia citatione partis adverſæ, facienda per acta Nota-

[1] *Conſtantin. Adnot. 52. art. 1. ſect. 2. n. 48.*

tarii Archivii cum inſertione commiſſionum ſignandarum ad formam decretorum ejuſdem D. Auditoris, cujus decreta juſſit, ut habeant vim reſcripti plenæ Signaturæ, & perinde, ac ſi ex illa emanaſſent; quibus tamen partes non adquieſcentes, tunc poſſint recurrere ad Eminentiſſimum Præfectum, & docto de gravamine eorumdem indemnitati conſulendum curabit.

Omnes, & quaſcumque citationes, reſpicientes Signaturam, primo loco faciendas eſſe coram dicto D. Auditore, niſi agatur de Cauſa Criminali Tribunalium Urbis, itaut ſi prima vice fiat coram Præfecto poſſint impunè ſperni, & non afficiant; imo vetitum eſse Notariis, ne audeant illas recipere, aut receptos legere, niſi coram D. Auditore prius citatum fuerit, ſub pœnis dicto D. Auditore beneviſis, adparet ex Edicto Eminentiſſimi *Scotti*.

In Cauſis non appellabilibus ratione parvæ ſummæ, hoc eſt, non excedentibus, ut ſupra diximus, ſummam ſcutorum quinquaginta monetæ Romanæ, admittitur tantum recurſus, ideoque in foro recurribiles appellantur. Qui quidem recurſus, an admittendus, vel reiiciendus ſit, a D. Auditore Signaturæ cognoſci debet, quando partes non acquieſcant decreto Auditoris Cameræ, ex eo quia licet Auditor Cameræ in facultate etiam habet admittendi recurſum in ſimilibus Cauſis definitis ab RR. PP. DD. Locumtenentibus, & Auditore ejuſdem A. C., cognitio verò ſuper juſtitia, vel injuſtitia admiſſionis, vel rejectionis earumdem ſpectat quoque ad Eminentiſſimum Præfectum Signaturæ, ſive ad ejus R. P. D. Auditorem. Et quamvis D. Auditor Cameræ acerrimè contenderet ad ipſum pertinere in dictis Cauſis recurſum admittere, ſi deciſæ eſſent per ſuos Locumtenentes, ſuumque Auditorem, privativè etiam quoad Cardinalem Præfectum Signaturæ Juſtitiæ, ac ejus R. P. D. Auditorem; itaut hi non poſſent aliquo modo ſe ingerere ſuper talibus recurſibus admiſſis, vel rejectis per ipſum A. C., ac ſuper juſtitia, & injuſtitia admiſſionis, & rejectionis; id tamen quum eſſet contra antiquam obſervantiam Curiæ, læderetque nimis juriſdictionem, & ampliſſimas facultates, circa concernentia juſtitiam, Cardinalis Præfecti, ac ejus Auditoris, eapropter Summus Pontifex de anno 1703. hanc controverſiam mandavit dirimendam a particulari Congregatione ſex inſignium Prælatorum, nempe *RR. PP. DD. Capraræ*, *Lancettæ*, *Anſaldi*, *Caffarelli*, *Grimaldi*, *& Corradini*; & poſt binam Cauſæ diſcuſsionem ſub die 27. *Julii* 1705. fuit reſponſum, competere Juriſdictionem Eminentiſſimo Præfecto, ſive ejus Auditori. In qua quidem Cauſa favore Cardinalis Præfecti ſcripſit *Marcellus Severolus* Signaturæ Juſtitiæ Decanus, magni nomi-

minis Juriſconſultus, & PROSPER LAMBERTINUS, tunc Sacræ Conſiſtorialis Aulæ Advocatus diſertiſſimus, nunc Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontifex vigilantiſſimus; & quia, inſtante *R. P. D. Carolo Cerro* Signaturæ Auditore, plurima motiva, & jura extrajudicialiter dedit *Franciſcus Maria Conſtantinus*, idcircò deinde peculiare votum in hac controverſia exaravit, editum in *volumine tertio Votorum deciſivorum* (1), & inter cætera argumenta refert, non obſtare quod Signatura plena Juſtitiæ non reſcribat in Cauſis ſolum recurribilibus, ex eo quia non procedit ex defectu juriſdictionis, ſed ex peculiari Summorum Pontificum juſſione, qua litigantium utilitati potiſsimum conſulitur, nè graventur expenſis in cauſis modicæ ſummæ, & illæ valorem rei, de qua agitur, abſorbeant; nec inferri ex eo poteſt, quod ſi A. C. in admittendo, vel denegando recurſum, in præfatis Cauſis gravaverit, non poſſint litigantes recurrere ad Eminentiſſimum Præfectum Signaturæ Juſtitiæ, illiuſve Auditorem.

Et quamvis Innocent. XII. Conſtitutione 67. decreverit, Cauſas recurribiles, quando non excedant ſcuta 50., definiendas eſſe a Judice recurſus, attamen *Conſtantinus* non obſtare contendit, quia deduci ex ea non poteſt, quod Papa Cardinali Præfecto, ac ſibi ipſi voluerit adimere juriſdictionem ſuper recurſus admiſſione, vel rejectione non jure facta.

Obſervantiam præ cæteris validum fundamentum conſtituere, ait laudatus Auctor, ac eam ex actibus publicis, & citationibus judiciariis, factis occaſione hujuſmodi recurſuum ab anno 1655. uſque ad tempus motæ litis coram Cardinalibus *Sacchetto* Seniore, *Chiſio*, & *Cavallerino* Præfectis, ac eorum Auditoribus, ſatis comprobatam fuiſſe; e dictis enim actibus dignoſcebatur apertiſſimè, ipſos Præfectos, eorumque Auditores ſuper recurſibus proceſsiſſe non modo in Cauſis Cardinalis Vicarii, & Gubernatoris Urbis, verum & in illis dicti Auditoris Cameræ.

At quia hic ſermo habetur de Cauſis recurribilibus, & appellabilibus, videndum porrò exiſtimamus, an ulla intercedat differentia quoad actus judiciales; equidem appellationem inter, & recurſum nullam reperiri in ſubſtantia differentiam, certum eſt, quum recurſus in appellationis locum ſuccedat, ex dictis per *Menochium* (2), & *Lancellottum* (3); attamen ea differentia dignoſcitur, quod illæ terminari debent per acta ejuſdem Notarii, ſine ſolutione regeſti, & propinæ, ſecus vero eſt in appellatione.

Quoad

---

(1) *Vot. 351.*

(2) *De Arbitr. Judicum lib. 1. q. 70. num. 20.*

(3) *De Attentatis Tit. de Attent. pendente recurſu cap. 19. num. 17.*

Quoad hujuſmodi Cauſas recurribiles ſancitum itidem reperitur, ut in iis, ſi tam a Capite Tribunalis, a quo recurritur, quam ab R. P. D. Auditore Signaturæ fuerit denegatus recurſus, ſeu tantum admiſſus in devolutivo, citationes factæ, & faciendæ coram quocumque alio habente etiam ſuperiorem poteſtatem, impunè ſperni poſsint, abſque vitio attentatorum, itaut ulterior recurſus in prædictis Cauſis intelligatur denegatus, ut legitur in confirmatione *decretorum Reformationis Tribunalium Urbis*, *habitæ ſub die* 13. *Novembris*, *extenſorum ſub die* 15. *ejuſdem menſis anni* 1732. §. 18.

Antiquitus quando pars aliqua conquerebatur de Judice retardante expeditionem Cauſæ, recurſus habebatur ad D. Auditorem, a quo demandabatur ſignari commiſsionem appellationis a denegata juſtitia, & Cauſa alteri Judici delegebatur; attamen *de anno* 1608. *die* 17. *Novembris*, ex *adnotationibus deciſionis Joannis Baptiſtæ Coccini* (1) habemus, in Rota ſtatutum fuiſſe, *quod adnotaretur in libro*, *quod die* 13. *ejuſdem menſis in Signatura Juſtitiæ ordinatum fuit R. P. D. Alexandro Juſto Auditore tunc ibi aſſiſtenti*, *ut commiſſiones occurrentes*, *in quibus Procuratores ſub prætextu appellationis a denegata juſtitia obtinent*, *alteri Auditori directæ*, *abſque voto totius Signaturæ non attendantur*, *ſed procedatur in Cauſa ad ulteriora juxta formam priorum commiſſionum*, *& regulam Cancellariæ* 35., *quæ incipit*, *Item Dominus noſter*.

Apoſtolica Sede vacante, ex eo quia juriſdictio illius, qui munus Auditoris Pontificis gerebat, planè extinguitur, ac idcircò plurium Cauſarum forenſium audientia, ac juſtitiæ curſus non ſine ingenti litigantium jactura impediuntur; ideo pro tempore exiſtenti Auditori Signaturæ Juſtitiæ Clemens XII. in Conſtitutione, quæ incipit *Apoſtolatus officium*, *ſub die* 15. *Octobris* 1732. §. 19. edita pro recto Conclavis regimine, commiſit, & mandavit, eidem concedendo neceſſarias, & opportunas facultates, ut citationes, ac recurſus omnes, qui coram dicto Auditore Pontificis defuncti tunc pendere reperiantur, prout Juris fuerit, expediat.

Item quando agitur de communicatione facultatum Auditoris Cameræ vetitum eſt adire plenam Signaturam, niſi partes prius inſteterint coram R. P. D. Auditore Signaturæ, cujus decreta vim reſcriptorum plenæ Signaturæ habere præſcribitur in Edicto Eminentiſsimi *Salviati* Præfecti; itaut, ſi non acquieverint, recurſum ad plenam Signaturam habere poſſunt; attamen, ſi iterum ſuccubue-

[1] *Adnot.* 184.

Digitized by Google

rint, parti victrici ſolitas expenſas ſcutorum quatuor procuratores in pœnam reficere tenentur.

Ejuſdem Auditoris præcipua cura eſſe debet, nè commiſsiones tranſmittantur in plena Signatura pro ſimplici ſententiarum, & decretorum circumſcriptione, niſi in eiſdem commiſsionibus alternativa petitio apponatur, quod nempe quatenus circumſcriptioni locus non ſit, Cauſa appellationis committatur cum clauſulis opportunis, prout liquet ex laudato Edicto Eminentiſsimi *Salviati*.

Antequam propoſitio Cauſæ fiat in plena Signatura, quum ſit diſtributio ſcripturarum, ſive informationum in ſcriptis, illarum exemplar diſtribuendum etiam eſt eidem D. Auditori, & ita obſervandum in diſtributione reſponſionum ſtatuit Eminentiſsimus *Salviatus n.* IX., & ante illum Eminentiſsimus *Scotti ſub die* 3. *Junii 1726.* & folium originale propoſitionis vulgò *il Proponam* omninò eidem D. Auditori tradendum eſt per integram diem Mercurii, ſubſequentem diem Veneris, in qua traſmittitur commiſsio.

In Cauſis Mercedum, quæ revera privilegiatiſsimæ ſunt, cæteriſque aliis non excedentibus ſcuta vigintiduo monetæ, citationes omnes fieri debent coram R. P. D. Auditore, & ab ejuſdem decretis reclamari non poteſt, nec etiam in gradu recurſus; & Notarii hujuſmodi citationes recipere, ac receptas legere nequeunt, ſub pœnis eidem D. Auditori, & Eminentiſſimo Præfecto beneviſis, quamvis ex edicto Eminentiſſimi *Scotti* appareat, ita ſervandum in Cauſis excedentibus ſcuta undecim.

In Cauſis illis, reſpicientibus attentata, moderationes inhibitionum, præfixiones terminorum, admiſſiones, vel denegationes recurſus, ac deputationes alterius Judicis, ſi decreto ſuperioris, ſive Capitis alicujus Tribunalis uniforme acceſſerit illud D. Auditoris, tam ſi admiſſa, quam ſi rejecta inſtantia fuerit, citationes non afficere, ac impunè ſperni poſſe, cautum fuit laudato *Edicto anni* 1718.. Nec mirum profectò eſt, quia tanta gaudet auctoritate D. Auditor Signaturæ, ut ſi quis contra decretum ab ipſo emanatum adire velit Signaturam plenam, & deinde ſuccubuerit, ſolvere debeat Procuratori partis adverſæ, non autem parti, ſcuta quatuor pro refectione expenſarum; quæ ſumma ſolvenda eſt non a cliente, ſed a Procuratore, ſive defenſore, qui pervicaciter auſus fuit plenam Signaturam adire, & ab illa adverſantem reportavit reſolutionem, ut ex edicto Eminentiſſimi *Spada* 18. *Januarii* 1701. evidentiſſimè patet, & renovatum etiam fuit ab eodem *ſub die* 12. *Junii* 1706., & deinde etiam ab Eminentiſſimo *Scotti ſub die* 19. *Januarii* 1719

Ut

Ut autem citationes illæ, quæ fiunt ad dicendum contra memoriale cum reſcripto Eminentiſſimi Præfecti, afficiant, prius ſubſcribendæ ſunt a dicto D. Auditore; eapropter, ſi abſque dicta ſubſcriptione tranſmittantur, nullam pariunt inhibitionem, immò poſſunt impunè ſperni, ut cavetur *cap.* 21. *decretorum anni* 1742.

Et ex eo quia copiæ citationum, jam per Curſores tranſmiſſarum, legi a Notariis non poſſunt, quando neceſſitas id expoſtulet, Auditoris Signaturæ jus eſt, licentiam concedendi, ut abſque pœnarum incurſu eas legere valeant; prout etiam, ſi in decreto apposuerit ille clauſulam, *& amplius*, & pars denuò citationes facere vellet, ſubſcribendæ ſunt ab eodem D. Auditore.

Cura D. Auditoris etiam eſt, ut Notarii eas tantum citationes legant, & recipiant, quæ reſpiciunt Cauſas vertentes in eorum officiis, in Cauſis verò illis, quæ in partibus vertuntur coram judicibus delegatis, & aliis quibuſcumque, ut fiant per acta ſcriptoris Archivii, quod ſi ſecus factum fuerit de nullitatis vitio redarguuntur, una cum decretis in illis emanatis; & Notarii illas audentes, vel legere, vel recipere, ſubiiciuntur pœnis, Eminentiſſimo Præfecto, eidemque D. Auditori beneviſis, juxta edictum Præfecti *Salviati ſub numero* XXVII.

Noviſſimis Decretis, a Collegio Votantium Signaturæ editis, jam ſupra diximus, præſcriptum fuiſse, quod in quacumque Signatura æſtiva proponi haud poſſunt pluſquam quadraginta commiſſiones, iis etiam comprehenſis, quæ redeunt, & quæ unica tantum parte informantur. Et ut debitus ordo ſervetur, iiſdem cautum etiam fuit, quod Signaturæ Auditor, ſequuta commiſſionum diſtributione, ſeparabit illas, quæ numerum quadragenarium excedunt, & eas adnotari curabit in folio, cum expreſſione tituli commiſſionis, & nominis Referendarii, ad cujus relationem quælibet Cauſa proponenda venit, deindèque illud ſtatim tranſmittere debet DD. Votantibus, ac etiam DD. Referendariis Ponentibus earumdem commiſsionum, quæ non proponuntur; quod optima ratione fit, ut ab earum ſtudio illi ſe abſtinere poſsint; & nè procuratores, parteſve litigantes hujuſmodi ſeparationem ignorent, idem D. Auditor in aula ejus ſolitæ audientiæ folium antedictum affiggere debet, idemque dicti DD. Votantes, & Referendarii ſervare tenentur; ita namque certiores procuratores redduntur de non propoſitione ſuarum commiſsionum in plena Signatura.

Quæ autem commiſsiones proponendæ erunt, quæ vero non, dijudicare debet D. Auditor, qui præſertim eam methodum ex *num.* 8. dictorum decretorum ſervare debet, ut illas ſeparet, &

ad alteram Signaturam reſervet, quæ a DD. Referendariis quarto, vel noviſſimo loco ſubſcriptæ reperiantur; attamen, quando inter dictas commiſſiones extet aliqua, quæ celeriorem expeditionem exigere videatur, ſuo judicio, & prudentiæ commiſſum eſt, ut eam, quatenus ita ſit, cæteris anteponat.

Inter præcipuas verò ſui muneris partes non immeritò collocamus illam, judicium nempè ſuum proferendi in omnibus inſtantiis, quæ directè non reſpiciunt commiſſiones appellationum ſuper negotio principali, ſive circumſcriptionis ſententiæ, & decreti ex defectu juriſdictionis, & mandati, quæ revera incidentia, & emergentia appellantur, & in cæteris aliis, quas infra enumerabimus; in iis enim antiquitus Signaturæ Auditores, ut decernendi, ac judicandi anguſtia ſe ſublevarent, conſueverunt remiſsionem decernere ad plenam Signaturam; at diverſa ſanè his noſtris temporibus res eſt, quum neutiquam licitum ſit eidem D. Auditori hujuſmodi inſtantias ad plenam Signaturam remittere pro reſolutione, ſed pro ſuo judicio decretum omnino edere tenetur; itaut ſi partes non adquieſcant, vel recurſum habeant ad Eminentiſſimum Præfectummet, ille ſe abſtinebit etiam a ſimplici remiſſione inſtantiæ ad plenam Signaturam, & ſervatur omne id quod recenſuimus in priori hujuſce Capitis parte.

Quæ namque ſint inſtantiæ, emergentia, ſive incidentia Cauſæ reſpicientes, recenſentur in *Capite XII.* noviſſimæ reformationis, attentatorum nempe, pertinentiæ Cauſarum, juriſdictionis competentiæ, declinatoriæ fori, avocationis, & unionis Cauſarum, remiſſionis earumdem ad partes, judicum recuſationis, remiſsionis ad eumdem Judicem, qui iterum audiat, declarationis Cauſarum, num videlicet recurribiles ſint, vel appellabiles, Rotales, ſive Prælatitiæ, communicationis facultatum AC., moderationis, ſive reintegrationis monitorii, ſeu inhibitionis, circumſcriptionis actorum, & poſſeſſionum ex capite nullitatis, provenientis ex alio titulo, quam ex nullitate ipſius ſententiæ, omneſque aliæ inſtantiæ ſimiles ſuper quocumque incidenti, & emergenti, quæ negotium principale non tangunt.

Et ex eo quia ſæpiſſimè contingit, Reos plures uno, eodemque tempore exequi facere citationes coram diverſis Judicibus, ut actore ad plura Tribunalia vocato, & diſtracto, adeoque non valente ad omnia recurrere, facilius poſſint coram uno Judice, coram quo actor non comparuerit, contumaciale obtinere decretum, & ſic ſub prætextu attentatorum innumeras in præjudicium Juſtitiæ quæſtiones excitare, & optatam dilationem obtinere; eapro-

propter ad arcendam induſtriam hanc; quæ dolo non caret, in poſterum illa ſola citatio ex pluribus eodem tempore exequutis attendi debeat, quæ fiat coram Judice ſuperiori, videlicet ſi coram Auditore Signaturæ, ſive coram Auditore Sanctiſſimi, verba hæc quippe ſunt Congregationis reformationis Tribunalium ſub Clemente XII. *die 9. Auguſti* 1731.

In Cauſis criminalibus, quando agitur de cognitione illa, an criminalis, vel civilis Cauſa ſit, coram eodem D. Auditore fit citatio, a quo ſi decretum obtineatur Cauſam civilem eſſe, talis ab omnibus Judicibus eſt habenda, & avocatur a Judice criminali, ſi vero criminalis reputatur a dicto D. Auditore, avocatur a Judice civili, & remittitur ad Criminalem, vel, ſi inſtructa ſit coram Judice criminali, coram eo ad ulteriora procedendum eſt. Quæ quidem facultas privativa eſt D. Auditoris, vel Eminentiſsimi Præfecti quoad Tribunal ipſum Signaturæ plenæ. Attamen videnda quæ diximus in capite primo hujuſce Commentarii.

Demum ejuſdem D. Auditoris munus eſt, in omnibus judicialibus actis, præcedentibus propoſitionem in plena Signatura, jus dicere, quum nempè legitimè facta non ſint, ſive ad formam praxis, & decretorum ejuſdem Signaturæ, itaut nullitatis vitio illa laborare decernat, aut ſi pars legitimè proceſserit, in contradictoriis, quæ coram ipſo fiunt, valida eſse declarat; ac etiam præſcribit, quid, & quomodo agendum ſit, in omnibus inſtantiis, quæ coram ipſo fiunt; qua de re habet ille audientiam qualibet die Lunæ, & qualibet die Jovis poſt meridiem pro cauſis civilibus, die autem Veneris horis pomeridianis pro Cauſis criminalibus, Capitolinis, & Gubernii, & quidem in Palatio Montis Citatorii in Aulis ſibi deſignatis; nam tempore Innocent. XII., facta eo in loco Tribunalium unione, ibidem cœpit etiam haberi audientia ab Auditore Signaturæ, & potiſſimum ſub die 4. *Julii* 1695. ut apparet ex Edicto notificationis, eodemmet anno evulgato, in quo hæc præcipua verba leguntur: *Il Lunedì appreſſo, che ſarà il dì* 4. *del meſe di Luglio Monſignor Illuſtriſſimo Auditore della Signatura di Giuſtizia nel dopo pranzo, terminato, che ſarà il ſuono della Campana della Curia, darà immediatamente principio a far leggere nelle ſtanze, che gli ſaranno aſſegnate, le citazioni, che riguardano la ſua carica, ed il ſimile alla medeſima ora farà il Giovedì dopo pranzo; per le citazioni poi concernenti il foro Capitolino, ed il Criminale terrà l'audienza il Venerdì dopo pranzo alla predetta ora, per continovare in appreſſo ne' prefati giorni, ed ora.*

Et

Et quia quamplures Notarii coram eo citationes legunt, videndum modo, qui ſint, quo ordine legere debeant; & illum profectò præſcriptum eſſe legimus primò in Edicto Eminentiſſimi *Salviati*, deinde verò noviſſimis decretis, prout ſequitur.

Audientia erit diebus Lunæ, & Jovis, hora ſolita, & conſueta, & legent infraſcripti Notarii.

Scriptor Archivii.	*Notarii Eminentiſſimi Vicarii.*
Notarii Auditoris Cameræ.	*Notarii Gubernatoris Urbis.*
Notarii Rotæ.	*Notarii Curiæ Burgi.*

Die autem Veneris hora prædicta legent.

Scriptor Archivii in Criminalibus.
Notarii A. C. in Criminalibus.
Notarii Eminentiſſimi Vicarii in Criminalibus.
Notarii Curiæ Burgi in Criminalibus.
Notarii Eminentiſſimi Camerarii.
Notarii Curiæ Capitolinæ.
Et omnes Notarii aliorum Tribunalium.

Inter hos omnes ne controverſia ſuboriatur, qui primo loco, vel ſecundo ſuas citationes legere debeat; ibidem ſtatuitur, ut, excepto Scriptore Archivii, primo venientes legant.

In cæteris diebus habetur etiam à D. Auditore alia Audientia, quæ extraordinaria appellari poteſt, quando, nempe fit à litigantibus citatio aliqua, quæ dicitur, pro hora certa. Et evenit potiſsimum cum agitur de proviſionibus capiendis pro deſcriptionibus mercium, pro recollectione fructuum, de aliquo è carceribus educendo, & cæteris hujuſmodi, quæ nempe dilationem non patiuntur, ac celerem exigunt expeditionem. Tunc enim, nè partes cogantur expectare ſolitos Audientiæ dies, citatur pro die certa, & nè pars adverſa in incerto ſit, quanam hora illius diei apud D. Auditorem ſe ſiſtere debeat, hora certa proinde in Citatione deſignatur. Quia verò Notarius Cauſæ extra ſolitam Audientiam legere debet hujuſmodi Citationes coram D. Auditore, & ejuſdem Decretum in contradictorio latum in acta referre, ideo *viaticum* exigit à parte citante; julios nempe tres mercedis loco, quæ eidem debetur pro hujuſmodi acceſſu extraordinario, *viatico* in Curia appellato.

Animadvertendum tamen eſt, quod in congreſsu plenæ Signaturæ intervenit etiam D. Auditor, & in ea, tanquam Secretarium ſe gerere, Cauſidici aſserunt, ex eo potiſſimum, quod ſuffragia DD. Votantium adnotat; & quum illorum cognitio a litigantibus exoptatur, ea penes eumdem D. Auditorem adnotata re-

reperiuntur; a quo ſequuta in plena Signatura Cauſarum reſolutione, ut commiſſiones ſignentur juxta plenæ Signaturæ reſcriptum, fit fides dicti reſcripti, quæ expoſtulatur ab eo, cujus intereſt commiſſionem ſignari. Si verò plena Signatura die Jovis non habeatur, tunc D. Auditor, ex eo quia occaſione adeundi Signaturam non detinetur, audientiam, de qua ſupra verba fecimus, habere ſolet in dicta die de mane, nam alias, ſi tunc Signatura plena habeatur, ſolitam audientiam præſtat poſt meridiem.

Et quamvis pro jure certo habeatur in foro, D. Auditorem mentem Signaturæ plenæ, ac reſcripta in illa exarata deſtruere, & immutare non poſse, prout teſtantur quamplures deciſiones Sacræ Rotæ (1), attamen ea declarare utique valet, juxta tamen juris diſpoſitionem, ex eo quia illorum naturam tunc non immutat, ſed ad mentem juris reducit (2); nam quum Signatura Juſtitiæ non poſſit reſcribere, niſi prout de jure, meritò Cardinalis Præfectus, uti ejuſdem Signaturæ caput, illiuſque Auditor, uti Signaturæ organum, tales declarationes faciendo ad formam juris, non immutant reſcripta Signaturæ, nec illa deſtruunt, ſed illius mentem ſervata forma juris declarant, ut firmat *Rota*, & poſt eam *Conſtantinus* (3). Hinc eſt, quod ad petendam ſimplicem declarationem reſcripti plenæ Signaturæ hodie recurſus haberi non poteſt ad eamdem Signaturam, ſed ea quærenda eſt a dicto D. Auditore, qui in qualibet Signatura intervenit; ille namque dubii reſcripti ſenſum, ſi ei ſatis innotuerit, partibus aperiet; quum verò ipſi non liqueat, terminum *pro ſervato* habebit, ut in proxima ſignatura DD. Votantes interroget.

Cenſent aliqui, in facultate ejuſdem D. Auditoris haud eſſe, jus dicendi in Cauſis illis, in quibus commiſſio Sacræ Rotæ directa a plena Signatura reperiatur, ideoque eum nec poſſe in oppoſitum decernere, juxta aſſertionem *Rotæ coram Celſo deciſ.* 218. *num.* 7.; hac in re diſtinguendum omnino eſt, aut nempe agitur de reſcribendo, ſive decernendo adverſus reſcriptum plenæ Signaturæ, & utique id nullo pacto facere valet; ſecus vero dicendum, ſi commiſſionem plenæ Signaturæ ſuo decreto parte inſtante explicare vellet, quod jure, meritoque facere poteſt; prout præſertim evenit, quando dubium eſt, an commiſſio, a plena Signatura expedita, comprehendat Cauſas haud expreſſas, attamen ab expreſſa dependentes; exemplum proinde non immerito hic ſubnectimus,

Her-

[1] *Coram Celſo deciſ.* 218. *num.* 7. *coram Ninos deciſ.* 23. *num.* 4.

[2] *Dict. deciſ.* 23. *num.* 5.

[3] *Coram Pauluccio Bononien prædii* 12. *Januarii* 1680. §. *nec audiendum.*

Hercules a Clerico vendidit prædium per libras argenti 18000. *Thomæ Mariæ de Cianis*, *&* *Barbaræ Magnanæ ejus Matri*, & libras 6000. debebant hi intra quinquennium ſolvere, & interim præſtare quotannis libras 240., tanquam fructus compenſativos; vigore inſtrumenti impetratum coram A. C. ab *Hercule* fuit mandatum exequutivum pro fructibus eo uſque decurſis, & non ſolutis; parte altera opponente ſibi reſtituendum immò pretium ſolutum, ex eo quod ſubjectum erat fideicommiſſo, ordinato per *Gaſparem de Magnanis*, nec A. C. hujuſmodi exceptioni annuente, eadem pars a mandato appellavit, & a plena Signatura obtinuit, ſignari commiſſionem cum clauſula, *ſine præjudicio*; maturatis deinde novis terminis ſolutionum fructuum egit *Hercules* coram A. C. pro illarum exactione, & opponente *Thoma de Cianis*, integram Cauſam ad Rotam, prævia antedicta commiſſione, ſignata cum clauſula *quam*, *&* *quas*, devolutam fuiſſe; ab Auditore Tribunalis Signaturæ ſemel, & iterum declaratum fuit Cauſam ſpectare in hac parte ad A. C., cui eam pluries remiſit; *Thomas* antedictus non adquieſcens, de attentatis querelam propoſuit, & dubium in Rota definiri inſtetit, *an conſtaret de attentatis*, & *non conſtare* fuit reſolutum, quia in annuis præſtationibus quot labuntur termini, totidem inducuntur obligationes, & debita, per *leg. ſcire debemus*, *Digeſt. de Verborum obligationibus*, unde ſæpius ex ſtipulatu agi poteſt, ut inquit ad eumdem textum *Cujacius*, & tot ſunt Cauſæ, quot ſunt termini excurſi: commiſſaque Cauſa tantum in devolutivo cum clauſula *abſque præjudicio*, potuit mandatum exequutivum impetrari pro ſubſequentibus terminis poſt devolutionem ad Rotam, nulla habita attentatorum ratione; poſtremo *Thomas* ſtrenuè in ea objectione pedem figebat, quod Auditor Signaturæ non poterat ſe ingerere in ea Cauſa, in qua commiſſio ad Rotam directa fuerat a plena Signatura, ideoque, nec poterat in oppoſitum decernere; demum S. Rota hujuſmodi exceptiones rejecit, ac pro vero habuit, Auditorem in dicta Cauſa non ſignaſſe, ſive commiſſionem dediſſe contra reſcriptum plenæ Signaturæ, ſed ejuſdem commiſſionem, declaraſſe, non comprehendere nempe novos terminos decurſos, & tantum primum terminum, a cujus exigendi mandato fuit commiſſa appellatio, idque jure, & ſtilo facere poſſe; prout videre eſt in deciſione *Bononien prædii coram Paluccio*, quæ extat apud *Conſtantinum* (1)

Diximus ſupra, attributam fuiſſe D. Auditori facultatem in

XII.

(1) *Tom. 3. decif. 179. ad Statuta Urbis.*

XII. *Decreto die 3. Aprilis* remittendi Cauſas appellabiles ad eumdem Judicem, ut iterum audiat; declaratum tamen fuit ſub *die 26. Septembris* ejuſdem anni, id intelligi debere quoad judicata illa emanata per *contradictas*, dummodo non tranſierint in auctoritatem rei judicatæ, nec mutata ſit perſona Judicis. Itidem quoad illas facultates, reſpicientes appellationes in quibuſdam Cauſis admittendas, in quibus de ſtilo a Signatura concedi ſolent, ſtatutum fuit, firmas exiſtere, præterquam in Cauſis liquidationis fructuum, damnorum, & expenſarum, & redditionis rationum, in quibus moderatas, & abrogatas cenſeri.

Summam denique peritiam habere D. Auditor debet omnium privilegiorum, & facultatum, quibus gaudent, vel jure, vel ſtatuto, vel conſuetudine Judices de partibus, quoad Cauſas nempe non avocandas, quoad res judicatas, ordinemque ſervandæ appellationis, & cætera hujuſmodi. Nam ſunt quædam in ditione Eccleſiaſtica, ac etiam alibi, Oppida, & Civitates, quæ quampluribus privilegiis decorantur, & inter cætera privilegia, exempli gratia, recenſemus illa Civitatum, & Diœceſum Hoſtienſis, & Veliternæ, in quibus Eminentiſſimus Epiſcopus Sacri Collegii Cardinalium Decanus, tanquam Gubernator nativus, ac Protector, exercet, ampliſſimis facultatibus eidem tributis a Paulo III. Conſtitutione ſub *datum Romæ* 17. *Kal. Julii 1536.* & confirmatis a ſubſequentibus Pontificibus, præſertim ab Innoc. X. ſub die 2. *Octobris 1652.*, Jurisdictionem tam ſpiritualem, quam temporalem, cum mero, & mixto imperio in prima, ac ſecunda inſtantia, privativè quoad quoſcumque Judices Tribunalium Urbis, tam in Civilibus, quam in Criminalibus. In cauſis idcircò harum Civitatum, & Diœceſum Signaturæ Juſtitiæ Tribunal nullam habet Juriſdictionem, nam Eminentiſſimus Decanus, ut in Curia dicitur, habet Signaturam in ventre, & avocat Cauſas, eaſque committit, de appellatione cognoſcit, & cætera omnia exequitur, quæ Signatura Juſtitiæ agere poteſt; qua de re penes ſe hic Romæ peculiarem retinet Auditorem, in utroque jure, & praxi peritiſſimum, cui negotium illud ab Eminentiſsimo Decano demandatur; & hiſce noſtris temporibus Sacri Collegii Decanus, ac Hoſtienſis, Veliternuſque Epiſcopus Eminentiſsimus, & Reverendiſsimus D. Cardinalis De Ilcio, humanitatis, ac benevolentiæ præſtantiſsimum exemplar, Auditorem deſignavit ſuum ex fratre nepotem Illmum, & Rmum D. *Franciſcum de Ilcio*. Civitas Maceratenſis gaudet etiam peculiaribus privilegiis, ita & etiam Ferrariæ, Ravennæ, ac Urbini Legationes, & cæteræ, quas hic omnes referre noſtrum haud eſt. Ea vero privilegia, ut di-

ximus, Signaturæ Auditori notiſsima eſſe debent, ſi demandatæ ſibi Provinciæ, ut par eſt, ſatisfacere velit.

At quia de Legationibus Provinciarum Pontificiæ ditionis paulò ſuperius verba fecimus, recenſere hic duximus quid quoad eas Sanctiſsimus D. N. BENEDICTUS XIV. P. M. præſcripſerit Conſtitutione, quæ incipit *Romanæ Curiæ præſtantiam*, quum ad Signaturam Juſtitiæ, & ad illius Auditorem, ut inferius patebit, id pertinere indubium ſit. Sapientiſsimus enim Pontifex nullo modo auferendam cenſuit ſubditis earumdem Provinciarum libertatem illam, qua ſemper gaviſi fuerunt, recurrendi ſcilicet pro ipſorum arbitrio, vel ad Signaturam Juſtitiæ, vel ad Signaturam, quam dicuntur habere, in ſua quiſque Provincia, Eminentiſsimi Cardinales Legati S. Sedis Apoſtolicæ, eorumque Vicelegati. Et ex eo quia non abſurdè agere illos, exiſtimavit, qui potius ad Signaturam Juſtitiæ, quam ad alteram Legatorum recurſum habebant, quum nempè Cauſas illas ſcutorum 100. valorem non excedentes, nunquam Juſtitiæ Signatura apud ſe retineat, aut in Curia committat, ſed juxta reformationem præſertim Benedicti XIII. ad partes remittit mediante ſubdelegatione Judicis in eadem Civitate, ſeù loco, ubi primus pronunciavit, ad effectum procedendi in gradu recurſus per acta ejuſdem Notarii, abſque ulla tranſportatione actorum, & propinæ ſolutione; è contra verò Legatorum Signatura, & præſertim Romandiolæ ſoleat retinere in ipſa Curia, in qua reſidet, etiam Cauſas ſcutorum quatuor, itaut graves expenſas, pro re parvi momenti, actorum nempe tranſportationis, & propinæ, litigantes ſubire cogantur, ſtatuit proinde jam dictum antiquiſſimum uſum ſervandum eſſe, itaut unuſquiſque pro libito facere id poſſit, alteram partem citando cum citationibus impreſsis, Cameralibus dictis, & nulli licere earumdem exequutioni impedimentum præſtare ſub prætextu, quod a Cardinali Præfecto, vel ejus Auditore, aut eorum Notario ſubſcriptæ non fuerint.

Nè tamen earumdem citationum uſus undique utilis in abuſum, & corruptelam tranſiret, quoſdam caſus inferius recenſendos excepit, quos inter primus ille eſt, dum una ex partibus, prævia citatione legitimè executa, aliam prævenerit coram Signatura Legati, vel Vicelegati, qui eam in ſuis facultatibus habuerit, & reſcripſerit; tunc enim dictæ citationes attendendæ non ſunt, ſed tantummodo admittitur recurſus ad Signaturam Gratiæ, & eapropter citationes ab Auditore Sanctiſsimi ſubſcriptæ attendendæ ſunt. Secundò tam in Cauſis ſummæ appellabilis, quatenus citetur ad videndum ſuperſederi, quam in recurribilibus, quum citatur ad videndum

dum

Digitized by Google

dum ſubdelegari Judicem in partibus in gradu recurſus , quoties nondum a Judice de partibus pronunciatum ſit, vel per ſententiam, vel decretum definitivum, aut ſaltem gravamen inferens, per definitivam haud reparabile; attamen ſi Judex in partibus jam decreverit ut ſupra, mandavit, dictas citationes omninò eſſe attendendas, & illas inhibere, etiamſi contra Juris ordinem in Cauſis appellabilibus citatum fuerit ad videndum ſubdelegari alium Judicem in gradu recurſus, & in illis recurribilibus ad videndum ſuperſederi; tunc enim, & tantummodo in eo caſu Præfectus Signaturæ, ejuſve Auditor ſupplere tenetur defectum Partium, vel Defenſorum, mandando ſuperſederi in Cauſis ſummæ appellabilis, & reſpectivè ſubdelegando Judicem in gradu recurſus, non obſtantibus decretis, & reformationibus Signaturæ.

Quando agitur de ſumma, ſcuta quinque non excedente monetæ in regione currentis, vel exiſtentibus in Cauſa duobus judicatis conſecutivis, & conformibus, vel de mercede diurna, aut menſtrua, aut de alimentis futuris quæſtione emergente, vel de reſtitutione depoſiti etiam irregularis contra depoſitarium, aut de ſolutione ſchedulæ vulgò *Pagherò per altrettanti*, aut litterarum cambii, vel onerum Cameralium, & Communitativorum, ac demum de ſolutione Canonum, aut Penſionum domus, nullum recurſum admitti voluit in ſuſpenſivo a Cardinali Præfecto Signaturæ, vel ejus Auditore; & in prædictis caſibus, poſtquam verificati fuerunt coram Judice ſubdelegato, ſtatuit ſubdelegationem non afficere, niſi in ſolo devolutivo, & ſine præjudicio legitimæ exequutionis.

Exceptis Cauſis privilegiatis, in quibus A. C. eſt Judex competens in prima inſtantia, vel propter obligationem Cameralem, aut habentem vim illius, vel propter privilegium *leg. unicæ*, quoad reliquas Cauſas extra diſtrictum Urbis, quæ ſint ſummæ dumtaxat recurribilis, ideſt non attingentes ſummam ſcutorum centum, inhibuit, ne in Curia retinerentur, aut committerentur, ſed ſemper præcepit ſubdelegari alium Judicem, quatenus adſit in eadem Civitate, ſeu loco, in quo pronunciatum fuit primum judicatum, cum ſolita clauſula, *ad effectum cognoſcendi de gravamine pro admiſſione, vel denegatione recurſus, per acta ejuſdem Notarii, & ſine ſolutione Propinæ, & Regeſtri, & quatenus partes in eum non conſenſerint, ad effectum deputandi alium Judicem in ſui locum, cum iiſdem facultatibus de conſenſu ipſarum partium, ſin minus ex Officio*; & aliter factas ſubdelegationes nullius eſſe roboris, declaravit.

Demum ſi una ex partibus collitigantibus hujuſmodi citatio-

nem impreſſam, & non ſubſcriptam exequi fecerit coram Eminentiſſimo Signaturæ Juſtitiæ Præfecto, vel Auditore, & altera pars ita citata comparuerit in actis emiſſa conſueta proteſtatione, quæ dicitur *Nihil fieri*, ex præſcripto laudatæ Conſtitutionis nulla alia ſimilis citatio, eamdem continens inſtantiam, quæ in partibus fiat, eſt attendenda, immò impunè, & abſque ſpolii, vel attentatorum vitio ſperni poteſt.

Ex his omnibus, uſque adhuc recenſitis quoad ampliſſimas facultates Auditoris Signaturæ, apertiſſimum cuique fit, non praxis tantummodo, ſed Juriſprudentiæ ſummopere peritum eum eſſe oportere, cui provincia hæc demandatur, quum noviſſimis hiſce temporibus Auditor Signaturæ eamdem cognitionem in decernendo inſtituere debeat, quam Tribunal ipſum in reſcribendo adhibet; proindeque a vero quippe aberrant rabulæ illi forenſes, (qui Juriſprudentiam conſiſtere omnem opinantur in ſubterfugiis, & cavillationibus excitandis), dum ajunt Signaturæ Auditoris judicandi genus pene diverſum à quocumque alio eſſe debere, itaut, poſtpoſita omni legali ſcientia, frænum dumtaxat litigantium calumniis injicere ille teneatur. Quod ſanè, quantum, ut dicebamus, à vero diſtet, ipſimet agnoſcent, ſi aliquantulum ad *R. P. D. Philippum Mariam Pirellium*, avita nobilitate præclariſsimum, utriuſque Signaturæ Referendarium, Prælatum Domeſticum, & S. Conſiſtorialis Aulæ Advocatum convertere velint. Is enim in Auditoris Cameræ Tribunali, utpote præſtantiſſimus Juriſconſultus, non ſine incredibili laude, Auditoris, vulgò *A. C. mct*, munere perfunctus, nuperrimè a Sanctiſsimo D. N., acerrimo ingeniorum æſtimatore, ad Auditoris Signaturæ gradum evectus, ita omnium expectationem vicit, ut grandia demum feret virtutis, ac meritorum præmia.

CAPUT III.

De Commiſſionibus juxta diverſam negotiorum naturam tranſmittendis.

COmmiſsionum materia, ait *Quintilianus Mandoſius* (1) *licet frequens, & in forenſibus judiciis quotidiana exiſtat, parum tamen a pluribus eſt exquiſitè cognita*. Et quum judicia a commiſsionibus in cæteris poſt primam inſtantiis incipiant, illorumquè fundamenta ſint, unuſquiſque ſat intelligit, pleniſsimam ea-

(1) *De Commiſſ. in proœmio*.

Digitized by Google

earum cognitionem habendam eſſe. Hinc mirum profectò non eſt, ſi laudatus *Mandoſius* materiam hanc duobus ampliſsimis voluminibus complexus ſit, æque ac *Marcheſanus* alio etiam opere, magnitudine quippe non inæquali. E' quibus quidem aliqua in compendium pro Tironum uſu tantummodo hic redegi, adjectis etiam aliquibus obſervationibus, præſenti Curiæ ſtilo accomodatis, & a recenti praxi non alienis. Qui tamen uberiorem commiſsionum cognitionem exoptaret, volumina ſuperius laudata, in quibus ex profeſſo de illis agitur, percurrere poterit; ordinem vero hac in re talem ſervare exiſtimavimus, qui accomodatior ſit elencho reſcriptorum, inferius Capite ſequenti proponendo.

Ut autem notitia aliqua de commiſsionis nomenclatura, ac ſignificatione habeatur, pauca primum omnium de ea diſſerere duximus. Commiſsio namque, quæ & libellus etiam antiquitus appellabatur, eſt ſupplicatio quædam, quæ Signaturæ porrigitur, & gravamina continet, a quibus recurritur, eademque, quomodo iis occurrendum ſit, expoſtulatur; ex eo tamen quod in calce ejuſdem reſcribitur, ac mandatur quid in ulteriori inſtantia agendum ſit, commiſsio appellatur; committere idem eſſe, ac mandare patet ex titulo *Digeſtorum de officio ejus, cui mandata eſt juriſdictio*; hinc ea eſt ratio, quare in Signatura Juſtitiæ proceditur per viam commiſsionis, & in cæteris Tribunalibus per viam monitorii, prout in A. C., in Curia vero Capitolina vigore libelli.

Et forſan Commiſsionis vox in uſu fori noſtri invaluit a Romano Jure, nam commiſſum judicium dicebatur lite conteſtata, nimirum quum Judices dati, ſuſceptumque judicium a litigatoribus eſſet, præterea judex per narrationem negotii Cauſam audire cœpiſſet, ſumpta a re militari translatione, in qua bellum commiſſum pro eo, quod vulgo apertum, atque inceptum eleganter ponimus; *Cicero* ait in *Oratione pro Sexto Roſcio*, *longo intervallo, judicium hoc committitur* (1); & *committere*, inter alia pro *initiare* a Romanis nonnunquam uſurpatum fuiſſe *Nonius Marcellus* auctor eſt, proferens Virgilianum illud.

Et turba commiſſos medio canit aggere ludos.

Plura quidem dicenda eſſent de Commiſsione in particulari, quando nempe communis fiat, quando det formam ſpecificè adimplendi conditionem, quæ a *Marcheſano* fuſius adnotantur, & nè longiores ultra propoſitum ſimus, libenter ea prætermittimus.

Species Commiſsionum duplex eſt, vel enim diriguntur extra

tra

(1) *Hot. §. 1. Inſtit. de Actio.*

tra Romanam Curiam, vel in ea; & ideò aliquæ inter ipſas intercedunt differentiæ, quas partim enumerat *Marcheſanus* (1), & primum ait, illas, quæ profanas Cauſas reſpiciunt, in terris Eccleſiæ vertentes, per Breve, & interdum ſub Plumbo expediri, uti etiam extra temporalem, & Eccleſiaſticam Juriſdictionem, dummodo Eccleſiaſticam auctoritatem, & intereſſe animæ reſpiciant; eapropter in calce dictarum Commiſsionum adjicienda eſt clauſula illa, *et per Breve S. V. expediendum*, alias ſignandæ non eſſent, & tunc remanent Commiſſiones in officio Brevium, & Brevia extrà Curiam tranſmittuntur; ſecundò differunt ex eo, quod Commiſſiones in Curia directæ non deſcribuntur, eo modo, quo fit in illis, quæ ante Brevis compilationem in Archivio Apoſtolico adnotantur.

Ut autem Commiſſiones legitimæ dicantur, ſive in forma ſignandi, ut ajunt in Curia, oportet eas à tergo notatas eſſe Procuratoris nomine, ſeu Impetrantis, qui notus ſaltem ſit Referendario Ponenti, juxta diſpoſitionem *Reformationis Tribunalium Urbis*, quæ Paulum V. Pontificem Maximum habet auctorem. Legitimæ etiam dicuntur, quando eas Cauſas reſpiciunt, in quibus agatur de ſumma Scutorum quinquaginta monetæ Romanæ, nam Cauſæ intra dictam ſummam nullo unquam pacto proponi poſſunt in plena Signatura, prout apertiſſimè cautum fuit ab Emo *Salviati* Præfecto ejuſdem Signaturæ *ſub die* 12. *Januarii* 1731, inhærendo decretis alias latis à ſuis prædeceſſoribus ſub die *prima Julii*, *&* 4. *Decembris anni* 1677., *&* 12. *Januarii* 1719. Nec ex abrupto Commiſſiones etiam in Cauſis excedentibus dictam ſummam proponi poſſunt in plena Signatura, quum quædam ſint Cauſæ, quæ nullatenus proponi valeant, niſi prius inſtantia præceſſerit coram R.P.D. Auditore, & coram Emo Præfecto, ut alibi diximus.

Aliquando Commiſsiones in plena Signatura non proponuntur, ſed de conſenſu partium Regenti Cancellariæ offeruntur ſignandæ; ut autem illæ legitimæ ſint, hic adnotamus quid ſtatutum ſit. Renovando enim ordinationes, hac de re factas per Cardinalem *Aldobrandinum*, Emus *Salviati* ſtatuit, *quod ſi quandoque inter partes, vel eorum Procuratores de Commiſſione expedienda fuerit concordatum, ut de hujuſmodi conſenſu ſatis conſtet, ipſæmet partes, earumve Procuratores ſua cujuſque nomina à tergo Commiſſionum hujuſmodi deſcribere debeant*. Pro hujuſmodi tamen effectu opus eſt, ut Procuratores legitimum mandatum Procuræ habeant, alias, ab-

(1) *Part.* 1. *cap.* 6.

abſque eo conſenſum antedictis Commiſsionibus, ut ſupra præſtando, alteri parti leſæ teneantur reficere expenſas, intereſſe, & damna, per eumdem Eñum Præfectum extrajudicialiter taxanda, additis etiam aliis gravioribus pœnis, pro culpa, dolique mali menſura, ejuſdem arbitrio infligendis; & pro pleniori obſervantia juſsit etiam, ut Commiſsiones jam dictas, ſervata forma præſcripti conſenſus, Reviſor ſignandas offerre teneatur.

Vetitum etiam eſt Commiſsiones tranſmittere pro ſimplici Sententiarum, vel Decretorum circumſcriptione, niſi in iiſdem alternativa petitio deſcribatur, quod ſcilicet, quatenus antedictæ circumſcriptioni locus non ſit, appellationis cauſa committatur; id namque recta ratione factum fuiſſe comperimus, nè a partibus poſt exitum Commiſsionis propoſitæ pro circumſcriptione, quum Signatura reſcripſerit eidem non eſſe locum, denuò alia Commiſsio Appellationis proponenda eſſet; ad abolendas igitur hac in re reiteratas propoſitiones ita cenſuit, ac decrevit Eñus Silviatus *Edicto anni* 1731. *n.* 41.

Commiſsiones, quæ reſpiciunt rem judicatam, oriri ſolitam ob non interpoſitam, legitimoque tempore proſequutam appellationem, vel adverſus judicatum alterius revocatorium, mandatum de conſignando uni potius, quam alteri inter diverſos Creditores, mandatum relaxatum in Judiciis redditionis rationum, liquidationis fructuum, damnorum, & expenſarum, a quibus de ſtilo Signaturæ datur appellatio, non poſſunt prima fronte proponi in plena Signatura, quum hujuſmodi inſtantias fieri cautum ſit anno 1742. coram D. Auditore ejuſdem Signaturæ.

Diriguntur ſæpiſſime Commiſſiones Cardinalibus, earumque effectus præcipuè eſt, quod ſi Cardinalis Judex eſſe deſinat, non debeat propter perſonæ reverentiam alteri inferiori committi abſque ſpeciali Papæ mandato, ait *Marcheſanus* (1). Nam Cauſa ſemel effecta Cardinalitia, talis ſemper remanet (2); & ſi ab uno Cardinali Cauſa avocetur, & alteri committatur, propter honorem uſus etiam invaluit, nè Cardinalis ad quem Cardinali à quo inhibeat (3); animadvertit tamen *Marcheſanus* in hujuſmodi Cauſis committendis Eñis Patribus, niſi per Signaturam Papæ reſcribi ſolere, ob illorum excellentiam, ideoque nec Signatura Juſtitiæ, neque Vicecancellarius, ſeù Regens Cancellariæ eis reſcribit, juxta ſententiam *Gomeſii* de Privilegiis Cardinalium tractantis. Noſtris verò temporibus Tribunal Signaturæ Juſtitiæ etiam Cardinalibus reſcribit, ea-

tan-

(1) *Part.* 2. *cap.* 11. *de Commiſſ.*
(2) *Gomeſ. in Compen. Utr. Signat.*
(3) *Sarnen. privileg.* 8.

tantum interpoſita differentia, quod in clauſula extenſiva Commiſſionis ſolet R. P. D. Regens ita reſcriptum extendere: *De mandato SS. D. N. Papæ audiat Cardinalis N. N., & decidat*, omiſſo verbo *& juſtitiam faciat*, quæ ſemper in quibuſvis reſcriptis, cæteris perſonis directis, apponitur; ratio, quæ à *Marcheſano* aſſignatur, ea eſt, quod ob exploratam illorum fidem, non eſt præſumendum, aliàs eſſe judicaturos.

Adnotatis demum, quæ legitimam Commiſsionum tranſmiſsionem reſpiciunt, verba illa, quæ de ſtilo in earumdem formulis apponuntur, recenſere, & examinare decrevimus, ut à Tironibus illarum ratio intelligatur. Et primo loco in capite Commiſſionum apponitur nomen Civitatis Epiſcopalis, in cujus Diœceſi lis pendet, & ſi ſub Diœceſi illa adeſt Terra, vel Caſtrum, in quo lis exiſtat, de illo tanquam membro ibidem mentio non fit; in corpore tamen Commiſſionis apponitur, ex eo potiſſimum, ut dignoſcatur locus, in quo peculiariter controverſia ſit; & à *Marcheſano* (1) adnotatur, quare in capite earumdem deſcribatur primo loco nomen Civitatis: *ut nempe Civitatis inſpectione conſiderata, in precibus Cauſa inſerta ſecerni poſſit, an prophana necne, vel ad alium pertineat principem, ſive alio ſit privilegio ſuffulta, contra quod reſcribi non debeat, idque pariter ſit, ut conſiderari poſſit, quomodo reſcribendum ſit, à quo, vel à quibus provocatum, an locus exemptus, vel privilegiatus, ut exempli gratia Civitas Anconæ in Cauſis Mercatorum, cui per fel. record. Clementem VIII. ſecundæ, & tertiæ Inſtantiæ conceſſæ fuerunt.*

Initium verò Commiſſiones accipiunt à verbis illis, *Beatiſſime Pater*, ex eo potiſſimum, quod in rebus, ac negotiis, S. Romanæ Eccleſiæ Juriſdictionem reſpicientibus, ad ſolum Papam recurſus habetur, utpote fidelium omnium Patrem, ac Supremum Sacerdotem, adnotat *Marcheſanus*. Attamen quare eo utantur titulo Romani Cauſidici, luculentiſſime patet, dum in mentem revocetur, Signaturam Juſtitiæ Pontificem repræſentare, ac illius nomine reſcribere; ferme ac Neapolitanum Conſilium, Supremum Tribunal, & Principis Conſiſtorium, ab Alphonſo I. Aragonenſi erectum, quod hodiedum ſacrum etiam appellatur, tanquam ſi adſtaret eadem ſacra Principis perſona, ſecum habens, ut antiquitus & in primæva ſui inſtitutione erat, prudentes, & ſapientes viros in conſilio; & idcirco litigantium petitiones ad formam precum ibidem in ſcriptis hodie rediguntur Regi directæ eademet ratione, ac ſi ipſe Rex per ſupplices libellos adiretur.

Con-

(1) *Part. 1. cap. 6. n. 6.*

Continere deinde Commiſſiones debent nomen, & cognomen Appellantis, & Appellati, ac Judicis, à quo, & ad quem appellatur, dum agitur de appellatione, ſive inſtantis, illiuſque etiam, adverſus quem imploratur. Qualitas facti fideliter quoque, ac brevi methodo exponenda eſt, & circumſtantiæ ad unguem narrari debent; ſi cauſa nempe Beneficialis erit, annui redditus exprimendi ſunt, & cætera, quæ paſsim, dum Commiſsionum formulas inferius proponemus, adnotare ſtuduimus. Itidem ſi Cauſa profana erit, quantitas, ſive litis valor, oportet, ut exprimatur, nè Cauſæ, quæ ad Curiam trahendæ non ſunt, in Curia committantur, & alia etiam de cauſa, ut videatur nempe, an Cauſa S. Rotæ, vel alicui Prælato committenda, appellabilis, vel recurribilis ſit; adverſus enim Cauſidicos illos, qui ſiccis verbis, ait *Marcheſanus* (1), in Cauſis appellabilibus lucro cupidi partes litibus involvendo per fas, & nefas eas componunt, invehitur ipſemet Auctor; & hujuſmodi ſua ætate ita agentes homines, abſque conſcientia, ac recto vivendi modo carentes, ut ſine materia, & forma, appellavit.

Illud præ cæteris in Commiſsionibus exarandis obſervandum eſt, ut prolixitas evitetur; ſatis enim erit, rei de qua agitur ſubſtantiam enarrare, inſtrumenta, ſi quæ ſint, Sententiam, merita Cauſæ, & cætera ejuſmodi cum clauſula relativa, *& alias* nempe, *ut plenius in proceſſu Cauſæ, vel Inſtrumento, vel Sententia latius continetur, cui relatio haberi placeat, ac ſi in præinſerta exprimeretur*; & omnino Procuratorem cautum eſſe oportet, nè aliquid in Commiſsione aſſerat, vel enunciet quod principali præjudicium afferre poſsit, quum nulla major probatio in Judiciis cenſeatur, quam confeſsio illa, quæ fit in precibus Principi porrectis, juxta ſenſum legis *cum precum Cod. de liberis Cauſis*.

Reliquum eſt, ut videamus an ad Commiſsiones impetrandas mandatum Procuræ requiratur; textus enim in *leg. Univerſis Cod. de precibus Imperatori offerendis* nos admonet, quod in impetrandis reſcriptis, quæ a Principe conceduntur, curandum haud eſt, an ſit Procurator, vel ne; & quamvis *Abbas* (2) in contrariam abeat ſententiam, quod litteræ nempe ad lites ſine ſpeciali mandato impetrari nequeant, & impetratæ ſint nullæ; attamen pro Jure certo habendum eſt, quod ſi caſus eveniat, Commiſsionem expeditam fuiſſe a non habente mandatum, illa quippe ipſo jure nulla haud erit, ſed per exceptionem ab adverſario de nullitate redarguenda; & ita, ſi pars non excipiat, Commiſsio vires ſuas habebit,

O proin-

(1) *De Commiſſ. Appell. Cap. 1. p. 2.. n. 28.*

(2) *In Cap. nonnulli v. ſunt & alii, de reſcriptis.*

proindeque receptum in Curia eſt, teſte *Bellamera* (1), Commiſſiones impetrari poſſe a non habente mandatum. Nullum enim præjudicium in hujuſmodi earumdem expeditione animadvertitur, nam aut lis agitur in Curia, & Commiſſionem impetrans agit abſque mandato procuratorio, & ab Adverſario, ut ſupra diximus hujuſmodi exceptio proponatur, Commiſſio nulla erit, & nulla integra acta Judicialia, vigore illius facta; vel extra Curiam tranſmittitur principali cum brevi expedito, & tunc principalis in facultate erit illo utendi, vel non, itaut eidem renunciare libere poſſit.

Illud hic addendum eſt, quod in Commiſſionibus, controverſiæ, & actionis ſtatu expreſſo, paſſim adjicitur, dum petitur Cauſam committi, clauſula illa, *Quam, & Quas una cum toto negotio principali*; vim, & effectum hujus Clauſulæ recenſet *Mandoſius* (2); ea namque prægnantiſſima eſt, & id præcipue efficit, ut ſi quis de aliquo gravamine, ab inferiori Judice ſibi illato, conqueratur, & cognitio demandata, ac commiſſa fuerit alteri Judici ea adjecta Clauſula, etiamſi de gravamine non liqueret, itaut Judex pronuntiaret male appellatum, & bene Judicatum fuiſſe, pro definitione negotii principalis adire profecto non debeat priorem Judicem, ſed adhuc Cauſa remanet penes Judicem, cui hujuſcemodi Commiſſio directa eſt, prout advertit *Veſtrius lib. 3. Cap.* IX. *n.* II.

Evenit aliquando, ut ob loci diſtantiam, ait *Veſtrius* in praxi, omnium citandorum nomina, & cognomina ignorentur, & Procurator in Curia exiſtens nota dicta nomina non habeat, itaut in Citatione exprimere ea non poſſit, praxis idcircò inolevit, ut Clauſulæ *cum facultate citandi* N. N. adderetur, *omneſque alios in exequutione præſentium vigore decernenda nominandos, & cognominandos*. Secus enim, quum vigore Commiſſionis, abſque dicta Clauſula expeditæ, agere quis deberet, tantum in illa nominati, & non alii citandi eſſent, ex eo quia Commiſſio non extenditur ad perſonam non expreſſam, juxta ſenſum *Cap. Significante* 34. *de reſcriptis*. Id vero in Commiſſionis hujuſmodi exequutione cavendum eſt, ut omnes ii in genere expreſſi, in ſpecie deinde exprimantur, prout ad rem ait laudatus *Veſtrius* (3) de citationibus. Additur etiam clauſula *cum facultate citandi in Curia*, *vel extra*, ex eo quia ſi Reus aliquis citandus à Romana Curia abſit, tunc opus eſt, ut Commiſſio det expreſſam citandi facultatem, juxta men-

(1) *Deciſ.* 330.
(2) *In Commiſſione Cauſæ ſuper Beneficio.*
(3) *Tit. 2. cap. 9. n. 228. uſque ad 239.*

mentem *Veſtrii*, & *Marcheſani* (1); indubium enim eſt, extra Curiam neminem citare poſſe, niſi de Commiſſione, & mandato Papæ (2).

Clauſulæ vero omnes, quæ ſunt præter Jus, in Commiſſionibus proponendis in Signatura Juſtitiæ apponi non debent; inter illas recenſentur decretum *irritans*, & clauſula *ſublata ſecus judicandi facultate* &c. Si enim de illis mentio fieret in Commiſſionibus, omninò deleantur, quia Signatura Juſtitiæ eas non concedit, & tantummodo Signatura Gratiæ; idem dicendum de clauſula, qua poſtulatur demandari Judici, ut procedat *ſummarie*, *ſimpliciter*, *&* *de plano*, *ſola facti veritate inſpecta*. Omnia namque recenſita verba omitti debent, præter verbum *ſummariè*; & etiam addi poteſt, & *prout in Beneficialibus*; ita enim reſtringitur vis, & effectus clauſulæ *ſummariè* ad proceſſum in Beneficialibus; & conceditur maximè in cauſis Pupillorum, Viduarum, & aliorum privilegiatorum à Jure. Datur verò dicta clauſula in Beneficialibus, quia in hujuſmodi Cauſis magis ſummariè proceditur.

Quum in judicio aliquo exiſtat Commiſſio ſignata a Signatura SSmi, pro certo habetur, Signaturæ Juſtitiæ Tribunal Commiſſiones in eadem Cauſa ſignare non poſſe, nec aliquid in contrarium reſcribere; eapropter ſi tunc negotium proponi contingat in Signatura Juſtitiæ, omnino ad eumdem SSmum D. N. remittendum erit. Excipiuntur tamen Commiſſiones quædam tangentes dependentia ejuſdem negotii, ut nempe ſunt prorogationes fatalium, derogationes feriarum, & alia ejuſmodi; ſolet enim Signatura Juſtitiæ tunc reſcribere, quia contra gratiam non eſt, nec intervertit Papæ Signaturam, ſed Juriſdictionem coadjuvat.

Nunc ad Commiſſionum formulas progredimur; & abſtinere profectò potuiſſemus pro unoquoque Cauſarum genere Commiſſiones tranſcribere, quum una tantum pro regula ſat eſſet iis, qui hac in re Tirones ſunt, ex eo potiſſimum, quod præmiſſis ſolitis expreſſionibus, & clauſulis, aliquando nihil una ab altera differat, niſi a narrativa, juxta qualitatem, & facti contingentiam, conficienda, ut cenſent quamplurimi; attamen, eas inter ſe differre ob peculiares petitionum clauſulas, non immerito exiſtimamus; ideoque, ut earumdem cognitio habeatur, & ut exemplum tot ſummorum virorum *Ridolphini* nempe, *Mandoſii*, *&* *Marcheſani*, qui nihil hac in re intactum reliquerunt, ſequeremur, ita agendum duximus.

Rationem denique, ſi quærat aliquis, cur inter Commiſſiones,

 in-

[1] *Cap. 2. lib. 4. n. 1. de Commiſſ. Appellat. cap. 5. p. 2. n. 57.*

[2] *Caſſadorus deciſ. 4. n. 3. de Reſcriptis.*

inferius collocandas, quaſdam tranſcripſimus, quæ vel *ſub Banca*, ut vulgò dicitur, ſignantur, vel in Signatura Gratiæ proponuntur, hanc illi damus, id a nobis, ut Tironum utilitati, & commodo conſuleretur, actum eſſe, ac etiam ea de cauſa, quod aliquando ſi difficultas aliqua emergat pro illis ſignandis *ſub Banca*, parte adverſa opponente, Judicium plenæ Signaturæ experiundum eſt; & quoad illas Signaturæ Gratiæ evenire ſolet, ut noſtro Signaturæ Juſtitiæ Tribunali a SSmo D. N. loco Signaturæ Gratiæ expediendæ demandentur. Qua de re paſſim, & prout occaſio fert, non modo adnotabimus ea omnia, quæ, & retardare poſſunt earumdem Commiſſionum expeditionem, & ab Adverſariis objici poſſint, verum, & cætera, quæ Signaturæ Gratiæ ſtilum in illis ſignandis reſpiciunt.

Appellationis Commiſſio in Cauſis Ordinariis.

Fulginaten.

Beatiſſime Pater.

Dignetur S. V. Cauſam, & Cauſas appellationis, & appellationum ex tribus iniquitatis, nullitatis, & notoriæ injuſtitiæ a ſententia, ſeu decreto, & relaxatione mandati, & mandatorum ad factum, & executivi, relaxatis, & prolatis ab A. C. Simonetti favore R. Franciſci Serſale adverſus Dominicum Forti S. V. Oratorem occaſione aſſertæ Apocæ confeſſionis, ſeu recognitionis bonæ fidei per ipſum Forte confectæ, attentatorum, & innovatorum quorumcumque, ac reſtitutionis in integrum, prout de Iure, una cum omnibus ſuis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali, ac clauſula quam, & quas alicui ex ſacri veſtri Palatii Apoſtolici Auditoribus audiendis, cognoſcendis, decidendis, fineque debito terminandis, quos, quibus, quoties, & quando opus fuerit; Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſtilo Palatii, & Curiæ, cæteriſque in contrarium non obſtantibus quibuſcumque, ſtatum &c. pro plenè &c.

Hæc namque eſt Commiſſio Appellationis, quæ in Curia proponitur; & quamvis Appellationis nomine nullitatem, & omnia gravamina comprehendi, unicuique certiſſimum ſit, at diverſo ſanè modo nullitatum remedium proponitur, principaliter nempè, vel incidenter; quum enim ſimplex Appellatio proponitur, remedium nullitatum incidentèr propoſitum intelligitur, principaliter verò dicitur, quando ſeorſim ab Appellatione petitur Commiſſio Cauſæ ſuper nullitate, aut in eademmet Commiſsione Appellationis; & eapropter praxis inolevit, ut in appellationis Commiſsione adjiceretur ea clauſula, *necnon nullitatis, & nullitatum*; ejuſque vis, & effectus is eſt, ut etiam æque principaliter cauſa nullita-

tis

tis promota dicatur. Et ex eo quia in Curia tres tantummodo nullitates inſanabiles eſſe dicuntur, videlicet Citationis, Juriſdictionis, & Mandati, ideo in Commiſſionibus Appellationum additur, *dummodo, & quatenus ex tribus*, ideſt ſupra narratis; nam & cæteræ nullitates, altiorem requirentes indaginem, non ita facilius ſub generalibus verbis demandantur.

Quando vero Appellationis Commiſſio extra Curiam dirigenda eſt, tunc quaſdam Clauſulas peculiares continere debet; & primo loco recenſemus illam, quæ in calce ejuſdem apponitur, derogationis nempe *Conſtitutioni Bonifacii VIII. prædeceſſoris S. V. de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo non ſit ultra tres.* Sciţiſſimum enim eſt, quod cum Actor, & Reus, ejuſdem Diœceſis ſunt, Cauſa committi non ſolet extra Diœceſim, niſi in quibuſdam Cauſis, & juſta concurrente ratione; tunc enim, ſi cauſa committenda ſit ultra unam dietam, hoc eſt, viginti milliaria, committi non poteſt. Quum vero vigore Commiſſionis trahendus aliquis ſit extra Diœceſim ultra unam, vel duas dietas, id fieri idcircò debet, vel de partium conſenſu, vel prævia derogatione tam *Capit. Statutum* §. *cæterum de reſcriptis in 6.*, quo Bonifacius VIII. juſſit ultra unam dietam quempiam ad litigandum trahi non poſſe, niſi de licentia Ordinarii ſui, quam alterius *Cap. nonnulli de reſcriptis*, deprompti a Concilio generali, quo cavetur ultra duas dietas neminem eſſe trahendum a ſua Diœceſi, ſi ejuſdem diſpoſitioni non derogetur, facta etiam illius peculiari expreſſione. Hinc ex eo quod Signatura, quæ ſupradictis regulis de una, & de duabus dietis derogat, ſe abſtinet a Commiſſione Cauſæ ultra tres, additur clauſula *dummodo non ultra tres*; ſecus verò eſt, quando Cauſa committitur in Romana Curia, tunc enim dietarum ratio non habetur.

In iiſdem Commiſſionibus, quæ tam pro appellatione, quam pro alia cauſa extra Curiam committuntur, apponitur in fine clauſula, *& cum abſolutione à Cenſuris ad effectum* &c.; prout enim in ſupplicationibus Beneficiorum ad effectum ea obtinendi dicta clauſula præmittitur, ita & in Commiſsionibus extra Curiam, ad effectum agendi ad cautelam etiam adjicitur, *itaut ſi excommunicationis, aut alterius Cenſuræ vinculo impetrans forſan innodatus exiſtat, actus omnes judiciarios, ac legitimos facere poteſt.* Et quia hujuſmodi Commiſſiones in forma Brevis expediri ſolent, ideò additur etiam in fine, *& per Breve S. V. expediendum*; quæ verba ſi omittantur, Commiſſio utique non expeditur; quare id fiat, explicatur à *Staphilæo* (1), & inter cæteras, quas ille refert ra-

[1] *De litteris Juſtitiæ Cap. Quando petitur n. 1. & 2.*

rationes, ea ſpernenda non eſt, quod nempe Apoſtolicæ Sedis decus ſit, ut per Breve, ſeu Bullam, non per Commiſſionem, extra Curiam reſcribatur.

Non immeritò nunc videndum, quomodo Commiſſiones prædictæ expediantur; obſignatæ enim à tergo nomine, & cognomine Procuratoris referendariantur a D. Referendario per conceſſum, & traduntur Reviſori, qui expedit illas per Signaturam Eminentiſsimi D. Cardinalis Præfecti æque ac per conceſſum, & ita ſubſignatæ in Dataria aſportantur, in illius nempe officiis, per quæ tranſeuntes perveniunt ad Regeſtum; & poſtquam fuerint regiſtratæ in libris Datariæ, exhibentur cuidam Officiali exiſtenti penes Brevium Secretarium, à quo fiunt minutæ Brevium, quæ in pergameno ſcribuntur, & ſignantur Anulo Piſcatoris. Hinc in *Indice Tribunalium Urbis Franciſci Gherii*, verbo *Brevia Apoſtolica*, legitur, *alia ſpectant ad Juſtitiam extra Curiam, quæ conficiuntur ſuper reſcriptis Juſtitiæ Utriuſque Signaturæ, & illorum minutæ fiunt à Præfecto Brevium Signaturæ Iuſtitiæ.*

Commiſſio reformatoria alterius Commiſſionis.

Romana.

Beatiſſime Pater.

Si N. N. in præinſerta pro Oratore nominatus S. V. expoſuiſſet, prout non ſine dolo tacuit, quod devotus S. V. Orator N. N. obtinuit ab R. P. A. C. Zelada, relaxari mandatum vigore obligationis Cameralis, quæ appellationem ſuſpenſivam non admittit, & quod jam cœpta eſt exequutio, utique præinſertam non extorſiſſet; ſed quia falſus precator, debet impetratis carere: Supplicat igitur humiliter S. V. Orator antedictus, ut dignetur eidem N. N. cui præinſerta eſt directa, ut in Cauſa, & Cauſis hujuſmodi, ac ſi præinſerta eſſet ſignata cum clauſula ſine præjudicio legitimæ exequutionis obligationis Cameralis procedat, committere, & mandare, cum facultate citandi, inhibendi quos, quibus, quoties, conſtitutionibus, ſtilo Palatii, cæteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque, ſtatum &c. pro plenè &c.

Utuntur Procuratores hac Commiſſione, quando aliquis abſque ulla clauſula Commiſſionem Appellationis via ordinaria, *ſotto banca*, ut vulgo dicitur, extorſiſſet, & pars, cui illa præjudicialis eſt, eam reformari optaret, itaut neceſſe ſit adire plenam Signaturam. Tunc enim, parte citata juxta ordinem alias recenſitum, fit copia Commiſſionis ex adverſo extortæ, cum ſuo reſcripto in forma ſignandi; & poſt eam opus eſt addere hanc Commiſſionem reformatoriam, & cum præinſerta in forma ſignandi conſignare R. P.

D.

D. Referendario, qui illam proponet in plena Signatura, utraque parte informante, vel parte citata. Quum verò pars obtineret in plena Signatura Commiſsionem reformari, & cum dicta clauſula *ſine præjudicio* reſcribi, & altera pars eſſet gravata, velletque iterum audiri in plena Signatura, obtinere debet licentiam ab Emo Præfecto, eidem exponendo rationes gravaminis ſibi à Signatura illati, ob quas petit iterum audiri; qui quidem Emus Præfectus, facto per partem, quæ vult iterum audiri, depoſito ſcutorum quatuor pro expenſis reficiendis in caſu ſuccumbentiæ, juxta formam alibi dictam, concedit licentiam, ut Cauſa ab eodem D. Referendario, qui alias eam propoſuit, reproponatur, prout advertit hiſce præcipuis verbis *Ridolphinus* (1). Eo etenim caſu fit copia ambarum Commiſſionum expeditarum a Signatura, cum ſuis reſcriptis, & eiſdem addenda eſt in forma ſignandi Commiſſio Reformatoria, ut ſequitur.

Formula commiſſionis, quando pars denuò vellet plenam Signaturam adire.

Romana.

Beatiſſime Pater.

Si N. N. in ſecundo loco præinſerta pro Oratore *nominatus S. V. expoſuiſſet, prout non ſine dolo tacuit, quod aſſerta obligatio Cameralis, cujus vigore egerat coram R. P. D. A. C. N. N. fuerat antea vulnerata per ſententiam abſolutoriam, & ob id perperam egit, & mandatum ab A. C. decerni, & relaxari extorſit via exequutiva, quæ nullo modo ei competebat, eoque magis, quia pendebat Cauſa appellationis, ab eo a prima ſententia interpoſitæ, qua ſtante nihil erat innovandum, utique ſecundo præinſertam non extorſiſſet; verum quia Pater Sanctè æquum non eſt, ut falſus precator gaudeat impetratis; ſupplicat idcircò humiliter S. V. Orator antedictus, ut dignetur eidem N. N., cui primò præinſerta eſt directa, ut in Cauſa, & Cauſis hujuſmodi, ac ſi ſecundò præinſerta non emanaſſet, procedat, committere, & mandare cum facultate citandi, inhibendi quos, quibus, quoties &c. conſtitutionibus &c. ſtatum &c. pro plenè &c.*

Monendi hic ſumus, quod propoſita denuo Cauſa in plena Signatura, ſi pars, quæ depoſitum, ut ſupra diximus, fecit, omne id quod petiit aſſequatur, illud ei reſtituendum eſt, alias adjudicatur parti adverſæ in compenſationem expenſarum, quas erogavit pro adeunda plena Signatura (2).

Com-

(1) *In prax. cap. 13. p. 1. n. 55.*

(2) *Ridolphinus in praxi part. 1. cap. 13. n. 58.*

Commiſſio exequutorialis.

Peruſina.

Beatiſſime Pater.

Introductio judicio coram N. N. in prima inſtantia pro parte devoti Oratoris N. N. contra N. N. de N. ſuper conſequutione ſcutorum N. N. (vel alia re juxta facti contingentiam exprimenda) *idem Orator favorabilem ſententiam reportavit, quæ ob appellationem in tempore non interpoſitam, vel ob non proſequutionem, vel ob lapſum fatalium tranſitum fecit in judicatum; verum quia Pater Sancte parum eſſet ſententias obtinere, niſi debitæ demandarentur exequutioni; ſupplicat idcircò S. V. Orator antedictus, ut dignetur eidem N. N. ut præfixo aliquo brevi, & competenti termino eidem Adverſario ad docendum de appellatione, ejuſque legitima proſequutione, & nihil quod relevet docto, expenſas in hujuſmodi Cauſa factas taxet, & moderetur, & dictam ſententiam legitimæ exequutioni demandet, committere, & mandare cum poteſtate citandi, inhibendi, quos, quibus, quoties, conſtitutionibus &c. ſtatum &c. pro plenè &c.*

Hæc equidem Commiſsio neceſſaria potiſsimum eſt, quando a Commiſſariis Judicibus lata Sententia eſt, ejuſque exequtionem victor expoſtulet. Nam pro jure certo habetur, Commiſſarios Judices in Romana Curia ob Principis præſentiam exequi non poſſe ſuas Sententias, niſi obtenta Commiſsione, quæ eapropter exequutorialis dicitur (1). Animadverſione dignum & etiam eſt, quod ſi Decretum, ſeu Sententia, cujus exequutio petitur, fuerit in ſecunda, vel in tertia inſtantia confirmata additur in Commiſsione: *quæ Sententia fuit ab N.N. in ſecunda, & ab N.N. in tertia, ſeu alia Inſtantia confirmata*, ſeu *quæ fuit primo loco ab* N. *et ſecundo loco ab* N. *confirmata*, & ſolet Signatura reſcribere cum Clauſula, *dummodò non ſit alteri commiſſa.*

Inter alia, quæ *Marcheſanus* (2) quoad dictam Commiſsionem ritè, rectèque efformandam præſcribit, illud præcipuum eſt, quod hæc verba exprimantur: *Omnes, et ſingulas expenſas taxet, et moderetur; ac pro illis taxatis, et moderatis mandatum, ſeù mandata neceſſaria, et opportuna decernat, et relaxet ſub ſuo parvo Sigillo regula contraria non obſtante*; Id namque jam dicta clauſula operatur, ut Judex taxare debeat non modo expenſas omnes coram ipſo à partibus paſſas, verum & cæteras alias in quacumque ejuſdem Cauſæ inſtantia, & coram quocumque Judice factas, ſecus enim

(1) *Ridolphinus in praxi p. 1. cap. 13. n. 77.*

(2) *Marcheſanus p. 2. cap. 3. n. 75.*

enim, ait *Veſtrius* (1), abſque ſpeciali mandato id facere Judex nequit. Ut autem verba illa, *ſub ſuo parvo Sigillo*, *regula non obſtante*, intelligantur, idem *Veſtrius* adnotat laudato loco, quod antiquitus Cancellariæ Apoſtolicæ Officiales, quorum in officio exequutoriales litteræ ſub plumbo expediri ſolebant, agnoſcentes à litigantibus novam adinventam fuiſſe formam evitandi viam Audientiæ Contradictarum pro Sententiarum exequutione habenda, curarunt ſummopere apud Summos Pontifices pro tempore id agere, ut Jus ſuarum ſolutionum ſalvum eſſet, & proindè ut ab eiſdem inter cæteras Cancellariæ Regulas illa quoque collocaretur, quod Exequutoriales litteræ, alias quam ſub plumbo expeditæ, nullius roboris eſſent, Ex his namque factum eſt, ut deindè remedio derogationis dictæ regulæ adinvento, verba illa in Commiſsionibus adjicienda litigantes curarent, & paſsim à Signatura ita Commiſsiones hujuſmodi ſignantur.

Commiſſio remiſsionis Cauſæ ad partes.

Fulginaten.

Beatiſſime Pater.

Devotus S. V. Orator N. N. *fuit nulliter*, *et indebitè conventus coram R. P. A. C. occaſione cujuſdam Caſalis*, *ſeu prædii ſiti in territorio Fulginaten in loco nuncupato* N. *juxta bona* N. N., *et alios notiſſimos fines*; *verum quia Orator*, *qui in partibus aſſiduè commoratur non poteſt aliqua ratione in prima inſtantia conveniri in Curia*, *quum prima inſtantia ſit in partibus facienda*; *ſupplicat igitur humiliter S. V. Orator antedictus*, *ut dignetur*, *eidem R. P. A. C.*, *ut ſuam moderetur inhibitionem*, *et Cauſam ad partes remittat*, *committere*, *et mandare cum facultate citandi*, *inhibendi*, *quos*, *quibus*, *quoties &c.*, *conſtitutionibus &c. ſtatum pro plenè &c.*

Nulli dubium eſt, quin Cauſæ omnes juxta exploratas Juris regulas, quoad primas inſtantias in partibus definiendæ primo loco ſunt, quò etiam reſpexit *Tridentina Synodus* (2); & revera id æquum omninò eſt ex eo potiſsimum, quod commodius ibi probationes, & proceſſus fieri poſſunt, & è contra non ſine grandi incommodo, temporis diuturnitate, & ſummis expenſis fieri poſſent in Curia, præſertim in teſtium examine. Eapropter ſi hujuſmodi cauſæ in Curia deferantur, & adverſarius reclamet, eidem conſulitur illas ad partes remittendo. Si autem Judex, coram quo lis agatur, remittere eam nolit, recurſus habetur ad R. P. D. Auditorem Signaturæ, juxta Reformationis Edicta; ab eoque quatenus nec

P re-

(1) *Lib. 6. cap. ultimo n. 11.*

(2) *Seſſ. 24. in Cap. Cauſæ omnes.*

remittenda cenſeatur, in plena Signatura reclamatur, & Commiſſio recenſita porrigitur; & animadvertendum hic etiam eſt, quod Signaturæ Tribunal, dum agitur de Cauſis inſtructis in Curia, non ſolet hujuſmodi Commiſsionem ſignare, niſi aliter Cauſarum qualitates ſuadeant, ut ait *Marcheſanus de Commiſſionibus avocatoriis Cauſarum* (1).

Commiſſio pro alterius Judicis deputatione.

Romana.

Beatiſſime Pater.

Exponitur humiliter S. V. pro parte devoti illius Oratoris N. N. quod introducta lite contra eumdem Oratorem coram R. P. A. C. N. N. ad inſtantiam N. N. *prætenſi creditoris in ſcutis* 500. *monetæ occaſione prætii Vineæ &c., licet* Orator *oppoſuerit exceptionem compenſationis, & docuerit ſe eſſe ex alia parte Creditorem ejuſdem N. N. adverſarii in ſimili ſumma occaſione mutui, & ejus creditum ſit pariter privilegiatum, & Camerali obligatione vallatum, nihilominus A. C. rejecta dicta exceptione compenſationis, mandatum ad favorem adverſarii nulliter, et injuſte relaxavit; ſupplicat igitur idem Orator S. V. ut dignetur committere, & mandare R. P. A. C. Met, ut prævia repoſitione a decreto prædicto alium deputet eum facultatibus opportunis, necnon cum poteſtate citandi &c.*

Commiſſio appellationis ab interloquutoria.

Romana.

Beatiſſime Pater.

Vertente lite, & Cauſa coram R. P. A. C. inter devotum S. V. Oratorem N. N. *&* N. N. *Adverſarium de & ſuper prætenſa ſumma, ſcuta mille excedente, rebuſque aliis in actis Cauſæ, & Cauſarum hujuſmodi latius deductis, licet idem Judex Articulos pro parte dicti* N. N. *Adverſarii exhibitos admittere non debuiſſet, quum non ſint relevantes, nec ad Cauſam pertinentes, ſed tantum ad intricandam, & protelandam litem producti, quia tamen illos admiſit, ob id dictus Orator ad S. V. appellavit; dignetur igitur S. V. Cauſam, & Cauſas Appellationis, & Appellationum hujuſmodi, necnon nullitatis, & nullitatum ex tribus iniquitatis, & notoriæ injuſtitiæ, infra legitima tempora interpoſitæ, & interpoſitarum, necnon attentatorum, & innovatorum quorumcumque, ac reſtitutionis in integrum, prout de jure, cum omnibus incidentibus, dependentibus emergentibus, annexis, & connexis, ac toto negotio principali, & quam, & quas &c. alicui S. V. Rotæ Auditori, ſeù Locumtenenti, audiendi, cognoſcendi, decidendi, fine-*

(1) *Cap. 3. n. 16. & 17.*

Digitized by Google

neque debito terminandi, committere, & mandare cum facultate citandi, inhibendi quos, quibus, quoties, conſtitutionibus &c. ſtatum &c. pro plenè &c.

Quamvis de jure civili appellatio ab interloqutoria non detur, ut patet ex *leg.* 2. *Digeſtor. de Appellationibus*, & alitèr ſe res habeat de Jure Canonico, à quo antiquitùs vetitum profectò non erat ab interloquutoria appellare; attamen mens fuit ſacri *Concilii Tridentini* (1), ut non liceret in poſterum ab ea appellare, niſi tale gravamen litiganti inferret, ut irreparabile eſſet, vel vim diffinitivæ Sententiæ haberet; eapropter in hac Commiſsione exponitur, & narratur juſta cauſa appellandi, ſive cauſa gravaminis. Rationem tamen ita agendi *Marcheſanus* (2) reddit, quia nempe Judex ante diffinitivam functus non eſt officio ſuo, ideoque appellatio ab interloquutoria odioſa appellatur, ex eo quod derogat Juriſdictioni ordinariæ; attamen ſtilum hunc exprimendi gravaminis cauſam, deſcendiſſe certum eſt à Conſtitutione Pii IV. (3), qua cautum fuit, ne Referendarii manus apponerent in ſimilibus Commiſsionibus appellationum ab interloquutoriis, niſi expreſſo prius relevanti gravamine.

Commiſſio quando tertius ad Cauſam admittitur.

Ferentina.

Beatiſſime Pater.

Lite, & Cauſa pendente in Sacræ Rotæ Auditorio inter A. Actorem ex una, & B. reum conventum ex altera, cauſa, & occaſione quarumdam terrarum, vel bonorum ſitorum in territorio Reatino, in loco dicto de Valle Viva, juxta ſuos fines; Cauſa, & occaſione, de quibus in actis, cum S. V. Oratori N. N. *valdè interſit de juribus ſuis experiri, ideò dignetur S. V. eidem R. P. N. Rotæ Auditori committere, & mandare, ut præfatum Oratorem in Cauſa, & Cauſis præfatis, in ſtatu, & terminis, in quibus reperitur, & conſtito de intereſſe, & prout de jure, admittat, & audiat, aliaque circa præmiſſa quomodolibet fuerint neceſſaria, & opportuna faciat, & exequatur, cum poteſtate citandi, & inhibendi &c.*

Ut plurimum, commiſſa, & pendente Cauſa Appellationis, vel alia inſtantia, aliquis interdum inſurgit, qui tertius nuncupatur, & Commiſsione porrecta pro ſuo intereſſe ad Cauſam admitti petit, quæ & deneganda non eſt, ſed ut ad cauſam in ſtatu, & terminis, in quibus reperitur admittatur, conceditur, addita tamen clauſula *conſtito de intereſſe, et prout de jure*, quæ id efficit, ut Judex antequam illum ad Cauſam admittat, de intereſſe cognitio-

(1) *Seſſ. 24. cap. 20.*

(2) *De Commiſſionibus Appellat. ab Interloqutoria inferenti gravamen n. 102.*

(3) *Edito ſub anno 1562. §. 4.*

nem inſtituere debeat, alias nihil innovare poterit. Et quamvis nonnulli opinantur, quando de intereſſe conſtet, tertium ad cauſam eſſe omnino admittendum ſine reſcripto, ac proinde Commiſſionem hanc ſuperfluam eſſe, & eo vel maximè, quia, aut Cauſa pendet coram Ordinario Judice, & de Jure admittitur, aut coram Delegato, & vi clauſulæ, *omneſque alios quomodolibet communiter*, *vel diviſim intereſſe putantes*, ad cauſam tertius admitti poteſt; conſtantiſsima tamen Curiæ praxis eſt, ut ad lites tollendas, ne de Juriſdictione Judicis dubitari contingat, ſemper iſta Commiſsio expediatur; & illa fuit ſemper uſu recepta etiam ab antiquis.

Utuntur etiam Cauſidici alia clauſula, nempe, *in ſtatu*, *et terminis*, *in quibus reperitur*, quæ quidem originem traxit a diſpoſitione *Capit: ſi 2. de lite pendente in 6.*, ubi gloſa addit optima ratione id fieri, nam interdum fraudolentèr id agebant litigantes, ut lis ad exitum non perduceretur; itaut dum verebantur, ne Judex contrariam ferret Sententiam, tertius in cauſa, ut compareret, ſtudebant, ad effectum evertendi omnia acta judicialia, & denuo ab initio litem inſtaurandi.

Commiſſio prorogationis Fatalium.

Romana.

Beatiſſime Pater.

Lite, *&* *Cauſa coram R. P. Simoni Judice Delegato inter Oratorem B. ex una*, *&* *C. ex altera*, *de*, *&* *ſuper &c. pendente*, *quia dubitatur nè interim fatalia labantur*, *&* *bonum jus Oratoris pereat*, *recurrit ad Sanctitatem Veſtram humiliter ſupplicando*, *quatenus eidem R. P. Simoni committere*, *&* *mandare*, *dignetur*, *ut fatalia in hac Cauſa amplius non prorogata*, *vel ſemel*, *aut bis*, juxta veritatem, *quatenus durent*, *arbitrio ſuo proroget*, *quatenus verò lapſa ſint novum terminum præfigat*, *attento quod in prima*; *deinde Cauſam*, *&* *Cauſas hujuſmodi*, *prout juris fuerit expediat cum facultate citandi*, *&* *inhibendi &c.*, *ac procedendi juxta formam aliarum commiſſionum*, *de quibus in actis*, *aliaque faciendi deſuper neceſſaria*, *&* *opportuna*, *præmiſſis*, *&* *contrariis quibuſcumque non obſtantibus &c.*

Omnibus in foro verſantibus ſat innoteſcit, tempus à jure præfixum reperiri ad Appellationem proſequendam, quod fatale ex eo potiſsimum apud omnes appellatum fuit, quia, illo elapſo, cauſa perempta remanet, & tanquam mortua reputatur; ne autem illud expiret, præſens Commiſsio adinventa eſt, qua in Romana Curia petitur fatalia prorogari; &, ut faciliùs petitioni Tribunal Signaturæ annuat, nonnullæ ſolent cauſæ narrari, quas inter primum obti-

tinet locum illa; nempe; quod Judex aliis negotiis præpeditus litem, de qua agatur, definire, ac expedire nequivit; æquum enim eſt, ut ex facto Judicis fatale non currat, juxta textum in *Cap. ex inſinuatione*, illiuſque interpretationem, quæ legitur apud *Imolen:* (1). Narratur etiam aliquando in dicta Commiſsione, prorogationem, nè aliqua oriatur diſputatio an fatale duret, ad cautelam impetrari, vel litigantem pauperem eſſe, itaut in termino cauſam ille expedire non potuerit ob ſummas expenſas, quæ in Curia fiunt, aut ob impedimentum, fraudem, dolumque, quibus occaſionem dederit pars ex adverſo fatalia expiraſſe. Exponitur perſæpe, ſcripturas a longinquis partibus in tempore tranſmiſſas non fuiſſe, abſentiam, aliudve infortunium, aut cætera legitima impedimenta, interceſsiſſe, quæ omnibus hic terrarum conſtitutis evenire in dies ſolent. Quæ quidem cauſæ, Commiſsione earumdem intuitu obtenta, neutiquam probandæ ſunt, itaut ſufficiat ſola illarum aſſertio, juxta *Mandoſii* ſententiam.

In eadem Commiſsione apponitur clauſula, qua petitur mandari Judici, ut *toties*, *quoties opus fuerit*, *fatalia proroget*; attamen pro jure certo habemus ex *Marcheſano*, quod verba illa *toties quoties*, quæ tantummodo apponuntur ut plurimum in Commiſsionibus extra Curiam dirigendis, ſemper deleri ſoleant, & illorum vice adjicitur *arbitrio ſuo proroget*. Quod quidem arbitrium a jure regulandum eſt, ne, ut præſcriptum reperitur, ultra duas vices prorogentur, eapropter in Commiſſione exprimendum etiam eſt, per quot vices fatalia prorogata fuerint; & in hac materia prorogationis fatalium extat quædam ſanctio Gregorii XIII., ne in ſecunda inſtantia ultra tertiam vicem prorogentur, ac hujuſmodi Commiſſio non detur; in *S. Rota* tamen aliter ſervatur.

Subnectitur etiam verbo *fatalia proroget* clauſula, *quatenus durent*, idque ea ratione fit, quia ſi fatalia expirarunt, non poteſt peti prorogatio; nam prorogari propriè dicitur, quando adhuc terminus durat, & proindè ſi fatalia non currant prorogari nequeunt; ſequitur, & alia clauſula, *& quatenus lapſa ſint*, *novum terminum præfigat arbitrio ſuo*, & addi debet *attento quod in prima*, ad differentiam aliarum inſtantiarum, nam in ſecunda, & cæteris inſtantiis fatalia prorogantur ſi durent, ſecus autem ſi lapſa ſint.

De Commiſſionibus in judiciis poſſeſſoriis.

Quum poſſeſſionis cauſæ ad tria tantummodo genera redigantur

(1) *In Commiſſ. prorogationis fatalium.*

tur, quorum primum adipiſcendæ, alterum retinendæ, tertium verò recuperandæ à Juriſconſultis appellatur, de unoquoque genere pauca diſſerendo, Commiſſiones exhibemus; & à Judicio adipiſcendæ exordiendo, indubium eſt, Jus adipiſcendæ poſseſſionis multifariam oriri, & primùm per clauſulam *conſtituti*, quæ in Inſtrumentis apponi ſolet, qua quis contrahendo conſtituerit ſe aliqua bona alterius nomine poſſidere, eodemque tempore in illum transferat veram, & realem poſſeſſionem, itaut Conſtitutarius non indigeat alio mandato de immittendo, ſed illi ſatis ſit obtinere mandatum de aſſociando, ut pacificè continuare poſsit poſſeſsionem ita quæſitam; quod Judicium Aſsiſtentiæ in foro Neapolitano appellatur, ex eo quia conſtitutarius à Judice petit, ut *Aſſiſtentiam* ſibi præſtet in continuatione poſſeſsionis: hujuſmodi enim Judicii Commiſsio ſequens eſt.

Commiſſio in Cauſa Immiſſionis.

Romana.

Beatiſſime Pater.

N. N. *Adverſarius aſſertus Creditor quondam* N. N. *in ſcutis* N. *monetæ egit coram A. C. & obtinuit contra* N. N. *devotam S. V. Oratorem ſententiam favorabilem ſuper immiſſione in poſſeſſione unius domus, & aliorum bonorum valoris ſcutorum mille per Oratorem ſpatio* 10. *annorum, & ultra legitimè poſſeſſorum, verum quia idem* N. N. *nullam ſuper dictis bonis habet hipothecam, & in omnem caſum ceſſat ex Oratoris poſſeſſione decennali, ultra quod agitur de bonis Emphiteoticis Eccleſiaſticis; ſupplicat idcircò humiliter S. V. Orator antedictus, ut dignetur Cauſam, & Cauſas appellationis, & appellationum, necnon nullitatis, & nullitatum ex tribus iniquitatis, & notoriæ injuſtitiæ a dicta ſententia aſſerta, infra legitima tempora interpoſitæ, & interpoſitarum, necnon attentatorum, & innovatorum quorumcumque, ac reſtitutionis in integrum, prout de jure &c. una cum omnibus incidentibus, dependent:, emergent:, annexis, connexis, ac toto negotio principali, & quam, & quas &c. alicui S. V. Sacri Palatii Apoſtolici Auditori, vel Locumtenenti,* (ſi adſit) *audien. cognoſcen. deciden., fineque debito terminan. committere, & mandare, cum facultate citandi inhibendi quos, quibus, quoties, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtilo Palatii, cæteriſque contrariis non obſtantibus, ſtatum &c. pro plenè &c.*

Poſſeſſorium hoc, quod adipiſcendæ poſſeſsionis dicitur, competit Creditori in bonis etiam à debitore hypothecatis, ſive ab ipſo debitore, ſive à tertio poſſeſsis, ad effectum ſe ſatisfaciendi

de

de credito ex eorundem bonorum fructibus, ac etiam Legatario, & Fideicommiſſario, vel alteri, cui competit actio hipothecaria pro conſequutione proprietatis rei legatæ, vel Fideicommiſsi lege relictæ, aut alias ſibi debitæ.

Commiſſio in Salviano.

Romana.

Beatiſſime Pater.

N. N. *mercator in Urbe S. V. Orator creditor Franciſci occaſione annui cenſus ſcutorum quinquaginta, impoſiti ſuper quadam domo ſita &c. detenta nunc à Silverio; ex quo ob fructus ſibi debitos a dicto Franciſco, cogitur experiri judicium Salviani contra dictum Silverium; et quia Oratori intereſt quantocitius ad immiſſionem devenire, & coram Ordinario Judice lis in longum protraheretur ob prætenſiones adverſarii; ſupplicat idcirco humiliter S. V. quatenus Cauſam, & cauſas Immiſſionis, & Immiſſionum ad dictam domum in judicio utilis Salviani interdicti ad illam retinendam, donec & quouſque Oratori ſatisfactum fuerit de fructibus decurſis dicti cenſus, & de aliis ſuo loco, & tempore decurrendis, ac quam, & quas Orator contra dictum, & omnes alios occupatores habet, & movet, & habere vult, et intendit, una cum omnibus, et ſingulis incidentibus, emergentibus, annexis, et connexis, attento quod agitur de annuo redditu ſcutorum quinquaginta ex cauſa cenſus ſcut.* 800. *in ſorte principali, alicui S. Palatii veſtri Auditori, vel Locumtenenti audiendi &c. fineque debito ſummariè, ſimpliciter, et prout in beneficialibus terminan. committere &c. cum poteſtate &c.*

Commiſſio in judicio retinendæ poſſeſſionis, ſive manutentionis.

Romana.

Beatiſſime Pater.

Licet devotus Orator *S. V. N. N. a pluribus annis citra reperiatur in pacifica, & quieta poſſeſſione domus ſitæ in Urbe in Regione N. juxta ſuos notiſſimos fines cum bona fide, & juſto titulo, nihilominus N. N. adverſarius ſententiam favorabilem ab A. C. ſuper prætenſa manutentione in poſſeſſione ejuſdem domus, & fructuum illius perceptione, non minus nulliter, quam injuſtè contra dictum Oratorem extorſit; a qua quidem ſententia idem Orator ad S. V. appellavit, & de nullitate dixit; ſupplicat igitur humiliter S. V. Orator antedictus, ut dignetur Cauſam, & Cauſas appellationis, & appellationum, nullitatis, & nullitatum ex tribus iniquitatis, & notoriæ injuſtitiæ, infra legitima tempora interpoſitæ, & interpoſitarum, necnon attentatorum, & innovatorum quorumcumque, ac reſtitutionis in integrum, prout de jure &c. una cum omnibus in-*

incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, connexis, totoque negotio principali, & quam, & quas &c. alicui S. V. Sacri Palatii Apoſtolici Auditori audiendi, cognoſcen. deciden. fineque debito terminandi, committere, & mandare, cum facultate citandi, inhibendi quos, quibus, quoties, conſtitutionibus, ſtilo Palatii &c., cæteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque, ſtatum &c. pro plenè &c.

Commiſſio appellationis a mandato de evacuando.

Romana.

Beatiſſime Pater.

Licet N. N. *Adverſarius alias de anno N. locaverit pro tribus annis futuris N. N. devoto S. V. Oratori domum ſitam in Regione* N. *juxta bona* N. N., *& alios, ſi qui ſunt veriores fines, nihilominus idem Adverſarius prætendens dictum Oratorem dictæ locationi, ac juri Inquilinatus renunciaſſe, egit contra eumdem coram A. C. ad evacuandam dictam domum, & licet poſitiones pronunciatæ pro confeſſatis non attendantur in eo Tribunali, & Teſtes exadverſo examinati nihil relevans concludant, nihilominus dictus Adverſarius decretum aſſertum, & illius vigore mandatum de evacuando contra* Oratorem *nulliter, & injuſtè extorſit; ſupplicat igitur humiliter S. V. Orator antedictus, ut dignetur &c.* adduntur quæ in cæteris commiſſionibus ſequuntur.

Mandatum de evacuando videtur ſapere quodammodo manutentionis materiam, & in eo obtinendo ſummariè proceditur, idcircò poſt manutentionis commiſſionem adjecimus hic hujuſmodi judicii commiſſionem.

Commiſſio appellationis in judicio reintegrandæ.

Neapolitana.

Beatiſſime Pater.

Quamvis N. N. *devotus S. V. Orator pluribus ab hinc annis juſto emptionis titulo acquiſiverit vineam ſitam extra portam N. N. in loco nuncupato* N. *juxta bona N. N., & N. N., viam, & ſuos fines, ut conſtat ex publico inſtrumento rogato per Acta N. N., ſub die* 10. *menſis N. anni N., illamque ſemper deinde legitimè, quietè, ac pacificè poſſederit, nihilominus* N. N. *Adverſarius ſententiam favorabilem contra Oratorem ſuper aſſerta reintegratione ad poſſeſſionem ejuſdem vineæ, ac reſtitutione fructuum non minus nulliter, quam injuſtè a R. P. A. C. extorſit, & idcirco Orator ad S. V. appellavit; dignetur igitur S. V. Cauſam &c.*

Commiſſio Attentatorum.

Romana.

Bea-

Beatiſſime Pater.

Devotus S. V. Orator N. N. obtinuit ab R. P. N. N., citato N. N. Adverſario, mandatum de aſſociando ad poſſeſſionem domus N. N., de qua agitur, virtute clauſulæ conſtituti, prout ex inſtrumento rogato per acta N. N. in actis exhibito, cujus quidem mandati vigore accepit dictæ domus realem, & actualem poſſeſſionem ſervatis de jure, ac de ſtilo ſervari ſolitis, ſed quia nihilominus dictus N. N. adverſarius ſub prætextu aſſertæ inhibitionis dictam poſſeſſionem, ac mandati exequutionem, non minus nulliter, quam injuſtè ab eodem Judice cum omnibus inde ſequutis revocare extorſit, ob id idem Orator ad S. V. infra legitima tempora appellavit, ac de nullitate dixit; ſupplicat igitur humiliter S. V. Orator antedictus, ut dignetur &c.

Commiſſio appellationis in materia Penſionum.

Romana.

Beatiſſime Pater.

Exponitur humiliter S. V. pro parte illius devoti Oratoris N. N. *quod menſibus elapſis* N. N. *adverſarius egit coram A. C. contra Oratorem de & ſuper prætenſa manutentione in quaſi poſſeſſione exigendi annuam penſionem aſſertam ſcutorum* N. N., *alias ſuper fructibus Eccleſiæ* N. N., *ut dicitur reſervatam; & licet dictus adverſarius non docuerit ſaltem legitimè de aliqua quaſi poſſeſſione manutenibili, & in omnem eventum ex juribus pro parte Oratoris productis manifeſte appareat ipſum Adverſarium habuiſſe ſe pro ſpoliato, nihilominus ſententiam favorabilem ab eodem Judice contra Oratorem ſuper præmiſſis extorſit. Dignetur igitur S. V. Cauſam, & Cauſas appellationis, & appellationum, necnon nullitatis, & nullitatum ex tribus, iniquitatis, & notoriæ injuſtitiæ &c. a dicta aſſerta ſententia infra legitima tempora interpoſitæ, & interpoſitarum, necnon attentatorum, & innovatorum quorumcumque &c.*

Hæc namque Commiſſio reſpicit Judicium illud, quod inſtituitur, quando penſionem, quam antea ſolverit, deinceps Proprietarius ſolvere detrectat; ſi enim agatur de penſione, quæ nondum ſit ſoluta, & ille ſolvere renuet, tunc Judicium Immiſsionis dicitur, & diverſimode in Commiſsione factum exprimitur; hinc alteram hujuſmodi Judicii Commiſsionem, prout etiam egit *Ridolphinus*, hic tranſcripſimus.

Romana.

Beatiſſime Pater.

Introductio judicio coram A. C. ad inſtantiam N. N. *aſſerti Clerici adverſarii contra devotum S. V. Oratorem* N. N. *Rectorem*

Parochialis Eccleſiæ N. N. *de*, *&* *ſuper immiſſione in poſſeſſionem, vel quaſi exigendi aſſertam annuam penſionem*, *alias*, *ut dicitur*, *ad favorem* N. N. *ſuper fructibus dictæ Parochialis cum clauſula*, *dummodo remaneant centum pro Rectore reſervatam*, *&* *in perſonam dicti* N. N. *Adverſarii*, *ut aſſeritur translatam*, *illiuſque terminorum ſolutione*, *rebuſque aliis &c. idem Judex*, *dicta clauſula dummodo non juſtificata*, *nec docto ſufficienter de adverſarii Clericatu*, *litteriſque Apoſtolicis originalibus nullatenus exhibitis ad favorem ejuſdem adverſarii*, *non minus nulliter*, *qua injuſtè ſententiavit*, *ac declaratoriam promulgavit*, *mandatumque de immittendo*, *&* *exequutivum*, *ac literas declaratorias decrevit*, *&* *relaxavit*, *ob id idem Orator ad S. V. appellavit*, *&* *de nullitate dixit*, *dignetur igitur S. V. &c.* cum reliquis *&c.*

Commiſſio reſtitutionis in integrum.

Romana.

Beatiſſime Pater.

Vertente lite coram A. C. in prima inſtantia inter S. V. Or*atorem A.*, *&* *Adverſarium N. de*, *&* *ſuper &c. placuit dicto A. C.*, *S. V.* Or*atorem condemnare ad ſolvendum dicto Adverſario ſcuta centum*, *&* *Procurator Oratoris neglexit infra legitima tempora appellare*; *dignetur igitur S. V. Cauſam*, *&* *Cauſas appellationis*, *&* *appellationum*, *a tempore quo Oratori permiſſum fuit*, *interpoſitæ*, *&* *interpoſitarum*, *necnon nullitatis*, *&* *nullitatum ex tribus iniquitatis*, *&* *notoriæ injuſtitiæ*, *ac gratioſæ reſtitutionis in integrum*, *attento quod negligentia Procuratoris principali obeſſe non debet*, *ac quam*, *&* *quas &c. una cum omnibus*, *&* *ſingulis incidentibus*, *annexis*, *&* *connexis*, *totoque negotio principali alicui Sacri Palatii veſtri Auditori ſummariè prout in Beneficialibus committere*, *&* *mandare*, *ut ipſum Oratorem ad appellandum*, *provocandum*, *&* *dicendum de nullitate admittat*; *perinde ac ſi duraret tempus legitimum ad appellandum*, *aliaque omnia &* *ſingula faciat*, *gerat*, *&* *exequatur in prædictis*, *&* *circa ea quomodolibet neceſſaria*, *vel opportuna*, *cum poteſtate citandi*, *&* *inhibendi &c. contradictores*, *&* *rebelles &c. ac Oratorem ante omnia ex clauſula ſaltem generali*, *ſi qua mihi &c.*, *cæteraque omnia &c. in primis*, *&* *ante omnia*, *prout juris fuerit reſtituendi*, *plenariè reponendi*, *&* *reintegrandi*, *ac alia hujuſcemodi faciendi &c.*

Ex hac Commiſsionis formula poteſt quiſque conficere etiam, mutatis mutandis, Commiſsiones, quæ reſpiciunt reſtitutionem adverſus aditionem hæreditatis damnoſæ, necnon adverſus lapſum fata-

talium, venditiones injuſtas, &c.; nam in principio Commiſsionis ſufficit ut factum breviter exponatur, & deinde apponuntur clauſulæ illæ, quæ in ſuperius tranſcripta leguntur.

Commiſſio in Cauſa exequutionis literarum Apoſtolicarum.

Viterbien.

Beatiſſime Pater.

Vacante Cappella N. N. ſita in Eccleſia N. N. de Jurepatronatu laicorum ex dotatione, & fundatione per obitum N. N. ultimi illius Rectoris, & poſſeſſoris extra Romanam Curiam defuncti valoris vigintiquatuor ducatorum auri de Camera excedentis, fuit a Patronis præſentatus ad illam coram Ordinario N. N. S. V. Orator, qui ab eodem Ordinario inſtitutus, ejuſdem Beneficii poſſeſſionem aſſequutus fuit, nuper verò N. N. Adverſarius de eodem Beneficio, uti libero, & reſervato, nulla dicti Jurispatronatus, aut præmiſſorum facta mentione, ſubreptitiè, & obreptitiè a S. V. ſibi provideri obtinuit, & a R. P. A. C. in hujuſmodi proviſionis exequutionem ſententiam favorabilem ſuper immiſſione, ac declaratoriam extorſit, ob id idem S. V. Orator ab eadem ſententia infra legitima tempora appellavit; dignetur igitur S. V. Cauſam, & Cauſas &c.

Commiſsio derogatoria Feriarum.

Romana.

Beatiſſime Pater.

Pendente lite inter N. N. S. V. Oratorem, & N. N. Adverſarium coram R. P. Cincio, cauſa, & occaſione &c., dum negotium erat in expeditione ſupervenerunt feriæ nuper indictæ de mandato S. V. & ſic Orator non potuit procedere ad ulteriora; verum quia agitur de Cauſa favorabili jam ad finem redacta, Oratoriſque valdè intereſt ad ejus expeditionem devenire; ideo humiliter ſupplicat Sanctitati V. quatenus dignetur committere, & mandare eidem R. P. Cincio, ut ad Cauſæ, & Cauſarum hujuſmodi expeditionem procedat, feriis præfatis non obſtantibus, juxta formam, & facultates aliarum commiſſionum cum poteſtate citandi, & inhibendi &c. præmiſſis, & aliis quibuſcumque non obſtantibus, ſtatum &c.

Ut ab aſsiduis laboribus, quos laude ſumma ſubſtinent in cauſis definiendis, per aliquod temporis ſpatium quotannis vacarent tam S. Rotæ Auditores, quam cæteri Commiſſarii Judices, qui nempe vigore Commiſsionum Signaturæ Juriſdictionem exercent, illorumque incolumitati conſultum eſſet, Summi Pontifices magnopere curarunt; qua de re feriæ, ſive æſtivæ vacationes in cauſis Rota-

talibus, & Commiſſariis inſtitutæ fuerunt, quæ incipiunt a die 10. Julii, uſque ad Kalendas Octobris, ſi dies illa rotalis fuerit, Lunæ, nempe Mercurii, vel Veneris, ſecus vero uſque ad primum diem juridicum Rotæ, qui in principio dicti menſis incidat; eiſdemque feriis perdurantibus Judicum prædictorum munus conquieſcit, & etiamſi velint, nequeunt in Cauſis ad ulteriora procedere; itaut omninò ad Cauſæ proſequutionem opus ſit Commiſſione derogatoria Feriarum, qua ab eo, cujus intereſt, petitur committi Judici, coram quo Cauſa ante feriarum indictionem pendebat, ut, eis non obſtantibus, ad Cauſæ, ſeù Cauſarum expeditionem procedat.

In principio feriarum, quum nempè pauci ab indictione dies lapſi ſint, advertit *Marcheſanus*, hanc Commiſsionem non dari ex eo potiſſimum, quod ſi ita de facili, ſtatim ac feriæ indictæ repeṙiuntur, concederetur, fruſtratoriæ viderentur; proindeque, ut honor indictioni habeatur, non reſcribitur, niſi multis elapſis diebus, nec tamen in omnibus, & quibuſcumque cauſis, ſed in aliquibus, exequutivis nempe, parvi momenti, alimentorum, cæteriſque dilationem non patientibus, vel de ſui natura privilegiatis, utpote evacuationis domorum, earumque penſionum, viduarum, pupillorum. Indubium etiam eſt, ſolertiſſimos Procuratores, nè ad hujuſmodi Commiſſionem expediendam feriarum tempore cogerentur, conſueviſſe in omni, & quacumque Commiſſione, cujus vigore, vel cauſa principalis, vel appellationis, aut quævis alia committitur, apponere in fine illa verba, videlicet, *feriis nuper per S. V. indictis, vel in futurum indicendis minime obſtantibus.*

Animadvertendum & etiam eſt à Signatura Juſtitiæ Commiſſionem hanc derogationis feriarum non dari in Cauſis in Rota pendentibus; licet interdum à Signatura Sanctiſſimi non denegetur, quando ambæ partes de conſenſu eam petant, & remanſit dubium tantum definiendum in exitu vacationum, ut adnotat *Marcheſanus* (1). Secus vero eſt, ſi Cauſa commiſſa reperiatur alicui Auditori ejuſdem Rotæ, non tanquam Auditori, ſed uti Prælato extra Rotam, & abſque Rotæ participatione, tunc enim reputatur ſimplex Judex Commiſſarius, & opus non habet voto aliorum Coauditorum, qui feriarum tempore inſimul non conveniunt pro definitione Cauſarum Rotalium.

Commiſsio ſuper jactationibus.

Romana.

Beatiſſime Pater.

Licet Octavius Sebaſtiani Sanctitatis Veſtræ Orator a multis an-

(1) *De Commiſſ. derog. Fer. n. 57.*

annis fuerit , *& ſit in pacifica poſſeſſione unius Vineæ cum domo*, *picturis egregiis famoſi pictoris Joannis Equitis Lanfranchi depicta* , *ſita in pertinentiis Urbis in loco nuncupato Bravetta* , *juxta &c.*, *& ſuper ea a nemine debuiſſet*, *vel deberet moleſtari perturbari*, *aut inquietari* : *nihilominus quia quidam Michaelangelus* , *& alii de Magiſtris ipſum Octavium Oratorem nolle ſinere poſſidere ſe jactant* , *& vociferant contra omne debitum juris*: *& quia valdè intereſt Oratori quantocitius via juris ſe a præmiſſis jactationibus* , *& vociferationibus eximere* , *& liberare*; *ideò humiliter ſupplicat S.V. quatenus Cauſam* , *& Cauſas moleſtationis* , *& moleſtationum* , *jactationis* , *jactationum* , *vociferationis*, *& vociferationum* , *alicui Sacri Palatii Veſtri Auditori*, *vel Locumtenenti audiendas*, *cognoſcendas*, *decidendas*, *fineque debito terminandas commttere* , *& mandare cum poteſtate citandi* , *& inhibendi* , *quos*, *quibus*, *& quoties opus fuerit* , *aliaque omnia &c.* ; *ut ſupra* , *necnon Adverſariis præfatis perpetuum ſilentium imponendi*, *prout de jure* , *præmiſſis &c.*

Frequentiſſimum eſt judicium , quod vi *legis diffamari Cod. de Ingenuis*, *et Manumiſſis* in Curia inſtituitur, dum nempe quis, in pacifica poſſeſſione conſtitutus, diffamationes, aut vociferationes præſentiat, ſuoque ſtatui moleſtias inferri vel timeat; quod quidem Judicium vel initium ſumit à monitoriis ſuper jactationibus, & moleſtationibus , quæ a Tribunali Auditoris Cameræ ſæpiſſimè impetrantur, vel a Commiſſionibus, jactationis jactationum vulgò nuncupatis, quæ a Signatura Juſtitiæ expediuntur; iis enim alicui Judici mandari petitur, ut, præfixo diffamanti aliquo brevi, & peremptorio termino ad deducendum omnia Jura, ſi quæ habet, & quicquid vult, ac poteſt, & nihil quod relevet docto, perpetuum ſilentium diffamanti imponat, & audientiam in futurum illa de cauſa denegandam eſſe declaret. Ut autem hujuſmodi Commiſſiones legitimè proponantur, oportet, quod præcedat diffamatio, & diffamantes certi exprimantur, ſecus enim de ſtilo Signaturæ contra incertos non datur; & clauſulam *omneſque alios in exequutione præſentium nominandos*, *et cognominandos*, ſemper deleri, teſtatur *Marcheſanus*, propter regulam illam, quod abſque cauſa nemo invitus ad agendum cogi poteſt; idque ſi pro vero habendum eſſet, idem prorſus dicendum de eo, qui Jura , & actiones jactat , & judicialiter proponere in animo non habeat. Qua de re de ſtilo potius, quam vi regulæ jam dictæ, deleri clauſulam illam Signaturæ, ſatis abunde unicuique patet.

Eadem Commiſsione utuntur omnes illi, qui ſubſtituuntur, & ad

ad ſucceſſionem vocantur poſt uſufructuarii obitum, quum nempe uſufructuarius aſſerat bona reſtitutioni, vel ſubſtitutioni obnoxia haud eſſe, & petatur præfigi terminum uſufructuario ad docendum de aſſertis, quo elapſo, & nihil relevans docto, à Judice declarari, quod eveniente Subſtitutionis caſu, juxta formam teſtamenti de quo agitur, ad eum pertineant, & bona, & ſucceſsiones.

Nè autem hujuſmodi Commiſsiones ſignentur, ab Adverſariis variæ exceptiones proponi poſſunt, quas inter præcipua ea eſt, poſſeſsionem non habere illos, qui Commiſsiones impetrare velint; tunc enim omnino denegandas eſſe firmat *Marcheſanus de Commiſſione ſuper Jactationibus* (1). Magni momenti & etiam eſt exceptio illa, Cauſam nempe jam ordinariè inſtructam reperiri, & proindè Commiſsio ſignanda non eſſe; pro jure enim certo habetur ante motam litem locum habere remedium *leg. diffamari*, quod reverà extraordinarium eſt, & ceſſare, ordinario jam ad exequutionem redacto. Qua de re in monitoriis ab A. C. impetratis de ſtilo clauſula apponitur, *non tamen ſuper moleſtiis judicialitèr illatis*, & ab eademet Signatura Juſtitiæ etiam additur illa clauſula, *quatenus Judicium cœptum non ſit*.

Non datur denique Commiſſio jactationis in prima Inſtantia in Curia, quoad Cauſas de partibus; tunc enim requiritur appoſitio manus Papæ, quia juxta diſpoſitionem *Concilii Tridentini in Cap. Cauſæ omnes*, in prima inſtantia ab Ordinariis cognoſci debent; hinc Commiſſio in hujuſmodi Cauſis impetranda eſt in Signatura Gratiæ; ſi vero juſta, & juridica acceſſerit ratio, interdum datur a Signatura Juſtitiæ.

Animadvertendum etiam eſt, quod in hac Commiſſione non apponuntur verba, *moleſtare*, vel *perturbare ſe jactat*, quia iſta petitorium reſpiciunt, adjiciuntur tamen, quum ſuper eodem petitorio Cauſa committi deſideratur; idemque ſervandum in clauſula, *una cum toto negotio principali*.

De Commiſſionibus Avocatoriis.

Quum avocatio non una de cauſa aliquando petatur, vel ratione nempe unionis Cauſarum, privilegiorum, vel propter ſuſpicionem Judicis, aut abſentiam illius, diverſimode eapropter avocatoriæ Commiſſiones pro Cauſarum opportunitate conficiuntur; & non immerito diverſas hic earumdem formulas collocare curavimus.

Com-

(1) *Cap. 1. part. 2. n. 44.*

Commiſſio unionis Cauſarum.

Romana.

Beatiſſime Pater.

Anno elapſo obiit Franciſcus Oliverius ſuo ultimo condito teſtamento, in quo hæredem univerſalem ſibi reliquit Angelam ejus germanam ſororem, et quia inſurrexerunt multi illius aſſerti Creditores, quidam coram A. C., alii coram Urbis Gubernatore, alii in Tribunali Cardinalis Vicarii, alii vero in Curia Capitolina, aliique forſan in aliis Tribunalibus in maximum Creditoris, et hæreditatis detrimentum, adeout Oratrix hæres illius cum beneficio Legis et Inventarii, tot in Tribunalibus vocata, non poſſit tot ſumptus ſubſtinere, jura tueri, et hæreditatem defendere, ſtante præcipue numero ſcripturarum, quæ in forma probanti coram unoquoque Judice producendæ ſunt; quia verò valde ejuſdem intereſt non vexari coram tot diverſis Judicibus pro eadem re, et Cauſa, ideo ſupplicat humiliter S.V. prævia avocatione Cauſæ, et Cauſarum hujuſmodi occaſione dictæ hereditatis coram quibuſvis Romanæ Curiæ Judicibus pendentium in ſtatu, et terminis, in quibus unaquæque illarum reperitur omnes ad ſe avocare, illaſque ſic avocatas, et inſimul unitas alicui Romanæ Curiæ Judici ordinario committere, et mandare dignetur audien. cognoſcen. deciden. fineque debito terminan. ſummariè &c. cum ſuis incidentibus, dependentibus, annexis, et connexis, totoque negotio principali, ac quam, et quas &c. cum poteſtate citandi &c. privilegiis, et indultis præfatis Tribunalibus, vel unicuique perſonæ, vel loco conceſſis etiam in corpore juris clauſis, legibus quoque, ſtatutis Urbis etiam juramento vallatis, nec non conſtitutionibus Apoſtolicis ſtilo Palatii, & Curiæ, cæteriſque contrariis non obſtantibus, ſtatum &c. pro plenè, et ſufficienter expreſſis haberi etc.

Tunc autem Signatura Juſtitiæ avocat, quando jus aſſiſtit; Signatura vero Sanctiſsimi adeunda eſt, quando aliquid ex mera liberalitate petitur, ut nempe revocatio alicujus privilegii, *quod non poſſit niſi certo loco conveniri, ſi adſit perſona privilegiata, ſi Cauſæ tales forent, quæ ex aliqua æquitate eſſent avocandæ, licet non de rigore Juris, tamen ut conſulatur quieti, et ſimilibus, nam tunc ita diſpenſando, et reſcribendo gratia vocari poteſt*, juxta tradita *per Marcheſanum* (1).

Eadem et Commiſſione poterit quiſque uti, ſi caſus evenerit alicujus diſcuſſionis creditorum, mutato tamen facto, cæteriſque circumſtantiis jux-

(1) *Cap. 3. p. 1. Commiſſ. Avocationis Cauſarum.*

juxta Cauſæ indigentiam, & opportunitatem; animadvertendum & etiam eſt quod in omnibus hiſce Commiſſionibus Avocatoriis ſumma certa exprimenda eſt, ex eo quia ſunt quædam Cauſæ, quæ nec in Curia demandandæ, nec reſcribendum in illis ſit, prout advertit laudatus *Marcheſanus*.

Commiſsio avocatoria propter privilegia.

Spoletana.

Beatiſſime Pater.

Cum quidam A. prætenderet ſe Creditorem q. B. Æſini multis ab hinc annis defuncti, non tamen vigore obligationis Cameralis (vel jus ſuper domo, prædio, & ſimilibus) *cœpit moleſtare C. et D. S. V. Oratores ejus hæredes cum beneficio Legis, et Inventarii in pupillati ætate conſtitutos etc.* (*ſive minores*) *coram Judice de partibus non minus nulliter, quam injuſtè; verum quia ex privilegio in corpore Juris clauſo, et vigore legis unicæ Oratores trahunt, et non trahuntur extra provinciam* (*ſeu ob Adverſarii potentiam*) *in partibus litigare perhorreſcunt, ubi juſtitiæ complementum non ſperant conſequi, prout jurare parati ſunt, et quatenus opus ſit, etiam jurant; ideo ſupplicant S.V. quatenus prævia avocatione &c. Cauſam, & Cauſas prædictas ad A. C. remittere, et, quatenus opus ſit, committere, et mandare dignetur audiendas etc. cum poteſtate etc. ut ſupra etc.*

In ſupraſcripta Commiſſione omninò exprimendum eſt paratum eſſe collitigantem illum, qui Commiſſionem porrigit, de perhorreſcentia jurare; nec pars adverſa, ſi contra Commiſſionem hujuſmodi, & Juramentum perhorreſcentiæ de ſubreptione dicere vellet, & contrarium probare, ullo unquam pacto auditur, quia omninò Juramento allegantis timorem, ſeu perhorreſcentiam, ſtandum eſt; & Curiæ ſtilus ea de cauſa ita invaluit, quia pro firma regula habetur, quod quando aliquid conſcientiæ alicujus committitur, nemo contra probare volens auditur, juxta ſenſum *Canon: ſtatutum* §. *aſſeſſores de reſcriptis in 6.*

Hic tamen, & alia quæſtio proponitur, an Juramentum, in antedicta Commiſsione tantummodo expreſſum, præſtari debeat, & *Mandoſius in Commiſſ. Avocatoriis Cauſarum* utitur hac diſtinctione, aut nempe Commiſsio fundatur ſuper Juramento, itaut addatur in reſcripto, *præſtito Juramento perhorreſcentiæ*, & quidem præſtari prius debet, ſecus enim reſcriptum adimpletum non dicitur, & omnia geſta vigore ejuſdem Commiſsionis nulla omninò erunt; nam, pro jure certo habetur, Juriſdictionem commiſſam non excitari, niſi adimpleta conditione, in Commiſsione, ſive Reſcripto, a Signatura adje-

adjecta; ſecus vero eſt, quando clauſula ſupradicta non apponatur, tunc enim Commiſsionem impetrans jurare non tenetur, niſi adverſario inſtante.

Commiſsio Avocatoria propter ſuſpicionem.

Maceraten.

Beatiſſime Pater.

Vertente lite, et cauſa coram Epiſcopo Maceraten, vel ejus Vicario generali inter S. V. Oratorem A. et B. adverſarium de, & ſuper &c. idem Judex nimis animosè procedens, (narretur hic factum), *ſe oratori ſuſpectum reddidit, prout jurare paratus eſt, et, quatenus opus eſt, jurat in manibus S. V., adeo ut coram eo juſtitiam aſſequi non ſperat; et quia durum eſt coram ſuſpecto Judice litigare, ideo dictus Orator humiliter ſupplicat S. V., quatenus prævia avocatione Cauſæ, et Cauſarum hujuſmodi, alteri Epiſcopo, vel Ordinario viciniori, vel ejus generali Vicario committere, et mandare dignetur, audien., etc.*

Adnotare non inutile hic erit, quod in Romana Curia, quum de Judicis recuſatione agatur, habetur recurſus ad Signaturam Sanctiſsimi, vel Juſtitiæ, ubi prævio maturiori examine quid agendum ſit decernitur; extra tamen Romanam Curiam, ſi adverſus aliquem Judicem proponenda ſit recuſatio, recurritur ad Provinciarum Præſides, qui & Legati appellantur, & ut Cauſidici ajunt, habent Signaturam in ventre, dummodo tamen illis ſubſint, ſin vero ad Sacram Conſultam, ſeu ad Signaturas.

Proponitur etiam hæc Commiſsio antequam Cauſa ſit inſtructa, & facillimè tunc Signatura Juſtitiæ alteri Cauſam committit; quum vero agitur de cauſa jam inſtructa, difficilius quippe reſcribere ſolet, ſi liquido de legitimis recuſationis cauſis non conſtet, & optima quidem ratione id Signaturam agere affirmamus, quia, ut ſcripſit *Marcheſanus* (1), alias aperiretur via non modo fraudibus, verum & litium immortalitati; & quando Judex informatus Cauſam expedire vellet, utique, ſi eo ſuſpecto allegato alter daretur, in infinitum lites protraherentur; quando vero cauſa dicatur inſtructa, dum de Reſcriptis avocatoriis verba faciemus, adnotare duximus.

Alia ſimilis commiſsio propter abſentiam, vel promotionem &c. quæ & ſubrogatoria dicitur.

Romana.

Beatiſſime Pater.

Pendente in gradu Appellationis Cauſa coram R. P. Franciot-

(1) *De Commiſſ. de adjunctis dandis cap. 1. n. 12.*

ciotto inter A. et D. dictus R. P. Franciottus non ita citò rediturus a' Curia ſe abſentavit, vel ad Cardinalatum, vel ad Epiſcopatum fuit a S. V. promotus; et quia dicto Oratori valdè intereſt Judicem habere, coram quo citius poſſit ad ſuæ Cauſæ expeditionem devenire; ideo humiliter ſupplicat S. V., quatenus prævia quacumque avocatione Cauſæ, et Cauſarum hujuſmodi, quatenus opus ſit, in locum dicti R. P. Franciotti abſentis (ſive ad Cardinalatum, vel ad Epiſcopatum promoti) alium Romanæ Curiæ Prælatum illi benè viſum, vel de conſenſu partium in ſtatu, et terminis, in quibus Cauſa reperitur, ac juxta formam aliarum commiſſionum in actis præſentatarum ſubrogare dignetur cum facultate citandi, et inhibendi etc.

De Commiſsionibus ſuper moratoriis dilationibus, alternativis, & ceſsione bonorum.

Commiſſio Ceſsionis Bonorum.

Nepeſina.

Beatiſſime Pater.

N. N. Sanctitatis V. Orator ob diverſa infortunia abſque propria culpa, et ob quamplurimas fidejuſſiones factas, et ſolutas redactus eſt ad ſummam inopiam; et quamvis omnia ſua bona creditoribus conſignaverit, et ipſe diligentiam omnem adhibuerit cæteris ſatiſfaciendi, vel illos concordandi, id tamen difficile fuit ob dictam inopiam; hinc ne vigore mandatorum, quæ forte creditores ſui in manibus habent, carceribus mancipetur, ibique vitam miſerrimè expleat cum maximo ſuo, ac familiæ damno, et cum nulla creditorum utilitate, quibus impoſſibile eſt dare quod non habet; ſtatuit, ut a præmiſſis ſe liberare poſſit, ad infelicem bonorum ceſſionem devenire; qua de re humillimè ſupplicat S. V., quatenus dignetur committere, et mandare Gubernatori Civitatis Narniæ, ut dictum Oratorem ad præfatum beneficium ceſſionis bonorum admittat ſervata forma motus proprii, et prout de jure, et non alias etc. admiſſum manuteneat etc. cum poteſtate citandi etc. in fine vero adjiciatur, *quoniam extra Curiam, et cum abſolutione a cenſuris, et per breve S. V. etc.*

Indubium eſt debitores, quum alieno gravati ære reperiantur, nè carceribus mancipentur, ad SSmum D. N. recurſum habere, qui ex ſua beneficentia nonnullas dilationes ad tempus vigore Commiſſionum, ſeù moratoriarum ſub diverſis modis, & formis, ſecundum perſonarum, temporum, ſeù negotiorum qualitatem concedere ſolet; eapropter Commiſſiones hujuſmodi tanquam gratioſæ in Signatura Sanctiſſimi, ſive Gratiæ proponi ſolent, ac in eis exprimi-

mitur, ut *committatur A. C., quod conſtito de conſenſu majoris partis Creditorum, tam in numero perſonarum, quam in quantitate debiti, petitam dilationem concedat, qua pendente oratorem in bonis, vel perſona moleſtari non poſſe mandet, & cæteros Creditores, concordiæ præfatæ ſtare renitentes, ad ipſam acceptandam juris, & facti remediis opportunis cogat, & compellat.*

Quum verò bonorum ceſſio a debitoribus obæratis petitur, tunc Commiſſio proponitur in Signatura Juſtitiæ, & non aliter ſignatur, niſi cum clauſula *ſervata forma Motus proprii Pii V.*, quo cautum fuit, ut ad prædictam Ceſſionem admiſſus infamiæ loco viride Biretum, ſive Pileum geſtare teneatur; ſi igitur dictum Pileum Commiſſionem Ceſſionis impetrans deferre noluerit, in Signatura Juſtitiæ inſtare non debet, neque ſignandam porrigere dictam Commiſſionem, quia ſi formam motus proprii non ſervat, citatur ab adverſario ad legitimè comparendum coram Judice, cui directa Commiſſio eſt; & ſi cum viridi pileo non comparet, Commiſſione non obſtante, mandata contra ipſum exequuntur, & ad cæteras pœnas, in dicto motu proprio contentas, proceditur; eapropter, ne quis deferre viride Pileum cogatur, Commiſſionem proponere in Signatura Gratiæ, ac in illa derogationem antedicti motus proprii de non deferendo pileum expoſtulare debet.

Et ex eo quia Commiſſio ceſſionis bonorum cum infamia ex delatione pilei viridis conjuncta eſt, Nobilibus, & cæteris honeſtis perſonis dari non ſolet, quia perſæpe eas non petunt; iis namque, quum nobilitate aliquid deferendum ſit, dilationibus, ſive moratoriis jam dictis, ex Principis indulgentia juxta ſtatus, & facti qualitatem, ſuccurritur, & maxime ſi filias habeant nubiles, quibus Patris infamia præjudicium illud irrogaret virum non inveniendi: diximus enim a Principe hujuſmodi dilationes expetendas eſſe, quia gratiam reſpiciunt, proindèque in facultate non habet Juſtitiæ Signatura illas concedere, nec ullo unquam pacto ab illa reſcribitur, niſi a Principe ipſo eidem peculiaris facultas demandetur.

Dubitatum aliquando fuit, an Commiſſio Ceſſionis bonorum ab Hebræis impetrari poſsit; quæ quidem dubitatio ab ea vulgari opinione ortum habuit, Judæos nempe, tanquam Chriſtiano nomini adverſantes, ab omnibus pivilegiis, à Jure indultis, arcendos eſſe, attamen *Marcheſanus* (1) humanitate ſumma rem omnem definivit, eo juris principio innixus, quod ſicut Judæi jure communi utuntur, & ligantur juxta ſenſum *leg. Judæi Roman. leg. nemo Judæorum Cod.*

(1) *Cap. 2. p. 2.*

Digitized by Google

Cod. de Judæis, ita quum eodem communi jure miſerabile ceſsionis beneficium omnibus indultum ſit, eiſdem denegatum cenſeri non debeat; alienum quippe ab humanitate eſt, ſi tanquam naturæ participes, ac proximi noſtri non reputentur, prout animadvertunt *Abbas in cap. Judæi n. 3. & Natta in ſuis Conſiliis* (1).

CAPUT IV.

De ordine Scripturæ, & informationis ante propoſitionem Cauſæ.

QUum in Romana Curia, quæ non pauca a Romanæ Reipublicæ judiciis adoptavit, laudabilis vigeat conſuetudo illa, ut diverſa in Cauſis agendis munia ſint Procuratoris & Advocati, proindèque diverſam pro litigantium defenſione cujuslibet ſcribendi rationem eſſe, nonnulli cenſeant, præfari hic meritò duximus, quantum nempe Procuratoris facultas, ſive munus, ab illo Advocatorum diſtet. Equidem Procuratores, vulgò Curiales appellati, inſtructores Judiciorum ſunt, itaut ad eos pertineat Commiſsiones componere, monitoria, & libellos, articulos, poſitiones, cæteraque acta judicialia conficere, proceſſu jam inſtructo, illum percurrere, & quatenus opus ſit *diſcurſum*, ut ait *De Luca eſſormare pro congreſſibus fieri ſolitis pro Cauſarum directione, ita inſtruendo Advocatos de illarum ſtatu, atque promovendo motiva etiam juris*. Indubium verò eſt, illos etiam ſcribere pro defenſione Cauſarum, & ſcripturas conficere, quæ dicuntur informationes facti, quæque profectò variis rationum, & jurium momentis refertæ ſunt; immo ex eo quod plurimum ſe extendunt in illa, quæ juris ſunt, damnabilem abuſum eſſe cenſuit laudatus *De Luca* (2), dum ita ait, *à partibus ingenii, quæ magis gratæ ſunt, allecti, ſeu abſtracti, ab inferioribus, minuſque gratis partibus, diligentiis, et accuratæ lecturæ proceſſus, et indagationis facti diſtrahi ſolent cum præjudicio Cauſarum; ideoque eorum præcipuæ partes eſſe debent in diligenti ſtudio proceſſus, atque indagatione facti brevi quidem, ſed accurata, et diligenti enarratione, excitando ſolum motiva, ut Advocati ſuppleant cum doctrinis, et rationibus*.

Attamen ſi rem, ut par eſt perpendamus, de hujuſmodi Procuratorum conſuetudine dolendum admodum non eſt, nam Advo-

---

(1) *Conſ. 20.*

(3) *Part. 2. Relat. Curiæ Diſc. 46. n. 99.*

vocati non in omnibus Cauſis ſcribunt, ſed tantummodo ab iiſdem Procuratoribus requiſiti, quum vel cauſa magni momenti ſit, vel difficultatibus involuta, aut a Judice in decidendo dubium aliquod in puncto juris excitetur, ſive aliqua præjudicialis proviſio ab eodem capta fuerit; extra enim hos caſus quotidie ſcribunt Procuratores in Cauſis, & clientum inſtantias, ac actiones fovent, non modo ex facti circumſtantiis, verum ex Jure, quod a legum diſpoſitione, deciſionum Rotæ, & Doctorum auctoritate deducunt. Judiciales namque controverſiæ non reſpiciunt tantummodo factum, ſed legales etiam articulos, qui ex ipſomet facto eliciuntur; itaut quando a Judice ferenda ſententia eſt, facti circumſtantiis plenè rimatis, de jure an & cui competat, vel nè cognitio inſtituitur; his poſitis ecquis ſanæ mentis aſſerat, à Procuratoribus in ſcripturis factum ſimplicitèr eſſe exponendum, illoſque à Juris diſpoſitionibus abſtinendos eſſe, quum defenſionis calor id ſua natura exigat, ut quæcumque rationum, & jurium momenta, ad victoriam reportandam in medium proferantur.

Nec ratio illa abſtractionis à recta proceſſuum compilatione, quæ ab eodem *De Luca* proponitur, damnare tanquam abuſum poteſt conſuetudinem illam Procuratorum; nam in comperto ſatis eſt, Procuratores peritiſſimis Juvenibus abundare, quorum opera omnes utuntur in conficiendis ſpoliis, ac ſummariis proceſſuum, & Jurium productorum; quæ quidem ſpolia, & ſummaria pro certo eſt præ oculis ab eiſdem ſemper haberi; demum ita res hæc componenda venit, ut Procuratorum liberum ſit arbitrium etiam in jure ſcribendi, nam aliquando ita ſcribunt, ut Advocati nihil novi eorumdem ſcripturis adjicere poſſint.

Advocatorum vero munus, dum in Cauſis ſcribunt, eſt facti ſerie jam prò certo habita, vel ſin melius judicaverint, illa brevitèr recenſita, Doctorum auctoritatibus, & legùm diſpoſitionibus comprobare omnia rationum momenta à Procuratore excitata, nè ea derelinquendo, Judex opinetur, nullius fuiſſe ponderis; & deindè ab ipſomet ſcripturarum ſummario, à Procuratore ſibi oblato, alia deducere, ſi quæ ſint, motiva non excitata, & rerum judicatarum auctoritate, vel legum, ac Doctorum interpretatione muniri; quibus omnibus peractis, adverſarii objectiones ab iiſdem ſolvendæ ſunt. Pro certo tamen habetur, quod in Curia Procuratores Advocatorum opera utuntur, dum, nempe, agitur de puncto juris ambiguo, & diſputabili., & quando Procuratores ipſi agnoſcunt ſuas vires non ſufficere. Hinc facile unuſquiſque percipiet, in ſcribendo modicam eſſe differentiam inter Advocatos, & Procuratores, &

pe-

pene nullam inter eos, qui de *Collegio* appellantur, & Patroni Cauſarum Sacri Palatii Apoſtolici dicuntur.

His omnibus præmiſſis ad ornatum potius, quam ad rei opportunitatem, quum perrarò Advocati ſcribant in Signatura Juſtitiæ, ex eo quia quæſtiones illæ, vel circa factum verſantur, vel circa Juris articulos undique notos, ipſius facti circumſtantiis applicandos; & ſi aliquando illi ad ſcribendum ſint rogati, id à Procuratoribus potiſſimum agitur ad conciliandam Cauſæ, & controverſiæ, exiſtimationem. Ad rem igitur ut veniamus, Cauſarum Patroni, ſive Procuratores ante omnia Summarium conficere debent, hoc eſt Inſtrumenta, & cætera documenta, ut in Curia appellantur, jam in actis producta, in ordinem redigere, illorumque ſummam, quæ ad Cauſam pertineat, numeribus, vel litteris diſtinctam tranſcribere; quo peracto, illumque præ manibus habendo, defenſionis ſcriptura eſt efformanda; & perperam agitur ab aliquibus, qui poſt peractam ſcripturam Summaria conficiunt, nullo ſane pacto optimæ defenſionis ſiſtema efformari poteſt, ſi documentis, unde defenſio elicienda eſt, quidam ordo primo loco non detur, fundamenta enim defenſionis ſunt inſtrumenta, quæ ſi prius non conſtruantur, ædificium quomodo recte elevari poſſit, neſcimus.

In cujus quidem ſummarii fronte Commiſſio primum omnium, juxta qualitatem Cauſæ confecta, ac tranſmiſſa parti adverſæ, deſcribenda eſt, deinde verò copia ſententiæ, ſive decreti a quo reclamatur; & adeo neceſſarium ordinem hunc Summarii conficiendi exiſtimavit Eminentiſſimus *Scotti*, ut quodam peculiari *edicto ſub die ſeptima Auguſti anni* 1721. pro obſervantia alterius *Edicti* ab eodemmet evulgati, *ſub die* 12. *Januarii* 1719. ſtatuit, a Procuratoribus omninò in primæ informationis ſummario deſcribendum eſſe decretum, à quo appellatur, eoſdemque tranſgreſſionis pœnas non evaſuros, decretum ſive Sententiam exhibendo in manibus Cauſæ Ponentis, aut in Reſponſione, quæ poſt primam Informationem in Scriptis fieri ſolet; & ulterius nullam rationem habendam eſſe ejuſdem Decreti, ſive Sententiæ contra formam ſuperius expreſſam exhibitæ; pæna vero Procuratorum ea eſt, ut qui in Cauſa ſcripſerit teneatur de proprio omnes expenſas reficere, arbitrio Eminentiſſimi Præfecti applicandas. Anno deinde 1726. hujuſmodi ſanctione renovata, ut certus haberetur debitor rerum omnium, quæ tam in informatione, quam in ſummariis exponuntur, decrevit, ut tam ſummarii, quam Informationis exemplaria, quæ Eminentiſſimo Præfecto, ſive, ut hodie in uſu eſt, R. P. D. Auditori tradun-

duntur, a Procuratoribus ſubſcriberentur proprio eorum charactere, ſub pœna ſcutorum quatuor, aliiſque arbitrariis.

Cardinalis *Salviatus* etiam ſub *num.* v. *Edicti anni* 1731. præſcripſit, ut in Summariis Commiſſiones de verbo ad verbum collationatæ ſub numero primo, & in ſubſequenti numero Decretum, pro quo petitur Commiſſio, per extenſum adnotari debeant, alias Cauſæ illæ non proponentur, & Procuratores ita deficientes dicta pæna, aliiſque arbitrio ſuo reſervatis mulctarentur. Noviſſimè verò in *capite XX. Decretorum anni* 1742. præſcriptum legitur, quod Cauſidici, omnes decretorum, ſive ſententiarum, a quibus reclamatur, copias in Summariis tranſcribentes, id potiſſimum obſervare debeant, ut nempe in eis ſumma fidelitate, & claritate adnotetur dies, Menſis, & Annus, in quibus ſingula acta confecta fuerunt; nam ſi aliter fiat, abſque ulla ſpe remiſſionis ſubijciuntur conſuetæ pœnæ ſcutorum quatuor, Congregationi Beati Ivonis applicandæ; idipſum ſervandum ſub eadem pæna ſtatuitur quoad Inſtrumenta, Teſtium depoſitiones, ac cætera documenta, quæ ad Cauſæ opportunitatem in dictis Summariis collocantur.

Scriptura verò, ſive, ut vulgo appellatur, Informatio in ſcriptis, præmiſſa prius notitia Civitatis, in qua, ſive in ejus Diæceſi acta primo loco fuit Cauſa, ac qualitatis ejuſdem, *Fideicommiſſi* nempe, *Donationis*, *Beneficii* &c. necnon ſolito honorificentiæ titulo, ideſt *Reverende Pater*, conficitur, concinnè factum exponendo, illiuſque ſubſtantiales circumſtantias, quæ ad petitionis juſtitiam conducunt, omiſſis ſolemnibus illis præfationibus, quæ alibi in uſu ſunt, & verè damnabiles exiſtunt, & eadem laudabili brevitate Inſtantiæ Juſtitiam fovere vel legibus, vel ſtatutis, vel rerum judicatarum, & Doctorum auctoritate; poſtremo deinde loco, ſi quæ ſint dubia, clarius ea ſolvenda ſunt, ut de rei veritate ſatis conſtet, nullaque titubatio apud eos, qui ſuffragia ferunt, remaneat. Hæc namque omnia Scripturæ ordinem, ac methodum reſpiciunt, ſupereſt, ut de vitiis ſcribendi diſſeramus, iis enim cognitis, nulli dubium eſt recte ſcribendi facultatem adipiſci, quæ quidem felici Cauſarum eventui haud parum conducit.

Inter ſcribendi vitia meritò recenſemus verboſitatem illam nimiam, qua in exordio Scripturæ utuntur quamplurimi ad oſtendendam eruditionis peritiam, dum nempe de antiquitate Civitatis, ſi Cauſa de Jure metropolitico agatur, aut de præſtantia alicujus familiæ, ſi de Fideicommiſſo, fuſius diſſerere ſtudent; oportet enim in genere ſcribendi Judiciali exordium ſumere a facti ſpecie, nihilque ſuperfluum in medium proferre, quod eò, vel magis nobis

cor-

cordi erit, ſi perpendamus, non unam eſſe Cauſam, de qua ſuffragium ferre debent Signaturæ Judices, nec multum temporis illis elargiri pro ſtudio Cauſarum; ea propter inutiles illæ de rebus, Cauſæ articulum non tangentibus, præfationes id agunt, ut faſtidientes Judices aut reliquum Scripturæ perlegere ac ponderare juremerito abhorreant, aut omnium Cauſarum accuratæ cognitioni ſatiſfacere non poſſint.

Æque ac verboſitas vitium eſt prolixitas in reliquo Scripturæ, ea enim majori faſtidio Judices afficit, & aliquando controverſiæ ſummam ita confuſam reddit, ut defenſionis argumenta enerventur; & è prolixitate, meritò ait Cardinalis *De Luca* (1), præjudicium ſummum Cauſis ipſis oritur, ex eo quia Judices cum vident Scripturas nimium prolixas, facilius ab earumdem ſtudio ſe abſtinent, aut ſuſpicantur prolixitate illa uti Procuratores ad Cauſæ turbiditatem; qua de re damnabilis conſuetudo illa prolixius ſcribendi ſemper habenda eſt, & nihil melius optimam defenſionem Cauſæ conſtituit, quam concinnè, aptè, & ornatè ſcribere; & adeo in Romana Curia prolixitas damnatur, ut etiam pænali ſanctione vetita ſit; & revera in *capite XXI. Decretorum Collegii Signaturæ anni* 1742. ita præſcriptum legitur: *Caveant ſollicitè iidem Procuratores ne in ſcribendo ab antiqua, & laudabili Romanæ Curiæ brevitate deflectentes, ſuperflua, nimiumque litigantibus diſpendioſa prolixitate utantur, ſi quis verò moderatæ menſuræ limites exceſſerit, condignè Tribunalis arbitrio puniatur*.

Intelligi tamen debent hæc omnia, de prolixitate dicta, ut tantum ab inutilibus abſtineamus, neve iis in rebus evagemur, quæ extra propoſitum ſunt; nam aliquando argumentorum multitudo id exigit, ut brevitate non utamur; vel facti relevantes circumſtantiæ plures, ac varios nobis præparant Juris articulos, de quibus juremerito verba facienda ſunt; tunc enim prolixitas culpanda non eſt, hinc *Venuſinus Poeta* ajebat, res illas prolixas non dici, a quibus demere aliquid quiſque non poſſit; & hac in re animadvertendum eſt, ne nimiæ brevitatis ſtudio in aliud obſcuritatis, nempe, vitium incurramus, omnia quippe extrema, a Philoſophis didicimus, vitioſa eſſe, virtutemque in medio conſiſtere.

Diximus ſupra, ab inutilibus abſtinendum in ſcribendo eſſe, & proindè hic videndum duximus quid inutile prorſus ſit; equidem primo loco recenſemus abuſum illum jura allegandi iis in rebus, & principiis, quæ notoria ſunt, nullamque partis contradictionem reci-

(1) *Cap. 3. dello Stile legale.*

Digitized by Google

cipiunt, ut, nempe, *poſſeſſori anteriori danda ſit manutentio*, quod *litteræ Apoſtolicæ juſtificatæ ſint exequendæ*, *ſub nomine filiorum veniunt nepotes*, aliaque ejuſcemodi lippis, ac tonſoribus nota; quæ quidem allegationes inutiles prorſus ſunt, paginaſque his, & ſimilibus implere ſupervacaneum profectò reputatur; immo laudatus *De Luca* fatuos appellat eos, qui auctoritates congerere ſtudent ad comprobandas antedictas aſſertiones, quæ cum Judicibus ſatis notæ ſint, injuria quædam iiſdem irrogatur, fermè ac de illis edocti non eſſent.

Et quamvis *Conſtantinus* (1) oſtendere conetur, Advocatos in omni, & quocumque eorum dicto, debere allegare legum auctoritates, eo præſertim axiomate procedendo, quod Doctori aliquid dicenti, ac ſcribenti, ſi dictum ſuum non probet lege, vel ratione, non ſit credendum, & turpe eſſe aliquid ſine lege dicere; attamen unuſquiſque optimè noſcit illum ſequutum hac in re fuiſſe morem vulgarium Pragmaticorum, qui, ut legulei ab omnibus exiſtimarentur, paginas impleverunt aſſiduis citationibus Auctorum, itaut illæ magnam, ac præcipuam operum partem, ut hodie paſſim obſervamus, abſorbeant, & ſummam ſibi laudem concitare crediderunt in conſarcinatione legum, deciſionum, & auctoritatum; quod perniciosum, ita dicam, inſtitutum hac noſtra tempeſtate, in qua litterarum & ſcientiarum culturæ fauſtiſſimus dies illuxit, apud optimæ notæ Auctores in uſu eſſe deſiit, & proinde eorum veſtigia ſequenda eſſe, pro jure certo habetur.

Inutilem etiam reputamus laborem illum aſſumendi, nempè, diſputationem in puncto juris alicujus legalis articuli, qui nodoſas retroactis temporibus involvebat quæſtiones, itaut ad dignoſcendum quænam opinio verior eſſet, vel magis communis, aut rationi congrua, majoribus noſtris diſputandi onus incumbebat, & numericas idcircò auctorum claſſes, ac litanias, ut ait *De Luca*, retexere conabantur. Quæ quidem quæſtiones quum compoſitæ jam reperiantur, vel rerum judicatarum auctoritate, vel ſummorum, ac periti ſſimorum hominum conſultationibus, dum una ex opinionibus pro regula firmiter conſtituta eſt, altera verò pro limitatione, nulla proinde ſuppetit neceſſitas in caſu occurrenti, diſputationem, ut diximus, aſſumendi in puncto juris; & tamen quotidie experimur Procuratores aliquos, quando caſus ita ferat, magnum apparatum conſtituere in exponendo ſimiles quæſtiones, & enarrando varias opiniones, limitationes, & ampliationes; exacta deinde dicta inutili

(1) *Ad Statuta Urbis Ann. 63. art. 2. n. 207.*

enarratione deſcendunt illi ad applicationem regulæ, limitationis, vel ampliationis, quod quidem ab initio agendum eſſet.

Et de re undique dubia etiamſi agatur, litium defenſioni haud ſervire certum eſt cacoethem illam cumulandi innumeras auctoritates, vel propria, vel aliena lexica, ſive repertoria compilando; nam, ut recte *De Luca* in pluries laudato opere animadvertit, Cauſarum deciſio pendet à qualitate concluſionis, quæ in medium aſſertur, & à qualitate auctoritatum, quibus ea firmatur; exiſtentibus enim recentioribus Deciſionibus Rotæ, à quibus abundè, & data opera, concluſio illa firmata forſan eſt, & quia, ut moris eſt in eiſdem allegantur quamplurimæ auctoritates, eas tranſcribere inutile omninò eſſe credimus, quum illæ commodè videri poſsint in eiſdem Deciſionibus. E' dicta conſuetudine tranſcribendi cumulum auctoritatum paſsim in qualibet aſſertione illud præjudicium oritur, ut fidem Collectorum ſequendo, aut proprii Repertorii, illarum pars magna extra propoſitum ſint; & utinam aliquando ab eis, tanquam penitus contrariis, arma defenſionis non ſumeret adverſarius, quod facillimè evenire poteſt, ex eo quod Doctores juxta recentem ſtilum perſæpe loquuntur in forma dubitandi, itaut exinde contrarium concludant; eapropter opus eſt, ut priuſquam auctoritates tranſcribantur, illæ ſummo judicio ponderentur, & accuratè in Auctorum libris recognoſcantur; ita enim ſi agatur, facile experietur quiſque, nec decem inter centum auctoritates ad Cauſæ opportunitatem aptas eſſe.

Tranſeamus modo ad conſuetudinem illam, qua delectantur aliqui, quamvis pauci, in Romana Curia allegandi, nempe, in Scripturis integros verſus Poetarum, ſententias Theologorum, & alia ejuſmodi; & hac in re diſcriminatim procedendum eſt, ut ſi cauſæ neceſſitas ita exigat, illiuſque deciſio pendeat à rebus tangentibus dictas facultates, ſimiles allegationes facere fruſtraneum profectò non erit; at ſi ad ornatum tantummodo fiant, nemo ſanæ mentis id rectè fieri exiſtimabit, dum prolixiorem Scripturam reddunt, & defenſionis argumentum interrumpunt; nec omninò relevat aſſerere, ad Judices delectandum id facere quoſdam conſueviſſe, nam in Cauſis defendendis non delectare, ſed Cauſæ prodeſſe, animumque judicis movere debemus.

Nihil hic dicimus de contumeliis, ſivè conviciis, quibus aliquando in Scripturis Defenſores contrarii afficiuntur, nam unuſquiſque ſat intelligit, id nihil utilitatis cauſis ipſis afferre, immò parum honeſtos cenſendos eſſe illos, qui talibus utuntur; hinc ille, qui, ut par eſt, muneri ſuo ſatisfacere in ſcribendo velit, ſuamque exi-

exiſtimationem tueri, ab his, & ſimilibus rebus abſtinere ſe omninò debet, ſemperque obſequium omne adverſario profiteri, ex quo juribus, non jurgiis, legibus, non libellis famoſis, debent Cauſæ defendi ab Advocatis, & Procuratoribus; ſecus infamiæ notam eos incurrere certum eſt ex *leg. Quiſquis Cod. de poſtulando*, quam refert *Perezius* (1), & poſt eum *Xammarus* (2). Propterea Summus Pontifex *Benedictus XII.* in ſua *Conſtitutione ſecunda* (3) expreſsè ſtatuit, nè ultra quod Cauſæ expoſcit utilitas, in licentiam conviciandi, & maledicendi temeritatem, quiſque prorumpat; & alia de cauſa etiam comprobat *Xammarrus*, Advocatos, & Procuratores eſſe abſtinendos a dicta ratione ſcribendi, nam ſi petulantia, jurgiis, ac contumeliis Cauſas defendant, uti procaces, temerarii, ac impudentes in loquendo, & ſcribendo, audiunt perſæpe, ait ille, quod non volunt; qua in re nec ſpernenda eſt animadverſio illa *Urſajæ* (4), ſequentibus verbis expreſſa: *quod quando minuti Curiales vel excedunt modeſtiæ fines tam in informationibus in voce, quam in ſcriptis, vel factum ſubdolè alterant, ſeverè contra ipſos, & meritò, proceditur in omnibus Urbis Tribunalibus, à quibus aliquando demandantur illorum capturæ, una cum ſuſpenſione ab exercitio ſcribendi, ut practicavit S. Rota die* 3. *Decembris* 1696., *reſcribendo, N. N. ſuſpendatur ab exercitio ſcribendi, & contra N.N. relaxetur mandatum de capiendo; aliquando verò puniuntur ſola ſuſpenſione ſcribendi ad beneplacitum Tribunalis, ut practicavit Signatura Juſtitiæ die* 18. *Septembris* 1704. *reſcribendo, ſi quid exequendum, & amplius, ſuſpenſo N. N. à ſcribendo ad beneplacitum Tribunalis; aliquando demum moneri ſolent vel ſimplicitèr, vel acritèr, juxta facti qualitates*.

Summam inutilium rerum, quibus omninò cavendum in ſcribendo eſt, uſque adhuc attigimus, reliquum eſt, ut de utilibus ſermonem inſtituamus. Et primum utilitatem ſummam affert Cauſæ defenſioni, ſi ſcribatur ſtilo mediocri, & claro, itaut mens Judicis non defatigetur tortuoſis illis periodis, ac verborum ornatibus; eapropter, ab Emõ *De Luca* edocemur, in ſcribendo à Procuratoribus id præ oculis habendum, ne verbis obſoletis utantur, immò juxta fori receptam conſuetudinem ſcribere ſtudeant; hic tamen, nè quis credat, nos delectari illo corrupto, & incompto forenſi ſtilo, animadvertimus, operam omnem adhibendam eſſe, ut ſtilus ſcribendi clarus ſit, eodemque tempore ornatus, & cultus; tantum-

 mo-

(1) *Ad ordinationes Regni Caſtellæ to.* 1. *lib.* 2. *tit.* 19. *leg.* 2.

(2) *P.* 2. *qu.* 1. *n.* 19. *de Officio Advocatorum.*

(3) §. 1. *Bullar. nov. t.* 1.

(4) *Lib.* 2. *tit.* 10. *n.* 113. *Inſtit. Crimin.*

modo culturam illam, & elegantiam non eſſe admittendam, quam cætera ſcribendi genera ſuapte natura exigunt, & Oratoriæ artis regulæ præſcribunt; hinc propriæ facultatis voces, ac notiones adhibendas eſſe adfirmamus, & eas potiſsimum, quas in foro haud novas eſſe comperimus; ita enim Judicis intellectus, ait laudatus *De Luca*, cujus præcipua operatio eſt in rerum intelligentia, non alienatur in cognitione fraſium, aut verborum obſoletorum.

Utilis & etiam eſt defenſioni expoſitio omnium argumentorum, quamvis debilium; experientia ſiquidem docet, ex eo quia ingeniorum varia indoles eſt, & non omnibus omnia ſatisfaciunt, aliquando Judicibus in ſuffragiis ferendis arridere magis argumenta, quæ nos debiliora, ac infirma exiſtimamus, itaut illa ab eiſdem validiora cenſeantur; meritò igitur ſæpius laudatus *De Luca* reprehendit defenſores illos, qui eo magis ſcribendo in Tribunalibus Collegiatis, prout eſt Signatura, quum habeant plura argumenta, cæteris relictis, ad ea, quæ meliora ſibi videntur, omnino ſe convertunt, & ita ſtudent regulam judicio, & guſtui aliorum præſcribere, quam ſibi ipſis indicunt. Methodum verò in argumentis diſponendis eam eſſe oportet, ut ante omnia initium ſumant defenſores a validioribus, è quibus optimum Cauſæ judicium prima fronte efformare incipiant judices; alias ex debilibus, vel fallacibus motivis ſiniſtram efformando opinionem, negligent meliora, ac ſolidiora fundamenta, quæ ſubjiciantur; attamen quando agitur cum Judicibus, ſummi ingenii acumine donatis, ac in legali facultate ita peritis, ut juſto ſecernere iniquum optimè calleant, præſtò equidem illis eſt cognitio validioris argumenti, & magis apti Cauſarum reſolutioni.

Neſcimus verò quomodo *Conſtantinus* (1) aſſerat, utile eſſe aliquando, in ſcribendo uti verſutiis, cum ſubtilitatibus procedere, & decipere, dummodo falſa non allegantur; hoc enim conſiſtere nullo pacto poteſt, quum ſi à falſo abſtinendum ſit, nulla ſuppetit cuique decipiendi facultas; nec decipere dicitur, ſi verum, ut par eſt, exprimatur, & jura veris facti circumſtantiis adplicentur. In ſcribendo idcirco honeſtatem, veritatis miniſtram, amare ſummopere debemus, nec juvat quidquam in defenſione ars decipiendi, quum facillime fraudibus detegendis aditum præbeat facultas proponendi denuo Cauſam, prout eſt in Signatura; & quamvis aliqui id fieri poſſe exiſtimant ad eum dumtaxat finem, differendi, nempe, Cauſæ reſolutionem, ex eo quia, vel aliqua documenta deficiant, vel præ manibus promptæ, ac paratæ non habeantur defenſio-

(1) *Ad Statuta Urb. Annot. 63. Art. 2. n. 217. de Salar. Advoc.*

Digitized by Google

ſiones; illi tamen non animadvertunt præjudicia, quæ clientibus irrogantur in expenſis foliorum informationis Defenſoribus ſolvendis, & in aliis, quæ pro ſcriptura typis edenda erogantur, quum in hujuſmodi contingentiis poſſent, vel ab ipſiſmet Judicibus dilationem expoſtulare, vel ab adverſario, quod faciliùs ex humanitate quadam viciſſim admittitur.

Haud alienum hic eſſe putamus animadvertere, an expediat, in prima defenſionis ſcriptura objectionibus reponere, eaſque elidere, priuſquam proponantur; & primum opinionum varietas nobis occurrit; aliqui enim laudant ſtilum illum difficultates ſolvendi prævifas tantum, non autem deductas, nè Judicis animum occupent, quum reſponſiones, quæ ſtatim ac ab adverſario propoſitis difficultatibus redduntur, eamdem vim, quam illæ ab initio exaratæ, non habeant; nonnulli verò hujuſmodi ſtilum non probant, ex eo potiſſimum, quod facile ſit, ab adverſario jam dictas difficultates non promoveri, vel reſponſiones non eſſe ea claritate donatas, qua præviſæ objectiones forſan promoveantur; idcircò, ajunt illi, extemporaneas reſponſiones magis deſervire objectorum confirmationi. *De Luca* tamen controverſiam omnem dirimit, dum ait, caſus diſtinguendos eſſe, illorumque circumſtantias, ſi nempe certum ſit ab adverſario eas proponi, tunc reſponſiones in prima ſcriptura efformare non inutile eſſe, ſin vero dubitetur, ab iiſdem reſponſionibus meritò abſtinendum; & eo vel magis arridet ſententia illa non excitandi difficultates, iiſque reſponſum reddendi quocumque modo res ſit, nam ſicut ex laudabili Curiæ ſtilo defenſionis ſcripturæ ad invicem communicantur per aliquot dies ante propoſitionem, ut deindè facultas unicuique ſit Reſponſionis ſcripturas conficiendi, ita conſulitur ſolutioni dubiorum, ac difficultatum, quæ forſan promoveantur.

Ad Tironum uſum fas erit hic etiam adnotare, quonam ordine auctoritates collocandæ ſint; & diſtinguendæ proinde ſunt variæ illarum claſſes, itaut, ſi legalis diſpoſitionis textus exiſtat primo loco adnotetur, deinde Gloſſa, priſci Gloſſatores, & Repetentes, Tractatuum Auctores, ſive Quæſtionantes dicti, Conſulentes, & demum Deciſiones Rotæ, ſive aliorum Tribunalium, inter omnes ſervata ſemper antiquitatis prærogativa, deſcribantur (1). Quæ ſanè auctoritates debent eſſe in terminis, ut vulgo dicitur, nam illi, qui allegant Auctoritates, & Doctores, per regulas generales loquentes, habentur pro imperitis, & ad illas recurſum habe-

(1) *De Luca part. 3. Dello ſtile Legale cap.* VII. *n.* 11.

bere, eſt refugium miſerorum, ait *Conſtantinus ad Statuta Urbis* (1); hinc ipſemet aſſerit, Doctoris dictum in terminis, ſi contradictorem non habeat, dici caſum legis; limitat tamen ille, has nempe doctrinas prævalere, quando deeſt legis, gloſæ, vel ſtatuti, ac naturalis rationis diſpoſitio.

De ſcripturæ tandem epilogo nonnulla eſſent quippe adnotanda, ſi imperitorum turbam eſſe eam, quæ ſpecioſis epilogis utatur in ſcripturis, unuſquiſque apertiſſimè non agnoſceret à methodo ſcribendi, quam peritiſſimi Advocati, & Cauſidici ſervant, qui omninò ab hiſce rebus abhorrent, & tantummodo aliquando renovant ſupplicabundi petitionis inſtantiam, finemque ſcripturæ imponunt cum particula, *Quare &c.*, quæ ita intelligenda venit, *quare ſupplicamus pro favorabili deciſione*; & deinde ſequitur ſubſcriptio per nomen, & cognomen procuratoris, ſi ipſe ſolus ſcripturam exaravit, ſin minus etiam Advocati, qui in jure ſcripſit. Hæc namque ſubſcriptio jure fit, ut dignoſcantur litigantium deſenſores, quorum famæ integritas, & incorrupti mores majorem vim addunt defenſioni, ex eo potiſſimum, quod judices eorum dictis ſummam adhibent fidem; & non immeritò recenſenda hic eſt comparatio illa, qua utitur *De Luca*, viatoris, nempe, qui eo magis currit, dum certam pacati, ac inſtructi itineris præhabeat notitiam, quam ſi ejus animo inſederit ſuſpicio laqueorum, fovearum, vel fraudum. Quam quidem ſubſcriptionem perneceſſe adhibendam eſſe ſtatuit Emus *Scotti* quadam *notificatione*, typis tradita ſub *die 3. Junii 1726.*, ut ſuperius, dum de Summariis egimus, dictum eſt; Cardinalis verò *Salviatus* ſuo *Edicto anni 1731.* id etiam juſſit, ut quælibet copia Scripturarum, quæ Emo Præfecto, vel D. Auditori diſtribuuntur, ſit proprio charactere Procuratoris in Cauſa comparentis ſubſcripta, vel ab ejus ſtudii ſollicitatore de mandato, prò quo principalis ſemper teneatur in caſibus expreſſis, in quibus ſolvenda venit pœna ſcutorum quatuor; ratio vero ita decernendi ea redditur, *ut certa in poſterum habeatur ſcientia illorum, qui forſan a moderamine, & honeſtate ſcribendi, vel a ſummariorum legalitate deficiunt*: & ſi Procuratores id non adimpleverint, Cauſas, pro quibus inſtabunt, non proponendas, & contravenientes ut ſupra ſolita pœna plectendos eſſe, poſtremo ſancivit.

Antiquitus ſcripturæ, & ſummarii exemplaria numero tredecim ab Amanuenſibus fiebant; at procedente tempore invaluit, ut illa, quæ Collegiatis Tribunalibus deſervirent, prout eſt Signatura, ty-

[1] *Annot. 63. art. 2. n. 241.*

typis ederentur; quod optima ratione factum eſt, quia præſertim à ſuffragia ferentibus facilius leguntur, ac parvo temporis intervallo ab illorum lectura expediuntur, immò, & impenſa minor eſt illa, quæ mercedis ratione Amanuenſibus ſolvebatur. Eorumdem tamen exemplarium editionem in alia fieri typographia a Summis Pontificibus vetitum fuit, quam in illa, quæ Cameralis appellatur; & quamvis conſuetudo jam dicta typis mandandi exemplaria ſuperius expreſſa invaluerit, attamen cui vires, & facultates non ſuppetant, non prohibetur, eas manuſcriptas circumferre, ac diſtribuere, quod tamen rarò evenit.

Communicatis, ut ſuo loco diximus, ſcripturis, & ſummariis, reſponſiones viciſſim conficiendæ ſunt, & in illis breviter ad difficultates, objectioneſque ſubmovendas, reſtringendum eſt, ac citius illas exarare debent Cauſidici, ut tempore habili diſtribuantur Signaturæ Votantibus, in die nempe præcedente Jovis diem, in qua plena Signatura habetur; & ſi alia validiora habeantur documenta, aliud Summarium conficiendum eſt, additionale dictum, illudque annexum ſcripturæ reſponſionis diſtribuitur Votantibus Signaturæ, parti verò non communicatur. In hac autem reſponſionis ſcriptura, quæ aliquando conficitur poſt peractam verbalem informationem, ut occurratur Votantium difficultatibus, in actu ejuſdem Informationis forſan propoſitis, facti ſeries non eſt repetenda, prout nec recenſenda ſunt cætera argumenta, & jura deducta, ſed tantummodo danda eſt opera, ut ſtrictius objectiones adverſarii ſubmoveantur, & Judicis animus de juſtitia, ac rei veritate informetur, ne illis ullam fidem præſtet.

Sequuta jam ſcripturæ defenſionis diſtributione, ſequenti die verbalis fit Informatio ſigillatim omnibus ſuffragia ferentibus, & primo loco R.P.D.Ponenti; ille namque præ cæteris, oportet, ut propitius cauſæ ſit, quum in plena Signatura primus inter omnes controverſiæ ſtatum, & jura refert; deinde verò informandi ſunt cæteri Votantes, quamvis perperam aliqui Cauſidici agant informando dumtaxat paucos ex dictis Votantibus, & eos præſertim, quos, vulgò dicunt, habere alios Votantes adhærentes; id enim præjudicat integritati, & ſcientiæ dictorum Votantium, qui non informantur, & quodammodo injuria quædam iiſdem irrogatur; immò accidit perſæpe, ut Cauſidici pro certo habeant, aliorum ſuffragiis illos hærere, & deinde in congreſſu plenæ Signaturæ in contrariam iviſſe ſententiam, præter ſpem comperiant.

Quomodo namque fit Informatio, hic videamus; & primum informatio hæc, quæ in camera, ut dicitur, fit cujuſdam Prælati Vo-

Votantis, non eſt quippe de illis contentioſis, quæ coram Judicibus A. C. quotidie fiunt utraque parte informante; familiari idcirco ſermone alloquendum eſt, & controverſiæ ſtatu expoſito, jura inſinuanda ſunt, donec Prælatus, ſuffragium laturus, difficultates, quas habet, exponat; tunc enim eis occurri debet, proprias, ac viriles exponendo rationes, itaut ab illius animo penitus repellantur. Optima hinc ratione fit, ut alibi diximus, ſi poſt hanc informationem reſponſionis ſcriptura conficiatur, quum ſenſu judicis audito, facile eſt, quando in promptu parata reſponſio non habeatur, maturo conſilio in dicta reſponſionis ſcriptura ea exponere argumenta, quæ Votantem a priori ſententia dimovere poſſunt. Et hæc quidem dicta ſufficiant quoad ordinem ſcripturæ, & informationis, ſervandum in prima Cauſæ propoſitione; at ſi denuò in eadem Signatura proponatur, quando nempe, ut ſuo loco dictum eſt, plenæ Signaturæ reſcripto adjecta non ſit clauſula *& amplius*, diverſimodè agendum eſt, quod & inferius adnotare duximus.

In altera ejuſdem Cauſæ propoſitione operam omnem navare oportet, ut aliquid novi Votantibus exponatur, in priori propoſitione non deductum, tam circa factum, illiuſque circumſtantias, quam circa jus; nam indubium eſt, quod ſi Cauſa reproponatur abſque eo quod melius facti circumſtantiæ exponantur, vel quid novi in medium quis adferat, pro certo a Signatura reſcribitur, *in deciſis*; hinc aliqui bilem, & ſtomachum movent, dum abſque novis juribus Cauſam in Signatura reproponere ſtudent, hoc enim eſt aquam cribro haurire. Nos autem haud inficiamur, aliquando abſque rei novitate à priori reſolutione Tribunal Signaturæ receſsiſſe, attamen id ex eo evenit, quod facti circumſtantiæ in priori Cauſæ propoſitione clarius expreſſæ non fuerunt, ideoque nec à Votantibus ſatis perpenſæ.

Reliquum eſt, ut, quoad ſuffragia ferenda, pro hujuſce Capitis coronide aliquid adnotemus; hodiernus enim ſtilus ita ſe habet, ut in die Sabbati, & Dominico, ac etiam in die Lunæ in ſtudio cujuslibet Votantis interſint quamplurimi juvenes legalibus diſciplinis addicti pro praxi Signaturæ addiſcenda, quibus Adjutor ſtudiorum Domini Votantis Cauſarum ſcripturas diſtribuit, quæ in proxima plena Signatura proponuntur; & quilibet ipſorum, juribus, ac facti ſpeciebus perpenſis, reſtrictum facere debet, propriumque ſenſum aperire. Hujuſmodi exercitium juvat plurimum non modo ipſis juvenibus, verum etiam eidemet Prælato; illi namque ita periti redduntur in cognitione, ſeu intelligentia reſcriptorum Signaturæ, quæ partem occupat maximam praxis Romanæ Curiæ; Præla-

latus vero ſimiles reſtrictus obſervando à majori ſe eximit labore, perlegendi nempe integram ſcripturam, & percurrendi omnia documenta in ſummario deſcripta. Ne autem favoris ſuſpicio aliqua in dicto reſtrictu faciendo oriatur, quoad ſtudiorum Adjutores à Clemente XII. cautum fuit (1), non poſſe eos patrocinium ſuſcipere Cauſarum coram Judicibus, quibus eo in munere inſerviunt, vel etiam in iis Tribunalibus, Collegiis, Congregationibus, in quibus ſuffragium laturi ſunt, & cum prædicto munere aſſiſtunt.

Attamen hac in re exiſtimamus, non ita facilè inhærendum reſtrictui dictorum juvenum, quum accidere poteſt, ut facti circumſtantias aliquas perfunctoriè illi recognoſcant, & requiſita, quæ de jure ad unum, vel alterum reſcriptum faciendum concurrere debent, perſæpe non noverint, an extent in ea facti ſpecie, de qua agitur; & præſertim, quia, ut ait *De Luca* (2), in judicando non modo ingenii acumine, verum & magna praxis experientia opus eſt, & in juvenibus haud facilè hujuſmodi conjunctio reperitur; idcircò admonet etiam ille, nihil referre, doctum, ac ſapientem judicem eſſe, immò & laborioſum in perquirendo Juris articulos in Cauſa promotos, ſi punctum non tulerit, & leges facto, de quo agitur, non aptaverit; & ut dicta applicatio optimè fiat, opus eſſe, quod per ſe ipſos diligentèr percurrant Judices ſummaria, & ſcripturas, ſi juxta juris, rationiſque regulas ſuffragium ferre velint. Opinantur nonnulli in facti cognitione pene nullum eſſe judicis laborem; at ſummum deſcribit *Vultejus* (3), quum tria potiſſimum in facto animadvertere judex debet, *primò an narrata facti vera ſint, vel falſa, ſecundò quid ſit facti meritum, tertiò quomodo pronunciandum ſit*.

Et eò vel magis, ſi eveniat votorum inæqualitas, & diſputari contingat cum Collegis, facti, & juris cognitio ſummopere juvat, ut de re controverſa ad unguem eloqui poſſit, & cæteros ſuffragia ferentes in ſuam ſententiam trahere; vel ad effectum agnoſcendi, an validiora, & ad factum accomodata ſint ea, quæ a Collegis proponuntur, argumenta, ut à propria ſententia jure, meritoque recedere quiſpiam eorum aliquando valeat. Qua in re laudandi præ cæteris ſunt hodierni *RR. PP. DD.* Votantes Signaturæ, quorum exiſtimatio adeò in Curia excrevit, ut meritò eos ex quotidiano doctrinæ, & integritatis experimento, juſtitiæ præſtantiſſimos vindices, & cultores quiſque appellet.

Nolimus tamen, quin ex ſuperius dictis eamdem forſan dicto-

(1) *In Conſtitut. Reformat. Curiæ cap. 2.*

(2) *Lib. xv. Dello ſtile Legale cap. 18.*

(3) *Commentar. Inſtitution. lib. 4. tit. 17. n. 12. 13. & 14.*

rum juvenum offenſionem incurramus, quam virum æque nobilem, ac doctum tempore *Franciſci Mariæ Conſtantini* auctoris adnotationum ad Statuta Urbis, incurriſſe edocemur ex ejuſdem *Annotatione 52.*; cui quidem *Conſtantino*, dum ſtudebat apud *R. P. D. Jacobum de Taſſis* Signaturæ Juſtitiæ Votantem, claris verbis vir ille dixit, *apud ſupremi Tribunalis Signaturæ Juſtitiæ Votantes Cauſas ſtrangulari ex relaxatione illarum facta per Juvenes inexpertos, qui dum ſtudent, ut diſcant, apud Prælatos Votantes, perſæpe nec facta Cauſarum, nec jura partium intelligunt, nec vim reſcriptorum, ac clauſularum, quibus utitur Signatura, pertingunt; itaut Cauſas inappellabiles perſæpe faciant appellabiles, & è contra, unde miſeris litigantibus magna reſultent gravamina. Quam quidem cenſuram* (proſequitur ille), *ſatis pungentem cum ſubſtinere nequirem, propriæ exiſtimationis vindex, ac ſeverus cultor, currenti calamo diſcurſum exaravi ſuper auctoritate, juriſdictione, ac clauſulis, cum quibus Signatura reſcribere ſolet, illumque inter horrores nocturnos à tirone unica nocte raptim paratum, die ſequenti tranſcriptum, exhibui dicto bonæ memoriæ de Taſſis, qui illum tradidit dicto qualificato viro, juvenum ſpretori, & invenit apud illum nedum commiſerationem, ſed non modicam laudem*. Et eumdem diſcurſum laudatus Auctor procedente tempore in meliorem formam redegit, ac inter *Adnotationes ad Statuta Urbis* edendum curavit. Eapropter animadvertendum hic meritò duximus, nullam nos injuriam laudatis juvenibus irrogare voluiſſe; quum etiamſi omne id, quod unius noctis ſpatio ſe compilaſſe jactatur *Conſtantinus* de auctoritate, juriſdictione, ac clauſulis Signaturæ, optimè calleant juvenes, adhuc tamen in illis deficit acies illa ingenii, quæ in jure ſuo unicuique tribuendo ſummopere requiritur, quæque non alias, quam à magna experientia, & fori peritia conſtituitur; & in juvenibus pro certo habetur eam deeſſe, niſi eo in munere plurium annorum ſpatio ſe exercuerint; ad rem profectò facit ſententia Cardinalis *De Luca*, ſæpiſsimè in ſuo opere repetita, nihil nempe referre, aliquem in abſtracto de controverſia aliqua juxta juris regulas apprimè diſſerere, niſi illa accedat peritia rectè in Cauſa occurrenti pronunciandi.

Alia & ſuppetit ratio, qua Signaturæ Votantes non omnino reſtrictui, à dictis Juvenibus confecto, adhærere debeant; nam exploratì juris eſt, eam eſſe mentis humanæ indolem, ut facilius, ac vividiori ſpiritu de rebus illis quiſque loquitur, quos ipſemet perfecit; itaut ſi aliquando contingat alicui orationem quamdam à ſeipſo non exaratam recitare, opus profectò difficile eidem redditur,

nec

nec orationis elucet venuſtas. Idcircò dum aliquis ex Collegis, ut evenit perſæpe in Tribunalibus Collegiatis, alium in ſuo voto deflectere conetur, præcipiti tunc ferme conſilio illi adhærere convenit, ex eo quod infirma ſua, & è contra validiora illius argumenta ſibi appareant; immo opponendi ſpiritus quodammodo deficit ex defectu cognitionis per ipſummet haud inſtitutæ, tam Scripturarum, quam Summariorum, hinc inde à litigantium defenſoribus exhibitorum.

Et nè quis hæc dicta extra propoſitum eſſe cenſeat, adnotare, hic prætereundum non eſt, nomine Informationis, de qua agere propoſuimus, venire etiam colloquium illud, quod à Signaturæ Votantibus fieri aſſolet in die congreſſus, ſeù plenæ Signaturæ, propterea *De Luca*, dum de legali ſtilo diſſeruit, de modo etiam informandi à Ponente, cæteriſque aliis judicibus in Tribunalibus collegiatis verba fecit. Et nè quoque credat aliquis, nos leges præſcribere hiſce noſtris perfunctoriis animadverſionibus voluiſſe ampliſſimo Votantium cœtui, qui, ut diximus, hac noſtra præſertim tempeſtate ſapientiſſimi æque, ac prudentiſſimi in judiciis ferendis ubique prædicantur, data opera hic fatemur, res illas ad eum dumtaxat finem indicaſſe, ut tirones intelligant talem eſſe ſtilum, qui a dictis Votantibus in ſuffragiis ferendis obſervatur, immò, ut cæteris innoteſcat, non a juvenum reſtrictu pendere Votantis Signaturæ ſuffragium; nam & ego expertus ex eo loquor, quod nonnullos è dictis juvenibus audivi, ſciolos tamen, inaniſque gloriolæ captandæ ſtudio addictos, clienti, ejuſve procuratori palam dixiſſe, favorabile in tua Cauſa votum exaravi, hinc pro uno ſuffragio ſecuri ſis animi, ferme ac ſi ipſi eſſent Signaturæ Votantes.

Hac denique arrepta occaſione, aliqua adnotare exiſtimamus quoad conſuetudinem illam, non modo à Tribunalis Signaturæ judicibus, verum ab integra Romana Curia receptam, ut nempe à quolibet Votante explicetur, dum a defenſoribus verbalis informatio fit, quid ipſe juris cenſeat, & quomodo in plena Signatura pronunciabit. Exteris enim, omnibuſque de praxi Romanæ Curiæ non edoctis, non modicam admirationem hujuſmodi ſtilus affert, quum alibi pro jure certo obſervatur ſuffragium non promulgandi ante ſententiam; itaut inter cæteras ſuſpicionis, & recuſationis cauſas, adnumeretur illa, quando nempe ante ſententiam quiſque Judex votum ſuum explicaverit, tunc enim à judicando tanquam ſuſpectus removeri poteſt; & ſumma religione id ita ſervatur, ut ſi nec verbis modo, ſed ſignis, aliiſque actibus externis ſe proclivem uni ex litigantibus demonſtraverit, ſtatim recuſationis querela proponitur, & à judicando repellitur; de ſtilo Tribunalium Neapolis teſtantur *Sorge* (1), & *Reverterius*

T 2

(1) *Tom.* 8. *n.* 83.

rius in deciſionibus Regiæ Cameræ, ubi *De Marinis* addit, dictæ deciſioni convenire *Gerardum Maynardum in Deciſionibus Tholoſanis*, *Franciſcum Vivium* (1), *Alexandrum Ambroſinum in deciſionibus Peruſinis* (2), & quamplures alios. Quæ quidem praxis ſuffragium non promulgandi originem habuit a diſpoſitione *leg: ubi falſi Codic. ad legem Corneliam de falſis*, cujus verba hæc ſunt, *ſed inter utramque perſonam judex medius nec ulla interloquutione divulget quæ ſentiat, ſed tanquam ad imitationem relationis, quæ ſolum audiendi mandat officium, præbeat notionem poſthuma ſententia, quod ſibi liqueat prodíturus*; & *Tiberius Decianus in Conſilio 26. n. 9. vol. 1.* allegat reſponſum *Calliſtrati in lib. 1. de cognitionibus*, contentum in *leg. obſervandum digeſt. de officio Præſidis*; cujus reſponſi verba, quum aurea profecto ſint, immo aptiſſima ad evellendum abuſum quorumdam judicum, conviciandi, nempe, in contradictoriis litigantium defenſores, hic tranſcribere non piget: *obſervandum eſt Jus reddenti, ut in adeundo quidem facilem ſe præbeat, ſed contemni non patiatur; undè mandatis adjicitur, nè præſides provinciarum in ulteriorem familiaritatem provinciales admittant, nam ex converſatione æquali contemptio dignitatis naſcitur; ſed & in cognoſcendo neque excandeſcere adverſus eos, quos malos putat, neque precibus calamitoſorum illachrymari oporteat; id enim non eſt conſtantis, & recti judicis, cujus animi motum vultus detegit, & ſummatim ita jus reddi debet, ut auctoritatem Dignitatis ingenio ſuo augeat.*

In Curia tamen Romana aliter ſe res habet, nam paſſim Judices, & præſertim Votantes Signaturæ dum explicant difficultates, quas habent in decidendo, declarant etiam, quomodo in congreſſu pronunciare velint; ſimili etiam modo agitur a *Rota* Romana, quæ a *Fontanella* appellatur exemplar omnium Curiarum, & ut adnotatum etiam fuit ab *Alvaro Valaſco* (3), & a *Giurba* (4), & quotidie experimur, de more habet, ſive illius ſapientiſſimi Auditores ſolent libere dicere partibus, tu bonum jus non foves, Sententia adverſus te ferenda eſt, Rota non bene ſentit de tua Cauſa, quin propoſitis haud ſatis reſpondiſti; nec propterea recuſantur tanquam ſuſpecti. Quod inſtitutum haud irrationabile prorſus eſt, quum ita veritas in lucem prodit, & ſæpius ex Judicum verbis colligitur clarè illorum mens, ac ea dicuntur pro majori inveſtigatione veritatis, & juſtitiæ, tradit *Fontanella* (5), dum Conſtitutionem defendit ſub titulo de *recuſatione Judicum*; eapropter proſequitur ille bonum non eſſe Judicem, qui

(1) *Deciſ. 36. n. 6.*
(2) *Deciſ. 50. n 7. p. 2.*
(3) *De Partitionibus poſt Conſult. cap. 9. n. 21.*
(4) *Deciſ. Sicul. 54. n. 3.*
(5) *Deciſ. 9. n. 5. Senatus Cathaloniæ.*

Digitized by Google

qui inter informandum obmuteſcit, nec libere quod ſentit aperit, immo recte legumlatores in jam dicta Conſtitutione proceſſiſſe, ac optima quidem ratione ductos fuiſſe, quia de integritate voti nihil mutat promulgare quid ſentiat Judex, antequam Sententiam ferat.

Et revera, ſi tacitus Judex omnino eſſet, ſuoſque ſenſus non explicaret in Informationibus, muneri ſuo non faceret ſatis, quum adverſetur cauſæ, ob quam introductæ fuerunt informationes, & colloquia, quæ habent defenſores cum Judicibus quoad merita Cauſarum, ut ſcilicet uno obiiciente, & altero reſpondente, & ſic diſputando, melius veritas eluceſcat, ut advertit idem *Fontanella* in recenſita *Deciſione*, qui damnat etiam Judicum garrulitatem, quum æquè vitium ſit garrulitas, & taciturnitas, refertque Neronis exemplum è vita à *Svetonio* conſcripta, æquo odio habentis eos qui extra propoſitum loquerentur, & qui planè tacerent. Monitum tamen ejuſdem non omninò ſpernendum eſt, *nihil*, nempe, *eſſe*, *in quo tanta neceſſaria circumſpectio*, *tanta opus prudentia*, *quam in Informationibus*, *& Audientiis Defenſorum*, *in quibus pernicioſiſſimum in primis nihil illis reſpondere*, *ſed obmuteſcere*; *ſi enim poſt ſuccubuit pars*, *id tribuit malitiæ judicantis*, *qui noluit ei*, *ut debebat*, *in quo conſiſteret difficultas*, *in Informationibus aperire*, *ſed tacendo decepit eum exiſtimantem ex eo nullam eſſe difficultatem*, *quod nullam dixit Judex &c. & ſi malum eſt tacere*, *pejus eſt loqui in Informationibus*, *ſi id non ſit cum magna diſcretione*, *& prudentia*. Quod conſonum profectò eſt animadverſioni Eminentiſſimi *de Luca* in ſuo opere de *legali ſtilo*, ubi pro coronide *capitis xv.* legitur, expediens, nempe, eſſe, & Cauſis ſummopere opportunum, difficultates exponere, ut illis ſatisfacere poſſit defenſor; attamen id cautè agendum eſt, itaut informans urbanè tractetur, eidemque deſiderium aliquod demonſtretur oblectandi in eo quod juſtitia expoſcit, non tamen in eam formam, ut certam victoriæ ſpem litigans concipiat, & deinde ſe deceptum eſſe conqueratur.

C A P U T V.

De diverſis Reſcriptis, *ſive Clauſulis*, *quibus Signatura Juſtitiæ utitur in reſcribendo*.

PRopoſita jam, & examinata Commiſſione in plena Signatura, reſolutio, quæ juxta concordiam ſuffragiorum, ſuperius recenſitam, capta fuit, Reſcriptum appellatur. Reſcriptum enim, ait *Marcheſanus*, ex eo dictum, quia jam prius ſcriptum; nam admiſ-

miſſa ea regula, quod in Signatura Juſtitiæ nihil à jure aberrans decerni poſſit, non immeritò Reſcripta dicuntur illius reſolutiones, quæ juxta juris regulas, jampridem ſcripto comprehenſas, in eo conſeſſu capiuntur; quæ juxta diverſam negotiorum naturam quum diverſa ſint, operæ pretium erit, ut de iis tractationem inſtituamus, ex eo potiſſimum, ut illorum vim, ac poteſtatem intelligamus.

Vis namque, & poteſtas reſcriptorum, ut ad Cauſæ legitimam proſequutionem deveniatur, ante omnia opus eſt, quod innoteſcat, ſi hujuſce Tribunalis reſcripta, ut plurimum ſub ablativo concepta, dant formam cæteris Tribunalibus procedendi, quæ ſi præcipuè non ſervetur, de nullitate actus omnis redarguitur, ut ſatis abundè diximus in capite primo de Juriſdictione; hinc eſt, quod non inutile reputari poteſt de diverſa reſcriptorum natura diſſerere, & ut faciliori methodo, ac clarius expediamur, juxta ordinem Commiſſionum ſuperiori capite ſervatum procedemus.

Et priuſquam ulterius progrediamur, animadvertendum duximus, quod etymon Reſcripti varia eſt, & variè reſcriptum accipitur in jure, & apud bonæ notæ auctores, ut videre eſt apud *Briſſonium Pratæjum*, ac cæteros Lexicographos; plerumque enim accipitur pro reſponſione ad conſultationem, ſive deſiderium alicujus, ut apud *Ovidium* (1).

Nihil mihi reſcribas.

Ideò juriſconſulti, quum de jure reſpondebant, reſcribere dicebantur, *leg. ex contractu* 44., *ibi*, *reſcripſit*, *Dig. de re judicata*; qua etiam in ſignificatione accipiuntur reſcripta pro reſponſis Principum, factis ad deſideria ſubditorum.

Ad rem igitur ut veniamus, exordium capere duximus à reſcriptis, ſive clauſulis in cauſis appellationum interponi ſolitis; & ſcitiſſimum quidem eſt, partem non modo politices, verum & juſtitiæ ſummam eſſe, diligenter, & accurate cognoſci litigantium cauſas, quo id quandoquidem pertinet, nè ab unius judicis arbitrio vita, fortunæ, ac exiſtimatio hominum pendeant; hinc non mirum eſt, gentes ferè omnes varia inveniſſe remedia, quibus cauſa, vel ad Superiorem, vel ad alium devolveretur Judicem, & ſententia iniqua, cauſa cognita, reſcinderetur, adeoque apud Romanos frequens erat appellatio. Et quum perſæpe remediis tam ſapienter repertis, abuti conabantur homines, factum proinde eſt, ut appellandi pruritum non ad jus ſuum perſequendum, ſed ad adverſarios diuturnis litibus macerandos ſervatum, legislatores prudentiſſimis juſſionibus compeſcerent.

(1) *Lib.* 1. *epiſt.* 1.

Digitized by Google

rent. Hinc etiam Romano jure cautum fuit, appellandi licentiam arctiſſimo temporis ſpatio eſſe circumſcribendam, itaut, ſi quis ſtatutis temporibus interponendæ, introducendæ, proſequendæque appellationis non ſerviiſſet, appellandi facultas pro perempta, ac expirata haberetur; eadem de cauſa ſancitum fuit, nè liceret tertiò appellare in ipſamet lite. Alia & etiam eodem conſilio fuere à legiſlatoribus adinventa remedia ad cohibendam provocandi licentiam, ut nempe Judices non permitterent provocationem in omnibus cauſis, ſed quaſdam unica definitiva ſententia terminari decreverunt, prout in cauſis alimentorum, debitorum fiſcalium (1), poſſeſſionum (2), & aliis ejuſmodi; eapropter ex ſimilibus privilegiis indultis certo generi Cauſarum invaluit diſtinctio illa judiciorum in ordinaria, exequutiva, & ſummaria, & juxta illorum naturam diverſimodè Signatura, quum de appellatione agitur, reſcribit.

In judiciis etiam ordinariis, quum indubium ſit, appellationem non eſſe interdictam, prout apparet ex integro Codicis titulo *nè liceat in una, eademque Cauſa tertiò appellare*, qui ſententiam aliquam ſibi iniquiorem eſſe putat, prima, & altera vice intra conſtitutum tempus interpoſita appellatione, ſtatim, vel ſaltem pendente termino Apoſtolorum, obtinebit ab Emo Signaturæ Juſtitiæ Præfecto, ſignari Commiſſionem appellationis alteri judici directam, quæ *ſub Banca*, ut alibi diximus, expeditur à Regente Cancellariæ nomine Judicis appoſito; ſi demum etiam malè ceſſerit appellatio, ſententiaque prior confirmata fuerit, poſt dictas tres ſententias conformes appellandi facultatem ulterius non habet; hinc ſententia lata vires rei judicatæ adquirit, & ab ullo retractari, novaque actione inverti non poteſt, immò prævia commiſſione exequutoriali Judici directa, exequutioni demandatur, & S. Rota abſque alia commiſſione, vigore ſuarum facultatum, ad exequutionem procedit.

Non deſtituitur tamen, qui tertiò in cauſa ſuccumbit, alio remedio jus ſuum denuò experiendi, quod eſt reſtitutionis in integrum; & in Curia pro unica vice, etiam abſque cauſa, ac etiamſi intra, vel poſt quatriennium petatur, concedi ſolet; quæ quidem reſtitutio de ſui natura retardat exequutionem judicatorum, quando petitur priuſquam illa cœpta ſit; eapropter Signatura, dum dictam reſtitutionem concedit adverſus tres Sententias, quarum juſtitia præſumitur, nè retardetur exequutio, ſolet commiſſiones expedire cum clauſula, *ſinè præjudicio rei judicatæ, vel trium conformium*, prout admonet *De Luca* (3).

Quum

(1) *Leg. ult. digeſt. de Appellat. recipien.*

(2) *Leg. unica Cod. ſi de momentanea poſſeſſione.*

(3) *Relat. Curiæ diſc. 31. n. 37.*

Quum vero dictæ tres Sententiæ in omnibus non conveniant, hoc eſt conformes non ſint, tunc Signatura addit hanc clauſulam: *In eo in quo ſunt conformes*; & ita præſervatur Judici, a quo appellatum, provocatumque eſt, facultas exequendi, quamvis coram alio Judice in gradu prædictæ reſtitutionis in integrum Cauſa revideatur; de vi, & effectu hujus clauſulæ late agunt *Barboſa* (1), *Marcheſanus* (2), & *de Luca* (3). Immo ſi tres Sententiæ conformes ſint evidentiſſime juſtæ, itaut nullum adpareat gravamen ex actis præcedentium inſtantiarum, & præcipuè ſi aliquæ earum Rotales ſint, ſolent Commiſſiones hujuſmodi reſtitutionis nempe in integrum ſignari cum clauſula, *parito judicato*, quæ id operatur, ut non poſſit procedi ad aliam judicati cognitionem, niſi facta prius ſit integra exequutio, quod a Forenſibus noſtris dicitur, niſi ſit doctum de paritione. Et eſt differentia inter clauſulam *ſine præjudicio rei judicatæ*, *ſeu trium conformium*, *& parito judicato*; nam vigore prioris clauſulæ eodem tempore Judex ad quem poteſt Sententiam exequutioni demandare, & novam Cauſæ cognitionem inſtituere, vi tamen alterius clauſulæ ille haud in Cauſa judicare, & cognoſcere valet, donec Judex a quo integram exequutionem abſolverit, vel pars adverſa judicato ſatisfecerit.

In Cauſis tamen reſtitutionis in integrum, quæ a pauperibus, & miſerabilibus perſonis inſtaurantur, mitius Signatura reſcribit, cum clauſula nempe *dimiſſa poſſeſſione tantum*, *ac reſervatis fructibus & expenſis in fine litis, conſtito de Oratoris paupertate*, prout advertit *Ridolphinus in praxi* (4); ipſa enim naturalis æquitas, cui plus ſemper, quam ſummo, ac ſtricto juri tribuendum eſſe prudentes ſanxerunt, mitius cum quibuſdam agere ſuadet; eapropter non immeritò ita Signatura agit cum pauperibus, & egenis, quod, & cætera Orbis Tribunalia obſervant, quum quidquam ex ſtilo, vel ſtatuto, aut peculiari ſanctione a ſimilibus præſtandum ſit in anteceſſum, hoc eſt priuſquam Sententia revideatur. Ita & in Regno Neapolitano, & præſertim in S. Regio Conſilio, ſi de judicati nullitate dicendum ſit, cujuſdam ſummæ depoſitio in anteceſſum facienda eſt; ab eo tamen onere ſublevantur ii, qui paupertate preſſi, ac bonis evoluti, eorum paupertatem demonſtrant; & in cæteris locis, ubi mos ille invaluit deponendi pecuniam, ut poſſit ad ſupremos Judices de aliqua Sententia provocari, quæ dicitur pecunia ſuccumbentiæ, prout eſt in Germania, in Provinciis *Moguntinis*, *Pruſſicis*, *Palatinis*, *Haſſiacis*, *&c.* pauperes ab eo onere tantiſper immunes ſunt, dum vel victoria po-

(1) *Clauſul.* 97.
(2) *De Commiſſ. p.* 2. §. 1. *n.* 154.
(3) *Relat. Curiæ diſ.* 31. *n.* 39.
(4) *Part.* 1. *cap.* 13. *n.* 446.

potiantur, vel ſecus, ſi ad meliorem fortunam perveniant, convicti de litigandi temeritate pœnas dent calumniæ, prout teſtatur *Andræas Gaillius* (1).

Si autem Signaturæ non conſtet de evidenti juſtitia judicatorum, & ea dubium aliquod habeat, num, nempe, illa juſta ſint, vel ne, etiam poſt tres conformes, ſi non eſt cœpta exequutio, vel cauſa reſtitutionis in integrum, ſimpliciter committere ſolet alteri Judici negotii cognitionem per hæc verba: *de Reſtitutione in integrum prout de Jure, vel, ut conſtito de tribus, ſeu de re judicata, exequatur, ſin minus cauſam appellationis, & Reſtitutionis in integrum cognoſcat*. Tunc enim utroque modo conſulitur ſuſpenſioni exequutionis judicati donec, & quouſque Judex ad quem cognoſcat, an conſtet de cauſis Reſtitutionis in integrum, vel an potius ſit locus exequutioni trium conformium, ſeu rei judicatæ, juxta ſtilum Curiæ pronunciando abſolutionem rei ab impetitis, vel alias juxta indolem, ac naturam Cauſæ. Quando Judex pronunciare vult contra reſtitutionem, & commiſſio eſt ſignata cum clauſula *conſtito &c.* nihil aliud agit, quam relaxare mandatum pro omnibus, & ſingulis rebus, in Sententiis contentis, & taxare expenſas; ſecus tamen ſi Commiſſio ſignata fuerit ſimplicitèr, *de reſtitutione in integrum, prout de jure*; eo etenim caſu victor, ut conſulat celeriori Cauſæ expeditioni, obtinet & aliam Commiſſionem eidem Judici directam, ut *præfixo petenti reſtitutionem in integrum, brevi & competenti termino ad docendum de cauſis reſtitutionis in integrum, necnon ad probandum quidquid vult, & poteſt, & nihil relevans docto, inhibitionem ſuam moderetur, vel ſententias exequatur*; licet omnes judices, quibus commiſſa eſt cauſa reſtitutionis in integrum, ex *Conſtitutione* Pii IV (2), & potiſſimum *Rota* ex Reformatione Pauli V. (3), etiam habeant facultatem hunc terminum præfigendi; quo termino elapſo Judex reſtitutionis in integrum, vel inhibitionem moderatur, & Cauſa redit ad Judicem a quo, vel mandatum relaxat, aut jam relaxatum exequi mandat, & taxat expenſas.

Quæ omnia, ſuperius recenſita, Signatura Juſtitiæ obſervat, quando adhuc cœpta exequutio non ſit; itaut ſi ante Commiſsionem obtinendam Judex a quo incæpit exequi, & Signatura propter injuſtitiam vult ſubvenire gravato cum retardatione exequutionis, tunc ſignat Commiſsionem alteri Judici directam, cum clauſula: *Alteri, qui ad ulteriorem legitimam exequutionem procedat, ſin minus cauſam appellationis cognoſcat*; quæ clauſula impedit ulteriorem exequutionem, donec datus judex recognoſcat, an ei locus ſit, vel nè; & ſi idem ju-

(1) *Lib. 1. Obſervat. 155. n. 4.*
(2) *58. §. & ut litis in Bull. to. 2.*
(3) *§. poſſit.*

dex negativam ſententiam amplectitur, pronuntiat in cauſa appellationis, benè appellatum, & malè judicatum, ſi vero affirmativam, mandat in exequutione procedi ad ulteriora. Obiter hic animadvertendum duximus, exequutionem alicujus judicati tunc cæptam dici, quum fuerit relaxatum mandatum, vel relaxatæ exequutoriales, ex conſtanti opinione S. Rotæ, prout videre eſt paſsim in ejus *Deciſionibus* (1); Tribunal vero Signaturæ eamdem opinionem non ſequitur, quia, ut dicatur cæpta exequutio, requirit exequutionem facti; de natura hujus clauſulæ ſuperius recenſitæ latè agit *Marcheſanus* (2), *Rota* apud *Poſthium de Manutentione* (3),& *De Luca in Relatione Curiæ* (4).

Alitèr ſe res habet, quando vigore peculiaris Statuti duæ ſententiæ habent vim trium, & ſunt exequendæ, prout Statuta Urbis, & aliorum locorum diſponunt; tunc enim Signatura Commiſsionibus reſcribere ſolet, cum clauſula, *ſine præjudicio duarum conformium*, quæ habet vim clauſulæ *ſine præjudicio trium*. Quum verò dubitat de juſtitia dictarum duarum conformium, reſcribit, *alteri, qui, conſtito quod ſit locus ſtatuto de duabus, exequatur, ſin minus Cauſam appellationis cognoſcat*; & hæc clauſula idem operatur, ac clauſula *conſtito de tribus*, juxtà ea, quæ ſcribit *Ridolphinus* in praxi (5), & *De Luca* (6).

Hactenus de re judicata, quæ oritur è tribus Sententiis conformibus, vel è duabus vigore ſtatuti; reliquum eſt, ut dicamus de re judicata,ex una, vel duabus Sententiis ob non interpoſitam appellationem, illiuſve proſequutionem intra ſtatuta tempora, deducta; eamdem enim diſtinctionem in reſcribendo amplectitur Signatura, quam ſuperius diximus, num nempe cœpta ſit, vel nè, judicati exequutio; in hoc equidem caſu reſcribit cum clauſula *de præfixione termini*, quæ ita extenditur, *alteri Judici, qui præfigat terminum ad docendum de appellatione, ejuſque legitima proſequutione, necnon de Cauſis reſtitutionis in integrum, quo elapſo, & nihil relevans docto, conſtito de re judicata, vel quod alias exequutioni locus ſit, exequatur, ſin minus cauſam appellationis, & reſtitutionis in integrum cognoſcat*. Cujus reſcripti effectus is eſt, ut judicatum ſuſpendat, donec Judex ad quem cognoſcat de re judicata, ejuſque validitate, & juſtitia; & quatenus de illa conſtet, nil aliud agit ille, quam mandatum relaxare pro contentis in ſententia, vel jam relaxatum exequi, & expenſas taxare; ſi vero ſententia, de qua agatur, exequutionem forſan non merea-

(1) *Deciſ.* 688. *n.* 3. & 4. *in recent. p.* 4. *to.* 3.

(2) *De Commiſſio. p.* 1. *pag.* 107. *n.* 157.

(3) *Deciſ.* 61. *n.* 1. & *ſeqq.*

(4) *Diſcurſ.* 31. *n.* 34.

(5) *Part.* 1. *cap.* 13. *n.* 79. & 645.

(6) *In Relat. Curiæ diſcur.* 31. *n.* 31. *de Judiciis diſc.* 36. *n.* 5.

reatur, & eapropter de re judicata, ſeu de illius validitate, & juſtitia non conſtet, procedit in cauſa appellationis, pronunciando, ut moris eſt, bene appellatum, & male judicatum.

Altero tamen caſu, quum nempe exequutio jam cœpta ſit, de reſtitutione in integrum etiam reſcribit Signatura, ſed cum clauſula *ſine præjudicio rei judicatæ*; & ſi ſententia de injuſtitia redarguitur, tunc examinatis cauſæ meritis ſignat Commiſſionem cum clauſula, *alteri, qui ad ulteriorem legitimam exequutionem procedat, ſin minus cauſam appellationis cognoſcat*; hujuſce clauſulæ effectum hic explicare ſupervacaneum exiſtimamus, quum ſatis abunde ſuperius de ea dictum ſit.

Demum poſt tres ſententias conformes, vel duas in caſu ſtatuti, vel alias quomodocumque poſt rem judicatam, quum ſemel conceſſa fuerit in integrum reſtitutio, & Judex hujus inſtantiæ taxaverit expenſas, actum jam de cauſa tunc eſt, itaut dicitur integre expedita, & terminata, nihilque aliud reſcribitur, ſed tantummodo datur unica appellatio *ab exceſſiva* taxatione expenſarum; niſi injuſtitia ſatis manifeſta aliter ſuadeat, itaut altera vice concedenda ſit reſtitutio in integrum cum clauſula *Alteri, qui ad legitimam*, quod rarò evenire ſolet; hinc poſt primam reſtitutionem jam conceſſam, ſi denuò recurſus ſit in Signatura, hæc reſcribere ſolet, *nihil, & ab exceſſiva tantum*, hoc eſt, quod admittatur unica appellatio ab exceſſiva taxatione expenſarum, prout docet *Marcheſanus de Commiſſionibus* (1), & poſt eum *Ridolphinus in praxi* (2).

Accidit etiam aliquando, ut, elapſo anno appellationis, acta prioris inſtantiæ non ſint adhuc tranſportata coram Judice appellationis; & tunc Appellatus in Signatura Commiſſionem ſignandam proponit pro celeriori Cauſæ expeditione, & illa reſcribere Judici ſolet pro aſſignatione termini unius menſis ad acta tranſportandum, quo termino elapſo, & actis non tranſportatis ſuam moderetur inhibitionem; & Judex a quo, producta coram ipſo ſide dictæ moderationis, procedit ad exequutionem ſuæ ſententiæ; ſi vero poſt lapſum terminum Judex moderatus fuerit inhibitionem, & appellans non habuerit notitiam, vel ob aliquam cauſam legitimam neglexerit acta tranſportare, facile obtinebit reintegrationem inhibitionis a Signatura, ita reſcribendo, *Rota, vel talis Judex, tranſportatis actis, & refectis expenſis moderationis cum omnibus inde ſequutis, inhibitionem reintegret, & procedat ad formam Commiſſionis*; & ſi acta non poſſint ſtatim tranſportari, reſcribit, *refectis expenſis, aſſignet novum ultimum terminum* pe-

(1) *p. 1. pag. 1223.* (2) *part. 1. cap. 13. n. 622.*

peremptorium ad tranſportandum acta; & hæc ſatis ſint quoad Commiſsiones appellationum in judiciis ordinariis, de quibus latiſſime agunt *Ridolphinus* (1), *& de Luca* (2).

Quæ vero ſummaria Judicia dicuntur, ſunt præſertim poſſeſſoria, & quum a Romano Jure ſatis privilegiata exiſtant, ut celeriter, & abſque etiam figura judicii illa expediri oporteat, diverſimode idcirco in hujuſmodi judiciis Signatura reſcribit. Et ſingulas clauſulas gradatim exponendo, ante omnia recenſendum duximus, jam dicta judicia tria eſſe, primum nempe adipiſcendæ poſſeſsionis, in quo conceditur ſententia, & mandatum de immittendo, alterum retinendæ, & datur mandatum de manutenendo, tertium verò recuperandæ, & pronunciatur ſententia relaxationis mandati de reintegrando. Quæ quidem judicia poſſeſſoria ſub nomine interdictorum explicantur in Romana Juriſprudentia, & à Prætorum ætate originem habuiſſe, unicuique patet; Prætor enim de poſſeſsione interdicta dabat, idque certa formula faciebat, qua aliquid, vel jubebat, vel vetabat, ita tamen, ut nihil interim de ipſa cauſa ediceret, ut ad rem obſervat *Theophilus* (3), & proindè ea apud Romanos invaluit controverſiarum differentia, ut aut de jure, aut in re eſſent; ille enim, qui conſtans, & perpetuum jus in re ſibi competens perſequebatur, eoque nomine actionem inſtituebat, petere dicebatur, unde judicium petitorium cognitio illa appellata fuit; ſin poſſeſsionem adipiſci, vel retinere, vel recuperare vellet, qua de re ante inſtitutas actiones reales ſæpius incidebat controverſia, tunc non petere, aut agere, ſed interdicere dicebatur.

At ad ſemitam, è qua digreſſi tantiſper ſumus, redeundo, firmum quippe in jure, tum Canonico, tum Cæſareo eſt, à mandatis de manutenendo non dari appellationem; & eapropter Commiſſiones in hujuſmodi Cauſis ſignari ſolent cum clauſula, *ſine præjudicio mandati de manutenendo*, quæ non adimit profectò juriſdictionem Judici a quo pro exequtione mandati, immo illi eam præſervat, etiamſi Cauſa coram judice appellationis iterum ad trutinam revocetur; de vi hujuſce clauſulæ agit Cardinalis *De Luca* (4). Diximus enim appellationem non dari in hoc judicio, at id intelligendum eſt de appellatione, quæ dicitur ad utrumque effectum, nam ex præfata clauſula dari tantummodo ad effectum devolutivum, non vero ſuſpenſivum, evidentiſſimè patet.

Id verò peculiare eſt in mandatis de manutenendo, quod Signatu-

(1) *In praxi p. 1. cap. 13. n. 93. & 643.*
(2) *De Judiciis num. 23. & 28.*
(3) *In princip. Inſtitutionum Tit. de Interdictis.*
(4) *In Relat. Curiæ diſc. 31. n. 39.*

tura, ut ſuperius diximus, reſcribens cum clauſula, *ſine præjudicio mandati de manutenendo*, intelligitur etiam reſcribere quoad fructus in poſſeſſione comprehenſos, prout decrevit *Rota* (1); & idem obſervatur etiam in Commiſſione cauſæ in Salviano, quæ cenſetur virtualiter commiſſa, ut forenſes ajunt, etiam ſuper Jure offerendi abſque novo libello, quidquid ſit ad inducendam malam fidem, præſcriptionis potiſſimum obſtaculum, hoc enim caſu offerendi Jus deducendum eſſet ad ſpeciem, ut poſſeſſor ſciat actorem oblaturum, & ita declarando firmat *Rota coram Bichio* (2) verba ſunt *Jacobi Balducci Foroliviensis in obſervationibus ad Conſilia Joſephi Ramoni* (3). Viget quoque quoad hæc mandata de manutenendo diſtinctio inter illa relaxata per cedulam, hoc eſt ſententiam, & ea quæ expediuntur per decretum; prima enim appellationi de antiquo ſtilo Tribunalis, obſervat *Rota* (4), obnoxia ſunt; altera vero appellationem admittunt quoad effectum ſuſpenſivum tantum, ut ſupra recenſuimus, niſi hæc ſint nulla, & injuſta, nam Signaturæ Tribunal tunc etiam ſignat commiſſionem ſimpliciter; at ſi nullitas, vel injuſtitia non eſt certa, æque ac evidens, ſed aliquo dubio involvatur, a Signatura appellationis commiſſio ſignatur cum clauſula, *cum facultate manutenendi quem de Jure* quæ clauſula retardat exequutionem ejuſdem mandati, donec Judex ad quem dictum mandatum exequi mandet, vel novum decernat, ut advertit *Rota coram Cavalerio* (5), *& R.P.D. Androſilla poſt deciſiones Remboldi* (6), *& de Luca* (7). Eamdem formam reſcribendi ſervat Signatura, quando Reus conventus habuerit in prima, aut alia inſtantia, conſimile mandatum de manutenendo; ad æqualitatem enim ſervandam ita agit Signatura, quum unuſquiſque pro ſe habeat prædictum mandatum de manutenendo, & eapropter alteri Judici inſinuat, ut manutentionem elargiatur, cui de jure competit; videndi ſunt hac de re addentes *ad Gregorium* (8), *& Celſus in Deciſionibus* (9).

Tranſeamus modo ad clauſulas, quibus Signatura utitur in appellationibus a mandatis de immittendo, & reintegrando; iis enim denegatur appellatio ſuſpenſiva in cauſis, & Tribunalibus, ac bonis laicalibus vigore conſtitutionis Marchiæ, quæ vocatur *Ægidiana* a Cardinali *Ægidio* illius auctore, dum Legationis munus in ea Provincia gerebat, evulgata, & ſervatur in toto ſtatu Eccleſiaſtico ex conſtitutione

(1) *Deciſ.* 260. *n.* 21. *part.* 4. *recent.*
(2) *Deciſ.* 45. *n.* 29. 40.
(3) *Conſ.* 60. *n.* 40.
(4) 339. *n.* 5. 6. *p.* 14. *recent.*
(5) *Deciſ.* 615. *n.* 3.
(6) *Vot.* 3. *n.* 13.
(7) *In Relat. Curiæ Diſc.* 31. *n.* 31.
(8) *Deciſ.* 581. *n.* 7.
(9) *Deciſ.* 303. *n.* 5.

Digitized by Google

ne Pauli III. Eapropter Commiſſiones appellationum in hujuſmodi Judiciis ſignantur cum clauſula *ſine præjudicio mandati de immittendo, ſive de reintegrando*; de vi, ac effectu hujus clauſulæ agit *Rota* (1) *Ridolphinus in praxi* (2), *& de Luca in relatione Curiæ* (3).

Diximus enim in cauſis, ac bonis laicalibus, ex eo quia Ægidiana, uti conſtitutio miniſtri Pontificis in ſtatu temporali, non comprehendit cauſas Eccleſiaſticas, neque ligat Clericos, juxta notata per *Ridolphinum* (4). Eapropter ſi Clericus in cauſa adſit, vel agatur de bonis Eccleſiaſticis, ſive cauſa definita ſit in Tribunali Eccleſiaſtico, commiſſiones appellationum a dictis mandatis de immittendo, & de reintegrando ſimpliciter ſignantur, & reſcribitur idcirco cum ſimplici clauſula de *Appellatione*; eodemque modo ſignatur commiſſio in eiſdem cauſis laicalibus, quando evidens eſt injuſtitia, quia *Ægidiana* non habet locum, ſi Sententiæ ſint injuſtæ. Quum verò de juſtitia dubitetur, ſignantur commiſſiones cum clauſula, *conſtito quod ſit locus Ægidianæ*; ita nempe in ſuſpenſo eſt exequutio mandati, donec Judex, ad quem cognoſcat an ſit locus dictæ conſtitutioni, & quatenus illa locum habeat in cauſa, de qua agatur, exequutionem Sententiæ decernere debet, ſin minus, cauſam appellationis cognoſcens, pronunciabit *bene appellatum, & male judicatum*. Extenſio vero clauſulæ prædictæ ſequens eſt, *alteri Judici, qui conſtito quod ſit locus Ægidianæ exequatur, ſin minus cauſam appellationis cognoſcat*. Vim vero, & effectum ejuſdem refert *Ridolphinus* (5), *Marcheſanus de Commiſſionibus* (6), *de Luca* laudato loco, & *Rota* poſt *Pacificum de Salviano* (7), Differt tamen modus reſcribendi, quando cauſa proponitur in Signatura poſt exequutionem legitime factam, tunc enim utitur clauſula, *cum facultate manutenendi, quem de Jure*, de qua ſupra; non immerito enim diximus, poſt exequutionem legitime factam, nam alias ſi exequutio ſit illegitima, nempe facta poſt obtentam ſuperſeſſoriam ad effectum adeundi Signaturam, vel poſt citationem pro illa obtinenda cum inhibitione ad primam Signaturæ audientiam, tunc ut attentata revocanda eſt ab Eminentiſſimo Signaturæ Præfecto, & ideo commiſſio ſignatur cum clauſula, *conſtito*, ut ſupra, *quod ſit locus Ægidianæ, purgatis attentatis per Eminentiſſimum*.

Et quum de attentatis ſermo hic incidat, operæ prætium erit, ut, quomodo Signatura in reſcribendo ſuper Attentatis ſe gerat, animadver-

(1) *Deciſ. 205. n. 14. p. 10. recent.*
(2) *In praxi p. 2. cap. 6. n. 33.*
(3) *Diſ. 31. n. 29.*
(4) *Par. prima cap. 6. n. 33.*
(5) *Par. 2. cap. 6. n. 34.*
(6) *Par. 1. §. 1. n. 248. & §. 2. n. 26.*
(7) *Deciſ. 232.*

vertamus. Et primum in praxi pro jure certo habetur, attentata præ omnibus eſſe purganda, itaut omnia geſta reducantur in priſtinum, quæ ſi clara ſint, idcirco Signatura tunc reſcribit cum clauſula *purgatis attentatis*, ſi vero turbida cenſeantur, ut forenſes noſtri loquuntur, alia utitur clauſula Tribunal Signaturæ, committit enim appellationis cauſam *alteri cum facultate, attentata revocandi in primis, & ante omnia, quatenus adſint*; de vi hujuſmodi clauſulæ edocemur a Cardinali *de Luca* (1), & fuſius a *Marcheſano* (2), ac a *Ridolphino* (3) *in praxi*; & Judex, cui directa commiſſio eſt cognoſcere debet primo loco ſuper attentatis prout de jure.

Attentatis demum in cauſa non exiſtentibus, Signatura reſcribit cum clauſula *Nihil*; itaut Judex, ad quem procedere ſuper Attentatorum purgatione non valet; utitur quoque eadem Signatura illa clauſula *rejectis Attentatis*, vel *reſervatis in fine litis*, quando purganda non ſunt ante litis ingreſſum; prout animadvertit pluries laudatus *de Luca* (4).

Et licet recenſitam clauſulam, *purgatis Attentatis*, intelligendam eſſe prout de jure, & quatenus attentata adſint, firmaverit *Rota* (5); a *Conſtantino* tamen edocemur (6), non eſſe a priori opinione recedendum, tanquam veriori; Signatura enim in Cauſarum commiſsionibus illarum merita deguſtare ſolet, eapropter ſi attentatorum ratio in Tribunali Signaturæ habita non fuiſſet, reſcripſiſſet utique *nihil de purgatione Attentatorum*, ut aſſolet reſcribere quando ea non adſunt, vel ſi ea clara non extitiſſent, vel ut vulgò dicitur turbida, reſcribere non defuiſſet, *cum facultate purgandi Attentata*; quo quidem reſcripto Signatura cognitionem relinquit Attentatorum Judici appellationis, prout de jure, quatenus ſcilicet illa adſint, & non alias; & in his terminis loquuntur Rotæ Deciſiones, quas laudatus *Conſtantinus* refert.

In cauſa tamen *Cracovien Beneficiorum* coram *Bourlemont*, inter recentiores relata (7), commiſſa S. Rotæ a Signatura cum clauſula *purgatis Attentatis*, eadem Rota cenſuit ad effectum ſufficientis purgationis attentatorum aliquando ſufficere depoſitum unius julii cum obligatione ſolvendi reſiduum facta liquidatione, quod tantummodo admittit Rota, quando agitur de damno, & intereſſe illiquidis, ſeu de expenſis extra judicium factis; ſecus autem quando agitur de fructuum reſtitutione, ac refectione expenſarum judicialium, pro quibus non ſufficere dictum depoſitum expreſſe firmavit eadem Rota coram *Buratto* (8), & *Se-*

(1) *In Relat. Rom. Curiæ diſ. 31. n. 29. & de Judic. diſc. 18.*
(2) *De Commiſſ. p. 2. §. 1. & 2.*
(3) *Part. 2. cap. 5.*
(4) *De Judiciis diſc. 18.*
(5) *Deciſ. 218. n. 12. p. 8. recent.*
(6) *Annotat. 52. art. 1. ſect. 7. n. 373.*
(7) *Deciſ. 231. p. 16. recent.*
(8) *Deciſ. 356. n. 6.*

Digitized by Google

& Seraphino (1); quæ quidem deciſio *Cracovien.* teſtatur, de ſtilo Curiæ id eſſe, ut qui petat proceſſum ad ulteriora, vel probare teneatur liquidationem, vel impetrare commiſſionem, in qua præfigatur terminus ad liquidandum.

De aſſociationis Judicio, de conceſſione nempe Familiæ pro capienda poſſeſſione, agendum nunc eſt; id enim in Regno Neapolitano vocatur Judicium Aſſiſtentiæ, & inter judicia exequutiva potius adnumeratur; quod quidem inſtituitur quando in eventum non adimpleti contractus reſervatur dominium, & facultas capiendi poſſeſſionem propria auctoritate, vel in contractu adjecta eſt ſolemnis clauſula *Conſtituti*, quæ de ſui natura celerem exigit expeditionem; hinc relaxato per Judicem in hujuſmodi Judicio mandato *de aſſociando*, ſi adverſus illud provocetur, Signatura reſcribit *ſine præjudicio mandati de aſſociando*; niſi ratione gravaminis retardanda ſit exequutio, quo caſu agnito a Signatura gravamine, reſcriptum interponitur cum clauſula *ſi quid exequendum*, de qua inferius plura dicenda ſunt.

Inter Judicia exequutiva recenſentur etiam ea omnia, in quibus agitur vigore obligationis Cameralis, vel alterius pacti exequutivi juxta Regionum morem; & ab iis ſuſpenſiva appellatio non conceditur, niſi ratione gravaminis, a Judice a quo illati. Ejuſdem naturæ ſunt Judicia alimentorum, mercedis, collectarum, decimarum, reſtitutionum depoſitorum, canonum, cambiorum, litterarum cambii, & ad hunc effectum etiam cauſæ ſummariæ, penſionum domorum, affictuum Caſalium, evacuationum, & ſimilium; eapropter commiſſiones appellationum in hujuſmodi Judiciis, quatenus mandata relaxata ſint valida, & juſta, ac exceptiones, oppoſitæ adverſus actionem claram, ſint turbidæ, ſignantur cum clauſula *ſine præjudio legitimæ exequutionis*, *ſeu mandati de evacuando*; unicuique patet, hanc clauſulam præſervare juriſdictionem Judicis a quo, ut ad exequutionem procedere valeat, licet cauſa in devolutivo coram alio Judice in gradu appellationis cognoſcatur (2). Nec Judex ad quem, ſtante hujuſmodi clauſula, impedimentum præſtat Judici a quo in exequutione propriæ ſententiæ, juxta doctrinam *Mareſcotti* (3); quum per talem clauſulam ſeparetur Juriſdictio exequutiva ab ordinaria, illam nempe præſervando Judici a quo ad effectum exequendi, & hanc in Judicem ad quem transferendo (4). Quod procedit etiamſi in commiſſione adſit clauſula, *quam*, *& quas* (5); nam ſtante reſcripto *ſine præjudicio legi-*

(1) *Deciſ.* 1176. *n.* 2.
(2) *Ridolph. p.* 1. *cap.* 13. *n.* 490.
(3) *Varior. Reſol. lib.* 1. *cap.* 84. *n.* 4. *&* 5.
(4) *Rot. Deciſ.* 666. *n.* 2., *apud Poſth. de Manuten. Deciſ.* 16. *n.* 8.
(5) *Rot. Deciſ.* 847. *n.* 5. *coram Amato Dunozet. in Cæſenaten. Dotis coram Muto* §. *abſque in fine.*

gitimæ exequutionis non tollitur Juriſdictio exequendi Judici a quo, nec aliter clauſula *quam*, *&* *quas* tunc operatur; &, ſi fuerit expedita inhibitio vigore jam dictæ commiſſionis ita ſignatæ, eadem clauſula cenſetur appoſita in ipſa inhibitione, nec poteſt cauſare attentata (1).

Quando verò Judex a quo gravamen intulit, tunc ratione illius propoſita cauſa in Signatura, & docto de gravamine, commiſſio appellationis ſignatur ſub tribus modis juxta ſtatum cauſæ, de qua agitur, vel de *appellatione*, vel *ſi quid exequendum*, ſive *alteri*, *qui ad legitimam* (2); & Signatura reſcribendo ſimpliciter, intelligi debet ad utrumque effectum, ſuſpenſivum ſcilicet, & devolutivum, ut fuit alias reſolutum in *Urbevetana bonorum* 26. *Januarii* 1624. (3). At quomodo hujuſmodi clauſulis utatur Signaturæ Tribunal, nunc videamus oportet, & primum cum clauſula *de appellatione*, vel *alteri de appellatione* Signatura reſcribit etiam quoad ſententias, potiſſimum prolatas in judicio ordinario, & petitorio, & quando ceſſat via exequutiva ex pacto, lege, vel ſtatuto, & ſæpiſſime in omnibus ſententiis, ſi ab adverſario non doceatur cauſam non eſſe appellabilem; quum pro jure certo habeatur, appellationem eſſe de genere permiſſorum, & in cauſis omninò admittendam, niſi proponatur peculiaris ratio, ſive limitatio, cur non debeat admitti (4).

Qua quidem clauſula dum Signatura utitur, cauſam declarat uſque ab initio appellabilem; itaut hujuſmodi reſcriptum retrotrahitur ad diem evulgati decreti, ſive prolatæ ſententiæ, & omnia medio tempore geſta remanent attentata, juxta praxim *Cappuccii* (5); quæ opinio inconcuſſa eſt in *Rota* (6). Eapropter poſſeſſio capta medio tempore revocatur tanquam attentata; & paſsim ſtante tali reſcripto, ait *Conſtantinus*, pro circumſcriptione poſſeſsionis fuiſſe relaxata mandata de manutenendo ab Auditore Signaturæ. Hujuſmodi tamen retrotractio locum habet, quando poſſeſsio capta ſit poſt appellationem legitimè interpoſitam, vel infra terminum conceſſum ad appellandum; ſecus verò eſt, quando capta reperitur dicto termino elapſo.

Et quia appellationis commiſsio, ſimpliciter ſignata vigore evidentis injuſtitiæ decreti Judicis a quo, non modò retardat exequutionem, donec Judex, cui commiſsio directa ſit, in cauſa ſententiam ferat, ſed ipſammet cauſam reddit appellabilem; itaut quamvis Judex, ad

X

(1) *Conſtantin. ad Stat. Urb. de Appell. ſect. 6. n. 301.*

(2) *Ridolph. p. 2. cap. 13. n. 490.*

(3) *Coram Dunozetto.*

(4) *Conſtant. ad Stat. Ur. Ann. 52. ſect 5. art. 1.*

(5) *To. 1. p. 3. cap 4. art. 14. n. 333.*

(6) *Coram Durano Decif. 15. n. 12. coram Priolo decif. 52. n. 6.*

ad quem confirmet decretum Judicis a quo, adhuc tamen locum habet altera appellatio, donec tres ſententiæ conformes, vel duæ, ubi viget ſtatutum, latæ ſint, ac ſi judicium merè ordinarium eſſet; ideo ne actor remaneat deſtitutus remediis exequutivis curat a Signatura commiſſionem ſignari hoc modo, *Judici ad quem, ut procedat ex integro*, vel cum communicatione facultatum Auditoris Cameræ; quo equidem caſu delegatus Judex, cognita injuſtitia, vel nullitate decreti Judicis a quo, procedit exequutive, quod raro evenire ſolet.

Hujuſmodi facultates, quæ Auditoris Cameræ dicuntur, communicantur etiam Judici delegato, quando eidem committitur cognitio alicujus judicii exequutivi, quod connexionem aliquam habeat cum alio judicio ordinario, coram eodem Judice pendente, avocando exequutivum ab Auditore Cameræ, nè continentiæ cauſa dividatur, & ne ob judicii diverſitatem contingat ferri ſententiam contra ſententiam; nam tunc nè actor privetur via exequutiva, qua coram Auditore Cameræ celeriter inſtantiam terminare poterat, Signatura reſcribere ſolet hiſce verbis, *prævia avocatione cauſæ ab A. C. Judex delegatus procedat etiam in judicio exequutivo connexo cum facultatibus ejuſdem Auditoris Cameræ*, vel, *omnia ad Judicem delegatum, cum facultatibus A. C.*

Facultates enim Auditoris Cameræ ſunt, procedendi nempe exequutive (1); ideoque tale reſcriptum intelligitur prout de jure, & quatenus via exequutiva de jure competat, quum Signatura non poteſt tales facultates concedere, ubi deficit via exequutiva, adnotat *Rocca in diſputationibus Juris ſelectioribus* (2).

Cum clauſula vero *ſi quid exequendum* ſignantur commiſſiones appellationis in judiciis exequutivis; & id tunc accidit, quando Signatura deguſtando injuſtitiam non ſatis patentem, priuſquam primum judicatum exequutioni demandetur, alterius judicis cognitionem requirit, eapropter exequutionem retardat, at viam exequutivam non tollit; itaut ſi Judex ad quem, bene a priori Judice judicatum fuiſſe, exiſtimet, mandat exequi decretum, de quo provocatum eſt; ſi verò male judicatum cenſeat, bene appellatum, & male judicatum in cauſa pronunciat, reum ab impetitis abſolvendo; vis, atque effectus hujus clauſulæ declaratur a *Barboſa* (3), *Ridolphino* (4), & *Marcheſano de Commiſſionibus* (5); docet tamen *Conſtantinus* talem clauſulam continere implicite conditionem, quatenus de jure aliquid exequendum ſit; hinc debet prius coram Judice appellationis præcedere cognitio, an conſtet de

(1) *Rota in Romana Ferrucci 28. Febr. 1681. §. Quum enim coram Albergato.*

(2) *To. 2. cap. 153. n. 14, & 15.*

(3) *Clauſul. 169.*

(4) *In praxi p. 1. cap. 13. n. 495.*

(5) *P. 1. §. 1. n. 153.*

de validitate, ac juſtitia ſententiæ, vel mandati, ad hoc, ut decernatur deindè exequutio.

Poſt commiſſam cauſam appellationis cum tali clauſula Judex a quo caret facultate exequendi ſuam ſententiam; &, ſi ad exequutionem procederet, illa attentata quidem eſſet, quum exequendi facultas eidem ſublata ſit, & in Judice ad quem translata, teſtatur *Cappuccius* in praxi (1), & *Rota in Romana Attentatorum* 28. *Martii* 1680. *coram Pauluccio*. *Conſtantinus* vero laudato loco (2) animadvertit, id procedere poſtquam appellans incapſavit commiſſionem, & non ſecus, licet commiſſio fuiſſet ſignata in plena Signatura utraque parte informante; & ſequitur *Rotæ* auctoritatem (3), a qua edocemur etiam, quoad Reum conventum litem non incipere ab hujuſmodi reſcripto Signaturæ, quod habet in ventre tacitam conditionem, quatenus orator eo uti velit, prout *Hoſtienſis* firmat, & poſt eum *Abbas* (4), & *Rota* apud *Burattum* (5).

Immo ex *Aretini Conſilio* 33. cenſuit eadem *Rota* coram *Bichio*, nullo unquam modo conditionem illam purificatam dici poſſe, niſi præmiſſa citatione ad dicendum contra, vel alio modo actor commiſſione obtenta uſus fuerit; hinc pro jure certo habetur apud omnes, quos videre eſt in laudata deciſione, ſimplicem commiſſionis impetrationem, & præſentationem non ſufficere ad effectum attentatorum; nec relevat aſſertio illa, commiſſionem, ex eo quia obtenta fuit utraque parte informante, communem eſſe, & propterea opus haud eſſe prædicta citatione ad dicendum contra; dicitur enim illa communis ad effectum, ut altera pars ea uti poſſit invito impetrante, nam alias id facere non potuiſſet, non autem, ut ante commiſsionis uſum tribuatur Judici juriſdictio, & lis pendere dicatur, ſine qua firmum in praxi eſt, omnia geſta eo tempore attentata non eſſe; & ſemper ineſt reſcripto, ut ſuperius diximus, conditio illa pendens a voluntate impetrantis; nam, dum Reus ipſe commiſsione non utitur, militat ratio non firmatæ juriſdictionis in Judice, itaut deſit perſona Judicis, ſine qua impoſsibile eſt litem, & judicium efformari, juxta regulam, quod trium perſonarum concurſus requiratur pro conſtitutione formalis judicii, actoris nempe, rei, & judicis.

Poſſet etiam opponi, quod reus ubi utraque parte informante Signatura reſcripſit, commiſsionis notitiam habuerit; at plus operari non poteſt commiſsionis notitia, quam ipſa commiſsio, è qua ut di-

(1) *Tom. 2. de Exequut. art. 12. n. 585. & 588.*

(2) *n. 72.*

(3) *Deciſ. 384. coram Bichio.*

(4) *In Cap. ex conqueſtione de reſtit. Spoliatorum n. 10.*

(5) *Deciſ. 138. n. 2.*

diximus; nonniſi poſt illius uſum litis pendentia oritur; nam in fortioribus terminis ex ipſo inhibitionis, ſive citationis, decreto, quamvis id reus ſciverit, quoad ipſum non inducit litis pendentiam, ſed requiritur actualis exequutio, ac præſentatio inhibitionis, ſeu citationis (1).

Hujuſmodi verò clauſula ſuſpenſiva exequutionis non tollit viam exequutivam obligationi Camerali, neque ipſa obligatio vulneratur; ſed tantummodo exequutionem ſuſpendit, donec de mandati juſtitia cognoſcatur, juxta mentem *Rotæ* coram *Coccino* (2), & coram *Bichio* (3); itaut vi ejuſdem clauſulæ cauſa appellabilis non redditur. Et, ſi mandatum exequutivum in prima inſtantia aliquam pateretur difficultatem, dummodo conſtet de bono jure illius, qui illud obtinuit, ex eadem clauſula *ſi quid exequendum* præſervatur via exequutiva pro relaxatione novi mandati decernenda a Judice appellationis procedente cum tali clauſula (4); animadvertendum tamen eſt, novam mandati relaxationem procedere tantummodo pro credito in priori mandato contento, non autem pro alia ſumma in prima inſtantia non deducta, prout firmavit *Rota* in ſuis deciſionibus (5).

Et quamvis mandatum in prima inſtantia relaxatum, dum cauſa commiſſa eſt cum dicta clauſula, vel cum illa, *alteri*, *qui ad legitimam*, de qua inferius dicemus, juſtificari debet ab actore ex eiſdem actis; itaut non ſufficiat illud juſtificare ex Juribus productis in altera inſtantia; e contra tamen reus appellans poteſt mandatum impugnare, & illius exequutionem etiam ex novis Juribus producendis coram Judice appellationis. Eo namque caſu, quo reus appellans ita agit, vetitum haud eſt actori appellato ad elidendas exceptiones propoſitas in ſecunda inſtantia nova jura producere (6); & hoc enim recte fit ad æqualitatem ſervandam, quum reus non debet meliorem habere conditionem, quam actor; pari paſſu equidem eos ambulare debere, fori Doctores communiter ajunt.

Quoties deinde appellatur a mandato de exequendo, relaxato a Judice ſecundæ inſtantiæ, cui cauſa commiſſa fuit cum clauſula *ſi quid exequendum*, nova commiſſio appellationis ſignatur in judiciis exequutivis cum clauſula *alteri qui ad legitimam*; & ut ea a Signatura obtineatur, docere opus eſt, dubium, nempe, adhuc ſupereſſe de Juſtitia judicati; extenditur prædicta clauſula, prout ſequitur, *alteri Judi-*

(1) *Lancellott. de Attent. cap.* 20. *decl.* 1. *n.* 4.

(2) *Deciſ.* 404.

(3) *Deciſ.* 184. *n.* 2.

(4) *Cappuccius in praxi t.* 2. *de Jud. Exequ. p.* 12. *n.* 580.

(5) 213. *n.* 13. *p.* 8. *recent.*, 242. *n.* 4. *p.* 15., 273. *n.* 16. *p.* 19.

(6) *Rota deciſ.* 280. *n.* 4. *coram Peutingero.*

Judici, qui ad legitimam exequutionem procedat, ſin minus cauſam appellationis cognoſcat; & hæc etiam ſuſpendit exequutionem donec, & quouſque alter Judex de ea cognoſcat; via tamen exequutiva in tuto remanet. Si demum ante aditam Signaturam fuerit facta legitima exequutio, reſcribitur, *alteri, qui ad ulteriorem legitimam*; hæc namque clauſula ſuſpenſiva & etiam eſt, ac ſimilis recenſitæ clauſulæ, *ſi quid exequendum*, recipit quoque eaſdem fere regulas, ac declarationes (1); hinc illa itidem privat Judicem a quo facultate exequendi, eamque transfert in Judicem ad quem (2).

Diximus enim, clauſulam *Alteri, qui ad legitimam*, ſimilem fere eſſe clauſulæ *ſi quid exequendum*, quum ſint ejuſdem naturæ; intercedit tamen ea differentia, quod Signatura reſcribit *ſi quid exequendum*, quando cauſa committitur a ſimplici mandato relaxato, & non exequuto in prima inſtantia; cum altera verò clauſula ab eodem Tribunali reſcribitur, quando in ſecunda inſtantia Judex mandavit exequi mandatum, ut ſuperius diximus, vel ſi mandatum Judicis primæ inſtantiæ fuit cœptum exequi ante commiſſionem appellationis, & Signatura cognoſcat, perperam actum fuiſſe, ut notat laudatus *Cappuccius* (3).

Tranſeamus modo ad ſententias latas ſuper exequutione litterarum Apoſtolicarum, quæ ex communi Tribunalium praxi paratam habent exequutionem, & inter judicia exequutiva adſcribuntur. Hinc quando agitur de ſimilibus appellationibus, ob reverentiam, quæ debetur eiſdem litteris, Signatura commiſſiones ſignare ſolet cum clauſula *parito litteris*; qua id cavetur, ut cauſa in gradu appellationis cognoſci non valeat, niſi præcedat integra exequutio litterarum Apoſtolicarum, ut ad rem docent *Barboſa* (4), *Ridolphinus* (5), *Marcheſanus* (6), & *de Luca* (7). Utitur etiam hoc Tribunal alia clauſula in appellationibus, quæ interponuntur ab exequutione litterarum Apoſtolicarum, quando Judex exequutor gravamen aliquod intulit, & de eo ſatis conſtet, & eſt, *parito litteris arbitrio, &c.* remittit enim exequutionem arbitrio Judicis ad quem, & interim ea eſt in ſuſpenſo, donec hic cognoſcat, an intret arbitrium retardandi nempe exequutionem litteris Apoſtolicis, vel ne; qui ſi negative cenſeat, procedit ad exequutionem litterarum Apoſtolicarum, ſin minus, pronunciat bene appellatum, & male judicatum fuiſſe. Hæc enim clauſula *Arbitrio* intelligenda eſt, prout de jure, & ita dictum arbitrium regulari debet juxta Juris diſpoſitionem, maxime ex eo quia reſcripta cum dicta

clau-

(1) *Rot. dec. 289. n. 4. coram Peutinger.*

(2) *Mareſcott. Var. Reſolut. lib. 1. cap. 86. n. 6.*

(3) *In praxi tit. 2. art. 12. de jud. exec. n. 190.*

(4) *Clauſul. 98.*

(5) *P. 2. cap. 8. n. 51. & n. 158.*

(6) *De Commiſſionibus p. 1. cap. 1. n. 71.*

(7) *Relat. Curiæ diſc. 31. n. 29.*

clauſula emanantur a Signatura juſtitiæ, quæ non facit reſcripta gratioſa, ſeu aberrantia ab ordine Juris, advertit *Rota* (1), & *Poſtius* eam ſequitur in tractatu *de manutentione* (2); attamen tale arbitrium committitur tantummodo Tribunali S. Rotæ, & non alteri Judici, juxta notata per *Marcheſanum de commiſſionibus* (3). Occaſione ejuſdemet clauſulæ *Arbitrio*, *Conſtantinus* quamdam excitat penè inutilem quæſtionem, an ea appoſita a Signatura Juſtitiæ aliquid operetur, ut Commiſſarius Judex, ſequi nempe poſſit æquitatem, & hinc inde diverſas ſententias refert, ac auctoritatibus comprobat; attamen hujuſmodi diſputationi immorandum profecto non eſt, ſi pro arbitrio, quod datur in hiſce commiſſionibus, ſumendum illud ſit, quod a jure regulatur, ut ſuperius diximus.

In cauſis appellationum a dicta exequutione litterarum Apoſtolicarum, vel inſtitutionis judicialis, ſolet etiam reſcribere *Alteri appoſito ſequeſtro*, quando quis adeptus fuerit poſſeſſionem beneficii attentate, quia ab executione data litteris Apoſtolicis ab exequutore mixto, vel ab inſtitutione judiciali, dabatur appellatio, & beneficii poſſeſſio capta fuit poſt appellationem, vel infra tempus datum ad appellandum; hinc nè attentantes fruantur commodo vitioſæ, ac attentatæ poſſeſſionis, de ſtilo Rotæ apponitur ſequeſtrum (4); & ad effectum parcendi expenſis neceſſariis pro diſputatione dubii in Rota, an ſit locus appoſitioni ſequeſtri, Signatura in cauſis prædictis mixti exequutoris, ac inſtitutionis, ſolet reſcribere *appoſito ſequeſtro alteri de appellatione*; immò ab ipſomet Auditore Signaturæ in vim dicti reſcripti deputatur Œconomus, qui adminiſtret beneficium, ejuſdemque reditus, donec lis finem habuerit.

Privilegio paratæ exequtionis donantur etiam ſententiæ ſuper ſolutione Penſionum Eccleſiaſticarum; hinc appellationes in hujuſmodi cauſis admittuntur cum clauſula, *ſine præjudicio exequutionis, & non retardata ſolutione Penſionis*: è qua quidem clauſula ſatis patet, non poſſe in gradu appellationis Judicem anteire, niſi prius ſatisfacta integra penſione contenta in ſententia, & non retardata aliorum terminorum poſtea decurrendorum ſolutione; nam dicta clauſula eſt æque moratoria, & ſuſpenſiva juriſdictionis Judicis ad quem, ante ſolutionem integram terminorum penſionis; & de ſolutione debet conſtare in actis antequam Judex procedere incipiat (5); quæ concluſio locum habet etiam pendente lite ſuper nullitate penſionis (6). Et ex eo quia appellans

(1) *Deciſ. 558. n. 1. in Recent.*
(2) *De Manutent. obſer. 7. n. 63.*
(3) *P. 1. de Commiſſione Appellat. ob exequ. Brevis cap. 2. n. 39.*
(4) *Rota deciſ. 166. per tot. Deciſ. 202. n. 15. p. 16. recent.*
(5) *Marta de Clauſulis p. 1. cap. 165. n. 13.*
(6) *Deciſ. 996. n. 18. coram Dunozes.*

lans audiri nequaquam poteſt, niſi probet ſe integre ſatisfeciſſe, idcirco *Tondutus* in tractatu de *Penſionibus* (1) ait, non ſufficere cautionem de ſolvendo ſummas illiquidas cum conſignatione unius ſcuti in ſignum arrhæ pro liquidandis. Ulterius S. *Rota* in *Mediolanenſi penſionis* 7. *Novembris* 1717. coram *Ubaldo* (2) cenſuit, dictæ clauſulæ non cenſeri ſatisfactum, quamvis Titularis offerat Penſionario omnes fructus beneficii; a *Barboſa* vero edocemur (3), poſſe recurſum haberi a penſionario Summo Pontifici, ut ab eodem obtineat, quod præſtita cautione Bancaria, vel in forma depoſiti, de ſolvendis ſummis debitis poſt factam liquidationem, ad ulteriora in cauſa procedatur.

E' ratione demum, qua Signatura movetur in reſcribendo cum dicta clauſula in cauſis penſionum, facile intelligimus non ita illam reſcribere in penſionibus impoſitis ab inferioribus. *Staphileus* enim (4) duas reddit rationes, quare clauſula prædicta apponitur, primum propter fraudes, & malitias recuſantium ſolvere penſiones legitime impoſitas, quibus malitiis indulgendum non eſt; ſecundo vero propter honorem Pontificis, mandantis ſolutionem penſionis ab ipſo impoſitæ, cujus litteris omni reverentia parendum, donec de contrario conſtet; & proinde, ait etiam ille, dictam clauſulam non apponi in commiſſione, quando penſio impoſita fuit ab inferiore. Et quamvis hæc *Staphilæi* animadverſio non omni ex parte nobis arrideret, quum inferior aliquando imponere penſiones poſſit ex auctoritate Papæ, attamen *Gigas*, in tractatu de *Penſionibus* (5), dubium omne ademit, dum ait, *intellige ſane hoc, niſi inferior penſionem imponeret auctoritate ſibi a Papa conceſſa, idem voluit Caſſadorus Rotæ Auditor tit. de reſcriptis deciſ.* 10.

Plures etiam caſus recenſendi hic ſunt, in quibus dicta clauſula *non retardata ſolutione penſionis* a Signatura non datur; & primum ſi anteceſſor titularis plurium annorum ſpatio penſionem non ſolviſſet, & ſucceſſor afferat beneficium adeo gravatum eſſe, quod penſio invalida ſit; præſumptio tunc oritur extinctionis penſionis, ex eo quod tanto tempore penſionis exactio neglecta fuerit, ideoque favore Eccleſiæ pro liberatione præſumendum (6). Idem ſervat Signatura, dum quis annuæ penſionis reſervationi conſenſerit, ſcutorum nempe centum, ſuper pluribus beneficiis, ſibi ab uno titulari reſignatis, poſt obitum antedicti Reſignatarii plures de dictis beneficiis fuerint proviſi, & penſionarius contra unum poſſidentem ad integram penſionem agere velit

(1) *Cap.* 80. *n.* 9. *poſt Gonzalez n.* 251.
(2) *Apud Marcheſ. to.* 1. *fol.* 608.
(3) *Clauſul.* 98. *n.* 13. *& Tondut. laud. loco.*
(4) *De litteris juſtitiæ pag.* 154.
(5) *Quæſt.* 34.
(6) *Gigas de Penſ. qu.* 85. *n.* 3. *Gomez ſuper regul. Cancell. de non judicando juxta formam q.* 16. *n.* 83.

lit; nam pro rata quodlibet beneficium gravatum cenſetur, & poſſidentes pro rata penſionum ſolvere tenentur.

Quando jam lata ſententia ſit adverſus penſionem, nec etiam dari ſolet dicta clauſula, quia penſio per ſententiam vulnerata dicitur, & res integra non eſt; itaut, penſionarius cauſam appellationis ſi committi petat, datur commiſſio ſimplex, ita namque ſub Præfectura *Aſcanii Cardinalis Sfortiæ* referente *R. P. D. Canigiano* in una *Nucerina penſionis* reſolutum refert *Marcheſanus* (1); qui & alios caſus enumerat, in quibus Signatura abſque clauſula, de qua agitur, reſcribit; immo animadvertit in commiſſionibus, quas impetrari contingit ſuper reductione penſionum, Signaturam reſcribere cum clauſula *prout de jure*, & *non retardata ſolutione penſionis*.

Reliquum eſt, ut animadvertamus, in commiſſionibus Appellationum, quæ *ſub banca* ſignantur ſimpliciter, & aliquando ex natura judicii debuiſſent ſignari cum aliquibus ex ſupradictis clauſulis, ſi pars adverſa adit Signaturam pro laceratione commiſſionis, ſi ei non eſt locus, vel pro reformatione, addendo clauſulam, quæ erat apponenda, illa reſcribit *lacerari commiſſionem*, vel mandat, ut *Judex delegatus procedat, ac ſi commiſſio ſignata foret cum clauſula conſtito, quod ſit locus Ægidianæ, vel ſine præjudicio exequutionis*, vel alias, prout negotium expoſcit. Dum tamen Signatura agnoſcit commiſſionem recte expeditam fuiſſe, reſcribit his verbis, *nihil de laceratione, ſeu reformatione commiſſionis* (2).

Hæc namque clauſula *Nihil* utitur etiam Signatura, quum omnem appellationem reiicit; & præſertim quando tutor, curator, vel adminiſtrator aliquis, aut exactor citatus, & damnatus ad reddendam rationem, eam retardare conetur per appellationem; & recte ita a Signatura reſcribendum eſt, cum rationis redditio omnino fieri debet, nec decretum ad hujuſmodi perſonas coercendas pro redditione rationum continere poteſt gravamen aliquod. Ita & in caſu exhibitionis librorum, vel ſcripturarum, quando nempe decretum latum eſt, *conſtito prius de exiſtentia, & intereſſe* (3); quod quidem procedere, ait *Conſtantinus*, quando decretum verſatur in ſimplici exhibitione, ſecus vero ſi in caſum non exhibitionis facta fuerit condemnatio ad intereſſe (4). Denique *Conſtantinus* ipſe animadvertit, quod ſi cum dicta clauſula Signatura reſcripſerit, & aliqua nullitas deducta fue-

(1) *De Commiſſionibus Appellat. cap. 4. p. 2.*

(2) *De Luca Relat. Curiæ diſc. 31. n. 28. Marcheſ. de Comm. p. 2. cap. 2. n. 90. pag. 25.*

(3) *Scaccia de Appellat. q. 17. lim. 16. memb. 8. n. 21.*

(4) *Ridolphin. in praxi p. 2. cap. 3. n. 72.*

fuerit, ex tali reſcripto habetur illius rejectio, itaut eadem non poteſt in Rota, vel coram aliis Judicibus, deduci (1).

Quum Auditor Signaturæ, vel Emus Præfectus remiſerint cauſam alicui Tribunali, moderati fuerint aliquam inhibitionem A. C., vel Rotæ, relaxaverint mandatum pro purgatione attentatorum, aut aliquid ſimile fecerint, ſi litigantes non adquieſcant proviſionibus, & decretis ab eiſdem factis, & adeant Signaturam, hæc dum agnoſcit, bene fuiſſe proviſum per dictum Auditorem, aut Eminentiſſimum Præfectum, reſcribit *nihil*, *& ſervetur decretum Emi*, hoc eſt Præfecti, cujus nomine Auditor facit decreta; ſi vero agnoſcat male egiſſe, tunc juxta peculiares caſuum circumſtantias reſcribit.

Cauſæ appellationum a ſententiis de partibus devolvuntur ad A. C., qui ad inſtantiam appellantis inhibere ſtatim ſolet Judici a quo, nè ad ulteriora procedat; quod ſi natura judicii aliter poſtulet, idem A. C. moderatur inhibitionem ſuam, vel ad utrumque effectum, remittendo cauſam integre ad partes, vel ad effectum devolutivum tantum; Auditore Cameræ, ejuſve locumtenentibus moderare recuſantibus inhibitionem, tunc Signaturam adire oportet, quæ conſuevit reſcribere, *A.C. moderetur Inhibitionem, & cauſam ad partes remittat*, ſi cauſa non eſt curialis; vel ſi eſt curialis, ſed exequutiva, & Judex a quo gravamen aliquod non irrogavit, reſcribit, *in devolutivo tantum*; & tunc Judex de partibus procedit ad exequtionem, licet cauſa iterum cognoſcatur coram A. C.; ſi vero cauſa eſt curialis, & appellabilis, vel exequutiva, & Judex a quo gravavit, Signatura *nihil* de moderatione reſpondit: demum ſi idem Auditor Cameræ, vel illius Locumtenentes male moderati fuiſſent inhibitionem, Signatura reſcribit, ut *illam reintegret*, ex eo quia, cauſa, nempe, erat appellabilis, vel debebat in curia cognoſci.

In eodem Signaturæ Tribunali proponitur recurſus pro deputatione alterius Judicis in locum ſuſpecti allegati; & licet talis allegatio ſuſpicionis Judicis ordinarii admittenda non eſſet abſque rationabili cauſa, tamen in curia ſemper abſque cauſa admittitur, quando partes in eo non conveniant, & lis non ſit inſtructa; itaut ſi allegatur ſuſpectus Locumtenens A. C., aut Eminentiſſimi Vicarii, Signatura tunc reſcribere ſolet, *Emo Vicario*, *vel A. C.*, *qui alium deputet*: ſi vero Judex ſuſpectus eſt delegatus, non ordinarius, reſcribit, ut *cauſa committatur alteri non ſuſpecto*, *vel alium deputet in ſtatu*, *& terminis* (2). Effectus enim hujus clauſulæ *in ſtatu*, *& terminis* is eſt, ut tunc omnia acta, facta ante deputationem alterius judicis, remaneant firma,

 jux-

(1) *Rota deciſ. 815. n. 33. p. 18. to. 2. recent.*

(2) *In Relat. Curiæ diſc. 31. n. 48. 49.*

juxta mentem *Rotæ Deciſ.* **222.** *num.* **13.** *part.* **16.** *recent.* ad differentiam deputationis alterius Judicis, quæ fit a Signatura ex integro; tunc enim omnia geſta coram Judice, allegato ſuſpecto, habet illa pro circumſcriptis, ac ſi facta non eſſent (1).

Operæ prætium hic erit quærere, quomodo Tribunal hoc ſe gerat in commiſſionibus cauſarum miſerabilium, & pauperum. Conſtito enim de paupertate, ac bono jure ſolet apponere clauſulam, *ſubminiſtratis alimentis, ac ſumptibus litis*; æquiſſimum enim id eſt, ſi Signaturæ Tribunal ita reſcribere ſolet, nam alias facile accidere poſſet, ut deſtituti pecunia in jure ſuo perſequendo impedirentur. Quum vero non ſatis liqueat, an ſit locus alimentorum præſtationi, delegat cognitionem Judici, coram quo pendet Cauſa, adjecta clauſula *cum facultate ſubminiſtrandi alimenta, & ſumptus litis*, obſervat *de Luca* (2), vel, ut hodie uſitatius eſt, *ſubminiſtratis ſcutis N.*; id tamen præſefert cſauſula *ſubminiſtratis alimentis, ac ſumptibus litis*, ut Judex vigore talis commiſſionis debeat in primis, & ante omnia, decernere expenſas, & ſumptus litis; ſi vero Signatura reſcripſerit, *ſubminiſtratis expenſis arbitrio Rotæ*, tunc reſcriptum pro ſubminiſtratione non eſt præciſum, ſed debet prius in Rota diſputari, an ſit locus arbitrio pro illarum ſubminiſtratione, ut factum fuit per *Rotam in Deciſ.* 189. *part.* 9. *recent.*; diverſa deinde res eſt, ſi fuerit reſcriptum *ſubminiſtratis alimentis, & ſumptibus litis, arbitrio Rotæ taxandis*, tunc ſubminiſtratio illorum fieri debet, & Rotæ arbitrium verſatur tantummodo ſuper quantitate taxanda, & non ſuper ſubſtantia, a Signatura præciſe ordinata (3): non adquiritur tamen ex hujuſmodi reſcripto ulla actio appellato, niſi quando appellans voluerit cauſam appellationis proſequi, quum tunc ſolum impediat exercitium Juriſdictionis inter ipſas partes (4); ideoque qui vult uti dicta commiſſione cum recenſita clauſula, tenetur ad illorum ſubminiſtrationem (5).

In judicio creditorum mulieris Signatura ſemper reſcribit, *ſine præjudicio, ſalva medietate dotis*, ut teſtatur *de Luca in titulo de dote* (6): quæ medietas dotis metienda non eſt ab eo, quod ſupereſt poſt fortuitum caſum ſuperventæ inexigibilitatis; tunc enim non eſſe ſalvam medietatem, præſcriptam ab immutabili ſtilo Signaturæ, ſed modo trientem, modo quadrantem aſſis dotalis mulieribus conſtituti, & modo minorem, juxta majorem, vel minorem decoctionem, quæ contingeret, acerrime contendit *Hieronymus Palma Nepos* (7); e qua clau-

(1) *Gratian. cap.* 734. *n.* 2.

(2) *De Judiciis diſc.* 141. *n.* 5. *& in Relat. Curiæ diſc.* 31. *n.* 29.

(3) *Rota coram Coccina deciſ.* 390. *n.* 1.

(4) *Deciſ.* 113. *n.* 30. *coram Bichio.*

(5) *Deciſ.* 404. *n.* 6. *p.* 18. *t.* 2. *recent.*

(6) *Diſc.* 20. *n.* 3.

(7) *Allegat.* 326. *n.* 15.

clauſula, de ſtilo apponi ſolita a Signatura, edocemur, Judices in relaxatione mandati contra mulierem, obligatam pro marito, vel filiis, quæ alleget ſe remanere indotatam, debere eidem præſervare dimidiam partem dotis, alias Signaturæ Tribunal ex inconcuſſa obſervantia ei occurrit ſuperius recitata clauſula.

Solet etiam Signatura aliquando favore Soceri, vel Fratris, contra quos ad inſtantiam Generi, vel Sororis, fuit relaxatum mandatum liberè pro dote, non attento ſcilicet beneficio deducto ne egeat, ab illis judicialiter allegato propter eorum paupertatem, reſcribere, *ſine præjudicio*, *deducto ne egeat*; quo caſu non poteſt Judex a quo procedere, niſi ſalvis alimentis congruis pro Socero, vel Fratre, contentis in dicta clauſula *deducto ne egeat*, modificativa alterius antecedentis ſine *præjudicio*, alias attentat (1): non cenſetur tamen Judicem attentaſſe, nec exceſſiſſe in exequutione, etiam ſtante dicto reſcripto, licet creditor dotis feciſſet exequutionem ſuper certis corporibus, dum in aliis poſſint remanere alimenta congrua (2).

Nunc recenſendum exiſtimamus reſcriptum, quo Signatura utitur in illis cauſis, in quibus Judex, ſtantibus ſolummodo coram eo deductis, videtur juſte pronunciaſſe, & propter jura, noviter deducta in eadem Signatura, redditur illius decretum injuſtum, & appellabile, tunc enim reſcribere ſolet cum clauſula, *Iterum audiat*: quod eſt quoddam medium inter reſcriptum de appellatione, & cætera reſcripta; quod fit, nè partes gravioribus impenſis onerentur, dum vigore illius reſcripti idem Judex, inſpectis eiſdem juribus antea coram eo non deductis, & cognita ex illis injuſtitia decreti, poteſt decretum latum retractare. Hac eadem clauſula etiam uti conſuevit Signatura, quando decretum in parte eſt juſtum, & partim gravamen continens, nè ratione individuitatis decreti committatur appellatio etiam in illa parte, pro qua non eſſet committenda, ſi Judex in alia parte non gravaſſet.

Animadvertendum tamen hic eſt, Signaturam ita reſcribere etiam in cauſis per contradictas expeditis; itaut vi hujus reſcripti ſervatis ſervandis Judex revocare poteſt ſententiam latam, nam Juriſdictio, qua ille functus eſt, hoc prævio reſcripto, excitatur; non poteſt quippe Judex ſententiam latam circumſcribere tanquam nullam, ut fuit dictum coram *Molines* (3). Secus vero eſt, quando Signaturæ Tribunal reſcripto de *iterum audiendo* adjiciat clauſulam *ex integro*; nam vi ejuſdem dicitur ſententia circumſcripta, ac ſi lata non fuiſſet, ut diſtinguendo inter unum, & alterum reſcriptum declaravit Signatura Juſti-

 tiæ

(1) *Cappucc. in praxi t. 2. de jud. exequ.*

(2) *Conſtantin. Ann. 52. art. 1. ſect. 8. n. 429. & 430.*

(3) *Recanaten. Fideicommiſſi 27. Junii 1689.*

tiæ ſub *die* 30. *Januarii* 1690. Qua de re videnda eſt *Deciſio Recanaten Fideicommiſſi coram Caprara* 73. *num.* 17. *part.* 2.

Ex eo quia Auditor Cameræ, & illius Locumtenentes nullam habent in beneficialibus juriſdictionem manutenendi, ut pluries Rota definivit (1), etiamſi partes in juriſdictione conveniant (2), Signatura in hujuſmodi contingentiis expreſſe prohibet Locumtenentibus A. C., in eadem Signatura intervenientibus, nè ſimilia mandata concedant; immo ut plurimum conſuevit, antedicta mandata, ab A. C., ſeu illius Locumtenentibus expedita, abrogare, & circumducere, reſcribendo cum clauſula, ac ſi non emanaſſent, juxta adnotata per *Marcheſanum de commiſſionibus appellationis* (3), & *Poſthium de manutentione* (4).

Evenit aliquando, ab appellante non fieri legitimo tempore Actorum tranſportationem coram Judice appellationis, eapropter appellatum obtinuiſſe moderationem inhibitionis; tunc ſi appellans proſequi velit appellationem, & petat reintegrationem inhibitionis jam moderatæ, Signatura reſcribere ſolet, *refectis expenſis*, *& tranſportatis actis reintegret*; ideoque appellans nedum acta tranſportare debet, ſed ſimul reficere appellato expenſas, quas erogavit in obtinenda moderatione inhibitionis, ſi dicti reſcripti conditionalis commodo perfrui velit: quum vero ob moderatam dictam inhibitionem appellatus ulterius acceperit poſſeſſionem, vel fecerit exequutionem conceſſam in ſententia, Signatura reſcribit, *refectis expenſis*, *& tranſportatis actis*, *reintegret ſine præjudicio rei judicatæ*.

Et ſi agatur de ſententia, vel mandato, ab A. C. relaxato in cauſis ordinariis in prima inſtantia, vel minoris valoris ſcutorum 50., circumſcribit dictam ſententiam, ſive mandatum, ac de medio tollit reſcribendo *ad partes*, hoc eſt jubet cauſam remitti ad Judicem in partibus; advertendum tamen, Signaturam ita reſcribere, quando agnoſcit non adfuiſse conſenſum legitimum rei conventi, conſenſu enim, pro certo habetur, juriſdictionem quodammodo prorogari.

Utitur etiam Signatura illa reſcribendi formula, *ſine præjudicio ad effectum inveſtiendi*, quando, tranſgrediendo terminos committendi appellationes, cognitionem inſtituit circa cauſæ merita, & ut ait *Conſtantinus*, *ex quadam æquitate laxat habenas*, *ut lites terminentur*; hinc ſi Judex relaxavit mandatum ad effectum liberè ſolvendi, & pecuniæ ſint inveſtiendæ pro evictione, vel ſecuritate dotis, Signatura ſolet reſcribere ſuperius expreſſa clauſula. Ita etiam, ſi agatur de man-

(1) *In Hortano Parochialis coram Peregrino apud Marcheſanum de Commiſſ. p.* 1. *fol.* 464. *n.* 6. *Gregor. XV. Deciſ.* 119. *n.* 4.

(2) *Deciſ.* 160. *n.* 2. *Deciſ.* 224. *&* 32. *coram Cavalerio.*

(3) *P.* 1. *n.* 82. *&* 87.

(4) *Obſervat.* 107. *n.* 6.

mandato, relaxato contra debitorem forenſem, vel decoctioni proximum, tunc licet aliqua dubietas ſit in credito, quæ in aliis fortaſſe mereretur cauſæ commiſſionem in ſuſpenſivo, adhuc Signatura, arbitrando more Principis, ſolet reſcribere, *data cautione, ſi quid exequendum*; & id agit, ut dum quæritur in ſecunda inſtantia judicati exequutio, *hoc poſſit deſervire*, adnotat *Conſtantinus*, *de vento ob receſſum Forenſis*, *vel decoctionem formalem debitoris*; at hujuſmodi reſcripta, adfirmat ille, non eſſe de facili concedenda, nec vidiſſe facta, niſi cum magna circumſpectione, nè debitor gravetur præſtare cautionem, quam invenire difficile eſt ex juris præſumptione, docent *Cyriacus*, & *Giurba* (1).

Reſcribere aliquando ſolet Signatura, *commiſſionem primam haberi*, *perinde ac ſi non emanaſſet*, quum nempe commiſſio aliqua ſignata reperiatur cum reſcripto, de quo pars alia conqueratur; eo enim caſu id fit, ut res dicatur redacta ad ſtatum, in quo erat ante commiſſionem, quæ abrogatur, prout *Rota coram Amato Dunozetto* (2) cenſuit; & non ſemel quoque Signatura reſcribit, *ſine præjudicio quoad certam ſummam in mandato contentam*, *& in reliquis ſi quid exequendum*; hinc Judicis a quo in exequutione juriſdictio præſervata in parte remanet, & pro alia parte ſuſpenſa; iniquum profecto eſſet, quod pars crediti clari, & incontrovertibilis, retardaretur per partem illiquidam, ut advertunt *De Luca*, & *Gratianus* (3); idcirco Signatura reſcribens more Principis, licet agatur de ſumma individua, contenta in eodem mandato, optime ſe gerit ita reſcribendo.

A mandato relaxato adverſus bona hæreditatis alicujus, & exequatur contra bona propria, & perſonam hæredis, ſi appellatio interponatur, Signatura pro ſtilo habet diſtinguendi varias circumſtantias; aut nempe hæres indubie talis, ad docendum de inventario, ac de rebus in eo deſcriptis reddendam rationem, citatus, de illo non doceat, aut ſi inventarium oſtendat, de inventariatis vero rationem non reddat, tunc Signatura reſcribit *ſine præjudicio* juxta tradita per *Rotam* apud *Poſtium* (4); ſi vero exequatur contra perſonam, & bona propria, injuſte elargitum fuiſſe, contendat aliquis, vel ex quo ab actore haud recte, ut par eſt, qualitas hereditaria, per expreſſam editionem nempe doceatur, ſed per probationes æquivocas, & non bene concludentes, tunc quoad dictum exequatur ſolet Signatura reſcribere cum clauſula, *ſi quid exequendum*. In eo tamen caſu, quo per heredem inventarium exhibeatur, ac ſimul ab eodem facta fuerit redditio rationis

(1) *Controverſ. 101. n. 64. Deciſ. 4. n. 9. for. cup. 183. n. 23.*
(2) *Deciſ. 642. n. 8.*
(3) *Relat. Curiæ diſc. 31. n. 7. Diſcept.*
(4) *Deciſ. 721. n. 1. coram Merlino, & Deciſ. 685. §. hæredesp. 18. t. 2. recent.*

nis de bonis in inventario adnotatis, & exequatur ſub prætextu nullitatis inventarii, vel rationis non bene redditæ, relaxatum fuerit adverſus perſonam, & bona heredis propria, reſcribit etiam cum clauſula ſuperius dicta, *ſi quid exequendum*; ea quippe ratione, quia ſimiles exceptiones debent reiici ad petitorium, ac ad judicium ordinarium, & interim in judicio exequutivo heres debet perfrui beneficio inventarii, quouſque in judicio ordinario fuerit cognitum de illius invaliditate, aut de non recta, æque valida rationis redditione, prout ad rem loquitur *De Luca* (1); & ita fuit reſolutum utraque parte informante *in Romana augumenti dotis*, *Ponente R. P. D. Accorambono*, *anno 1659.*, & concludit *Zaulus ad Statuta Faventina* (2), qui, referendo varias Signaturæ reſolutiones, ſubdit, quod ſi jam facta reperiatur exequutio perſonalis, tali caſu Signatura ſolet reſcribere *prævia excarceratione*, *ſi quid exequendum*. Non accedente demum aliqua contradictione adverſus mandatum, relaxatum quoad bona hæreditaria, vel creditum in eo contentum ſit clarum, & exequutivum, tunc reſcribit, *ſine præjudicio quoad bona hæreditaria*, ut monet *Conſtantinus* (3).

Solet itidem Signatura ſtante obligatione Camerali, adjecta in inſtrumento compromiſſi, committere cauſam reductionis ad arbitrium boni viri, & appellationis, ſed cum clauſula *ſine præjudicio legitimæ exequutionis*, & ita admittit appellationem ad effectum devolutivum tantum, prout animadvertit *Caputaquen*: (4), & adnotat *Mancinus de Juramento* (5).

Aliquando etiam reſcribit pro moderatione Commiſſionum, quæ expediuntur per Breve, illarum nempe, quæ in partibus diriguntur; Hinc in Congregatione Signaturæ Juſtitiæ, habita *ſub die Jovis 24. Septembris* 1722. proponente Cauſam *Januenſem fabricæ R. P. D. Furietto* pro *RR. PP. Societatis Jeſu Venerabilis Collegii S. Hieronymi, & Franciſci Xaverii Civitatis Januæ* adverſus RR. PP. *Carmelitas diſcalceatos Collegii S. Caroli* ejuſdem Civitatis, reſcriptum fuit, *quoad Attentata in deciſis & amplius, & in reliquis reformetur Breve, ac ſi cum clauſula ſine præjudicio*, prout apparet è fide, typis tradita ſub dicta die.

Idem Signaturæ Tribunal, quando Cauſa magni ſit momenti, vel in articulo legali diſputabili verſetur, alicui Judici Cauſam ipſam com-

(1) *De hæred. & hæreditatibus diſc.* 27. *n.* 7. *Diſc.* 22. *n.* 17. *Rota in Romana annuæ præſtationis coram Bevilacqua* 1654.

(2) *To.* 1. *lib.* 3. *Rub.* 13. *n.* 18.

(3) *Ann.* 52. *art.* 1. *n.* 329. *ad* 332. *ſect.* 6.

(4) *Deciſ.* 181. *ſeu* 182.

(5) *P.* 4. *effect.* 244. *Zacchius de oblig. Camerali qu.* 19. *n.* 29.

committit cum clauſula, ut *procedat de voto Rotæ*; & hac in re diſtinguendum eſt, ut dignoſcatur clauſulæ effectus, nam ſi cauſa cognoſcenda committatur *de voto Rotæ*, tunc Judex omnino tenetur ſequi votum illius; ſecus verò eſt, ſi dicat *cum voto Rotæ*, illud enim ſequi non tenetur, quia dictio *de* ſubſtantiam denotat, dictio *cum* proceſſum indicat, ut in terminis ſtatuti ita diſtinguendo aſſerit *Cornelius* (1); & idem in Signatura ſemper vidiſſe ſervatum, teſtatur in adnotationibus deciſivis *Coccinus* dum fuit Referendarius, & audiviſſe, etiam refert, ab R. P.D. *Ludovico Ripa Cremonenſi* U. S. Referendario (2), *quamvis Joannes Andreas*, ait ille, *relatus à Friderico de Senis Conſ.* 1. *num.* 5. *dicit non eſse differentiam inter dictionem cum, & de*; videndus proindè eſt *Bartolus in leg.* 1. §. *ſi plures* 2. *num.* 4. *Dig. de exercitoria actione*, ubi latè diſtinguit.

Quando quæſtio oritur ſuper electione Judicis, quæ de Jure ſpectat ad appellantem vigore *capit: oblatæ de Appellat.*; ex eo quia in Curia diſpoſitio dicti capituli in uſu non eſt, pars appellata ſtatim interpoſita appellatione poteſt prævenire Appellantem, ut Cauſa committatur, & ſi pars appellans quoad hoc adiverit Signaturæ Tribunal pro dicta electione habenda, reſcriptum *Nihil* obtinebit (3).

Reſtitutionis in integrum Commiſſiones, quæ, nempe, petuntur adverſus quaſcumque res judicatas, ſive ex numero ſententiarum, ſive ex renunciatione liti, & acceptatione judicati, nullatenus à Signatura plena ſignantur, niſi *conſtito de læſione* prout eſt de jure, ex *cap.* XIII. *noviſſimæ Reformationis*. In iis vero Commiſſionibus, quæ ſignandæ ſunt quoad Avocationes, & uniones Cauſarum ratione connexionis, dependentiæ, vel individuitatis cum altera Cauſa, pendenti in alio Tribunali, ſive cum re judicata alias emanata, è qua reſtitutio in integrum forſan obtineatur, vel obtenta fuerit, a plena Signatura ſignari non debent, niſi refectis omnibus expenſis, tam judicialibus, quam extrajudicialibus, quoties conſtabit cum ſcientia pendentiæ alterius Cauſæ, ſive exiſtentiæ rei judicatæ, novam Cauſam ab Actore introductam, ſive à Reo conteſtatam fuiſſe, verba ſunt laudatæ *Reformationis in cap. xv.*

Id ipſum in *capite xvj.* ſervari ſtatutum fuit quoad Commiſsiones ſuper circumſcriptione alicujus ſententiæ, de partium conſenſu emanatæ in gradu recurſus, ſuper Cauſis, de earum natura ratione ſummæ appellabilibus; immo, non modo prævia refectione expenſarum judicialium, & extrajudicialium, ſed etiam damnorum quorumcumque ſignandas eſſe cavetur; & Commiſſiones illæ avocationis Cauſarum, & de-

(1) *Conſ.* 13. *n.* 6. *lib.* 1.
(2) *Annot.* 185.
(3) *De Luca de Judic. diſc.* 2. *n.* 11. & 13. *Rota coram Bichio Deciſ.* 288. *n.* 23.

declinationis fori ratione clericatus, ſive alterius cujuſcumque privilegii, quoties Signaturæ porriguntur poſt præſtitum conſenſum coram Judice ordinario, ſub eadem diſpoſitione comprehenduntur.

Et Avocationis materiam proſequendo, quando a Signatura reſcribendum eſt in avocatione Cauſæ extra curiam, in Commiſsione apponitur clauſula, *quatenus Cauſa* inſtructa non ſit; nam pro jure certo habetur, Cauſam inſtructam non eſſe avocandam; & quia in Commiſsionibus Avocatoriis narratur aliquando ad nonnullos actus deventum fuiſſe, addendum proindè eſt, *non tamen ad Cauſæ concluſionem*. Utilitas enim clauſulæ jam dictæ ea à *Veſtrio* (1) adnotatur, quod per Commiſsionem hujuſmodi Cauſa, etiam inſtructa, avocatur, & certior, ac ulterior exprimitur Cauſæ ſtatus; attamen dicta clauſula tamquam captioſa habita fuit, & à ſignatoribus, idem *Veſtrius* ait, paſsim deleta, illiuſque in locum ſubrogata, *dummodo Cauſa inſtructa non ſit*: dicitur verò Cauſa inſtructa, dum prò altera parte pronunciari jam poſsit, & pro illa eſſent probationes factæ; & hac clauſula utitur Signatura ad obviandum malitiis litigantium, quia evenire poterit, quod ille, adverſus quem mota lis fuerit, dum Judex jam inſtructus ſententiam ferre vellet, ad ſe in ſua mala poſſeſſione confovendum, à Judice inſtructo Cauſam avocari peteret, & alteri committi cum litis immortalitate.

Inſurgit tamen ex dicta clauſula dubium illud, an ea ſufficiat; ut verificetur avocationis tempore, vel ſequutæ inhibitionis; & *Marcheſanus* (2) ait verificandam eſſe tempore avocationis, quia tunc locum habet ſubreptio; qua de re, ſi tempore inhibitionis Cauſa eſſet inſtructa, non autem Commiſsionis tempore, debet Judex ſuperſedere; & ſi ſecus fecerit, attentatum reputatur.

Antiquitus ſi duæ Commiſsiones in una, eademque Cauſa, directæ fuiſſent diverſis Judicibus, & Cauſam avocari ab uno Judice, & alteri remitti, petebatur, Commiſsio Signaturæ porrigenda erat, & ab eadem pars recurrens reſcriptum obtinebat, *Audiat qui prævenit*; attamen hujuſmodi reſcriptum in deſuetudinem abiit, quum hodie Signatura deguſtare ſolet de valida præventione, & illi, qui prævenit, Cauſam ab alio avocando remittere; quod optima quidem ratione factum eſt, ex eo quia occaſione iſtius præventionis inter dictos Judices, cum unuſquiſque ſuam inhibitionem, ac Juriſdictionem tueretur poterat diſſenſio oriri, & interdum ea de cauſa novæ lites crearentur.

In materia Alimentorum ſi ſententia lata fuerit favore Alimentarii, & ille, qui alimenta præſtare debeat, appellat, ac Commiſsionem porrigit, in qua Cauſam Appellationis ſimpliciter committi petit, pri-

(1) *Lib. 3. cap. 8. n. 9.*

(2) *fol. 91. n. 41. edit. ant.*

prima fronte dicendum quippe eſſet, hujuſmodi Commiſsionem haud eſſe denegandam, ex eo quia de jure in omni caſu appellatio eſt permiſſa; attamen diverſa ſanè res eſt in Cauſis alimentorum, quæ à jure multis privilegiis donatæ reperiuntur; qua de re videndum quomodo Signatura reſcribat, quum ab eadem diverſimodè fieri aſſolet, illam amplectendo diſtinctionem alimentorum futuri, vel præteriti temporis; equidem dum agitur de alimentis præſentibus, & futuris reſcribit cum clauſula, *non retardata præſtatione alimentorum*; & juris diſpoſitioni congruum id eſt, quum venter dilationem non patitur, & illorum præſtationem retardare, eſſet quidem hominem necare, ait textus in *leg. necare*, ubi *Bartolus*, *Dig. de lib. agnoſcendis*. Si quæſtio tamen ſit de alimentis præteritis, doctores ajunt, eamdem rationem non militare, quum ex illis cibus non ſumatur, ut ex aliis de præſenti, & de futuro, & Cauſam proinde ita ſummariam non eſſe, nec eadem habere privilegia; & Signatura ſimpliciter appellationis Commiſsionem dare ſolet.

Et quamvis a Doctoribus ea etiam diſtinctio fiat inter alimenta, quæ officio Judicis, & quæ jure actionis petantur, haut quoad illa ſummarium judicium, & appellationem non dari, affirmant, quoad hæc vero appellationem admitti quoad actum ſuſpenſivum; attamen *Marcheſanus* teſtatur, eam a Signatura nunquam ſervatam fuiſſe, & dumtaxat illam ſuperius adnotatam (1). Quandoque Signatura etiam in alimentis præteritis reſcribit cum antedicta clauſula, *non retardata*, ſi nempe ille, cui alimenta præſtanda erant, ob non præſtationem æs alienum contraxerit, & ita in quadam cauſa *Bononien.* plena Signatura reſcripſit, teſte *Marcheſano* (2).

Quoad cauſas mercedum vigore *Conſtitutionis Leonis X.* (3) ſtilus inolevit reiiciendi ſuſpenſivam appellationem, nulla etiam habita ratione illius, qui pro mercede inſtat; eapropter Signatura in cauſis hujuſmodi reſcribere conſuevit cum clauſula, *ſine præjudicio legitimæ exequutionis*, vel *non retardata exequutione*, ut teſtatur pluries laudatus *Marcheſanus*, exceptis tamen nonnullis caſibus, quorum primus eſt, quando non agitur de ſalario convento, neque inter ſolitos locare, & conducere; quibus requiſitis deficientibus Signatura uti ſolet clauſula, *ſi quid exequendum* (4); alter vero caſus eſt, quando ſalarium fuit conventum, & inter ſolitos locare, & conducere agatur, & Judex a quo exceſſit in ſervanda quantitate ſalarii; tunc enim Signa-

(1) *Marcheſanus de Commiſſ. fol.165. antiq. edit.*

(2) *fol. 164. n. 39.*

(3) *Conſt. 7. in Bull. vet. to. 1.*

(4) *De Commiſſ. p. 1. in Appell. in Cauſis Merced. §. 1. n. 55. Scaccia de appellat. q. 17. lim. 8. Urſell. Conſult. 128. n. 298.*

gnatura in aliqua parte exequutionem admittit, & in alia appellationem concedit, vel cum dicta clauſula, *ſi quid exequendum*, vel alia arbitrio ſuo, ajunt *Marcheſanus*, & *Urſellus* laudatis in locis.

Diverſimode etiam reſcribit, quando agens pro ſalario in prima inſtantia ſuccumbat, & in altera ſibi propitiam ſententiam obtineat, a qua appellatio interponatur; nam Signatura appellationem ſimpliciter admittere tunc conſuevit (1), ea potiſſimum ratione, quia in judiciis æqualitas eſt ſervanda (2). Nulla deinde exiſtente ſententia, in cauſa ſalarii lata, vel forſan injuſta, ſimplex quoque appellatio a Signatura elargitur, ut edocemur a *Rota in Anconitana mercedis* 20. *Decembris* 1602. *coram Sacrato*; hæc enim omnia, quæ de appellatione admittenda in cauſis mercedum hic tranſcripſimus recenſentur a *Lanfranco Zachia*, *de ſalario*, *ſeu operariorum mercede* (3).

Tranſeamus modo ad exequutoriales commiſſiones, quibus quomodo Signatura reſcribat etiam videamus; & hac in re certa regula dari non poteſt; inſpecta enim qualitate facti, diverſimode illam reſcribere, docet *Marcheſanus* (4); itaut aliquando commiſſionem dirigit Judici a quo, & quandoque Judici ad quem, juxta partium contradictiones, at nulla exiſtente, vel contradictione, vel juſta cauſa, perſæpe Judici a quo illam dirigere ſolet.

Quum demum, vel a parte, juſta exiſtente cauſa, dilatio petitur, ne proponatur cauſa in ea proxima Signatura, vel Votantes in paritate ſuffragiorum fuerint, aut plenam cauſæ cognitionem non habuerint, ſolet Signatura reſcribere, *Dilata*, quod idem eſt ac reſolutionem differri, tunc ſi non adiiciatur quando denuo proponenda ſit, de ſtilo intelligitur uſque ad primam proximam Signaturam; nec ulterius retardanda eſt exequutio abſque nova Eminentiſſimi Præfecti proviſione.

Poſtremo loco dè reſcriptis, in cauſis criminalibus fieri ſolitis, ſermonem inſtituere decrevimus; & quidem inſtituta actione civili, ſi criminalis inſtantia proponatur, & ſuper ea aliquid decernatur, recurſus fit in Signatura, a qua reſcribitur, ut *conſtito*, *quod cauſa civilis eſſet præjudicialis criminali*, *inhibeat*; ita enim, quum Epiſcopus *Caputaquenſis*, pendente lite in *Rota* inter ipſum, *&* *Abbatem S. Mariæ Oppidi Piani* ſuper pertinentia juriſdictionis, criminaliter contra dictum Abbatem proceſſiſſet, etiam uſque ad ſententiam excommunicationis in pœnam juriſdictionis ab eodem Abbate perturbatæ in cognoſcendo quamdam furti cauſam, quam Epiſcopus ad ſe ſpectare con-

(1) *Gonzalez Reg. Cancellariæ gloſ.* 6. *n.* 203.

(2) *Cavaler. deciſ.* 911. *n.* 2.

(3) *Quæſt.* 107.

(4) *De Comiſſ. Appell. cap.* 3. *p.* 2.

contendebat, propoſita appellatione ab Abbate, ac habito recurſu ad Signaturæ Tribunal, reſcriptum fuit cum clauſula ſuperius dicta, & cauſa Rotæ commiſſa, prout apparet ex *Deciſione Caputaquen. juriſdictionis* coram *Manzanedo*; e qua quidem deciſione dignoſcitur, quinam ſit effectus hujuſce clauſulæ, ut nempe, Judex ad quem, agnoſcendo præjudicium, quod irrogatur ex cauſa civili cauſæ criminali, inhibeat nè ulterius progrediatur in cauſa criminali; quid autem ſit hujuſmodi præjudicium, ex eadem deciſione facile quiſque percipiat; ibi enim dicitur, *cauſam civilem præjudicare*, *quando ſententia*, *lata in judicio civili prius intentato*, *poteſt parere exequutionem rei judicatæ in criminali*, prout erat in caſu illo, ſi in Rota reſolvebatur, cognitionem cauſarum ſpectare ad Abbatem.

Pro condemnatis ad triremes, quando appellationis commiſſio huic Tribunali exhibetur, illa perſæpe elargiri non ſolet, niſi cum clauſula, *non retardata exequutione*, at quandoque, exhibito aliquali injuſtitiæ fumo, vel quia reus gravatus revera ſit, commiſsio appellationis ſimpliciter datur, reo tamen in carceribus remanente; & aliquando, ſi guſtato gravamine reus ſit in actu eundi ad triremes, Emus Præfectus eum retineri mandat; ſed ut plurimum, ſi tales commiſſiones ſint in Signaturæ Juſtitiæ Tribunali proponendæ, quamvis raro id accidat cum, utpote gratiam potius continentes, quam juſtitiam, Signaturæ Gratiæ magis aptari videantur, citandus ſemper eſt Fiſcus. In cæteris vero cauſis citra pœnam corporis afflictivam datur commiſsio, ut ſupra, addita clauſula, *ſervata forma motus proprii Pii IV.*, *& Pii V.* ubi, divites appellantes, niſi facto quantitatis pœnæ, ad quam damnati reperiuntur, actuali depoſito, & pauperes niſi præſtita cautione in forma depoſiti de ſtando Juri, & judicatum ſolvendo, ſive reo in carceribus ubi reperitur firmo remanente uſque ad cauſæ expeditionem non eſſe audiendos, cavetur; licet ſoleat addi in commiſſione clauſula *cum facultate ipſum prout de jure excarcerandi*; ita pleniſſime ratiocinatur *Marcheſanus* (1). Et hæc omnia, tam de reſcriptis, quam de univerſo Signaturæ Juſtitiæ jure, breviter, ut ab initio polliciti ſumus, hactenus expoſito, ſatis eſſe arbitramur, ut qui deinde plura, fortaſſe vel ex oſcitantia, vel ex ignoratione prætermiſſa, expetat, facile ea ab uſu & exercitatione obtinere poſſit.

AP-

(1) *P. 1. §. 1. pag.* 1285. *n.* 130. *&* 131.

Digitized by Google

Digitized by Google

APPENDIX,

APOSTOLICARUM CONSTITUTIONUM, AC DECRETORUM,

ad Signaturæ Juſtitiæ Tribunal ſpectantium, ampliſſimam collectionem continens.

QUamvis *Fattinellus* hujuſmodi ſeriem Conſtitutionum, ac Decretorum Signaturæ Juſtitiæ in noviſſimo ſui operis capite intactam haud reliquerit, ea potiſſimum de cauſa, quia multa ad Signaturæ Juſtitiæ Collegium ſpectantia adeo ſparſim, *& ſine ulla inter ſe cohærentia*, (verba ſunt laudati Auctoris), *vel Typis*, *vel manuſcriptis Regeſtis commendata ſervantur*, *ut propter difficultatem ea in diverſis Codicibus perquirendi abdita potius*, *quam edita publicæ notitiæ videantur*. Attamen appendicis loco illam nec nos prætermittere duximus, auctam tamen cæteris ſanctionibus deinde editis; itaut facile cuiquam ſit, animadvertere, quid uſu ſervetur, quid verò contrariis Conſtitutionibus, vel conſuetudinibus abrogatum. Præterea non ideo in animum inducimus, adeo abſolutiſſimam Conſtitutionum, Decretorum, Edictorumque, ad Signaturam Juſtitiæ pertinentium, collectionem nos exhibere, ut aliqua alia, præter illa, quæ hac in eadem collectione tranſcripſimus, fortaſſe alicubi non reperiantur. Omnem enim adhibuimus diligentiam, ut quæ ejuſdem Signaturæ Juſtitiæ propria erant, reperire fas eſſet; nobis proindè, collectionem hujuſmodi auctiorem reddidiſſe, ſat erit.

Privilegia, & Gratiæ Prælatorum Referendariorum utriuſque Signaturæ.

PAVLVS EPISCOPVS
Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam.

I. Debita conſideratione penſantes quantum Venerabiles Fratres, ac dilecti filii in minoribus conſtituti, utriuſque Signaturæ, ſupplicationum videlicet, & commiſſionum per nos, ſeu in præſentia noſtra ſignandarum, infraſcripti Referendarii noſtri, qui præ cæteris Officialibus, & Miniſtris noſtris propinquius nobis aſſiſtunt circa ipſas ſupplicationes, & commiſſiones pro noſtro, & Apoſtolicæ Sedis honore, ac Univerſalis Eccleſiæ utilitate, & alia gratis, prompta voluntate indefeſſe laborant, dignum, quin potius debitum reputamus, ut illis ſpecialis benevolentiæ favoribus ampleɛtamur, ac præclaris dignitatum titulis decoremus, & alias nos eis, (prout convenit), gratióſos exhibeamus.

II. Hinc eſt, quod nos fel. rec. Leo. X; & Clementis VII. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, eoſdem infraſcriptos Referendarios noſtros, qui Prælati, ac etiam Familiares continui commenſales noſtri exiſtunt, condigni favoris gratia, & excellentiæ dignitatum ſublimare, ac opportunis favoribus munire volentes, ipſoſque Referendarios, ac eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus, vel quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, motu proprio, non ad ipſorum Referendariorum, vel aliorum pro eis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & ex certa ſcientia auctoritate Apoſtolica tenore præſentium præfatos Referendarios, & eorum ſingulos, qui Præſules non ſunt, ac alios infraſcriptos, & eorum ſingulos in noſtros, & dictæ Sedis Notarios gratioſe recipimus, eoſque, & alios, qui Præſules exiſtunt, ac eorum ſingulos in Sacri Palatii, & Aulæ Lateranenſis Comites, nec non, qui nobiles non ſunt, nobiles facimus, conſtituimus, ordinamus, & deputamus, ac nobilitamus, nec non nobilitatis titulo, & favore decoramus, ac aliorum noſtrorum, & Sedis prædictæ Notariorum, nec non Palatii, & Aulæ hujuſmodi Comitum, ac ex magno Baronum, & Nobilium genere procreatorum numero, & conſortio favorabiliter aggregamus, eoſque deinceps nobiles eſſe, ac pro nobilibus reputari, nominari, teneri, cenſeri, & judicari, ac de cætero in quibuſvis conceſſionibus, & literis, tam gratiam, quam juſtitiam concernentibus, a nobis, ſeu Sede prædicta impetratis, ſeu impetrandis, vel eis a nobis, aut aliis quibuſcunque conceſſis, & concedendis, ac inſtrumentis, ſeu aliis ſcriptis etiam authenticis, & privatis, nobiles nominari, & pro talibus haberi poſſe, & debere volumus. Eiſque quod omnibus, & ſingulis privilegiis, & præeminentiis, indultis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, facultatibus, honoribus, antelationibus, prærogativis,

etiam

etiam in aſſequutione quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, etiam vigore gratiarum expectativarum, & illarum mutationum, extenſionum, & revalidationum, collationum, & quarumcumque aliarum gratiarum, & indultorum, quibus cæteri noſtri, & dictæ Sedis Notarii de numero participantium exiſtentes, & abſque illorum præjudicio, ac Palatii, & Aulæ prædictorum Comites, nec non veri, & indubitati nobiles, & ex nobilium genere ex utroque parente procreati tam de jure, quam de conſuetudine, ſeu alias quomodocumque utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum in judicio, & extra, ac ubicumque locorum, uti, potiri, & gaudere debeant in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi Referendarii, & alii infraſcripti de dicto magno Baronum, & Nobilium genere ex utroque parente, vere, & non ficte procreati, & geniti forent, concedimus. Ac eorum ſingulos, ſublatis quibuſvis obſtaculis, & impedimentis, veros nobiles eſſe, & de nobili, & de dicto utroque parente procreatos, cenſeri debere decernimus, & declaramus.

III. Et in ſignum honoris, & nobilitatis hujuſmodi, eis, & eorum cuilibet, pro inſigniis, & armis, quibus ipſi, & ab eis deſcendentes, & aſcendentes uti poſſint in decorem, partem inſigniorum noſtrorum, ſi eis uti voluerint, etiam cum, vel abſque armis ſuis, ſi illa habuerint, vel illis uſi fuerint, aut ſine ipſis, prout duxerint ordinandum, ſeu eligendum aſſignamus, & perpetuo decoramus.

IV. Ac eis illos, quos moribus, ſcientia, & ætate, aliiſque requiſitis qualitatibus ad officium Tabellionatus exercendum idoneos eſſe repererint, ad inſtar eorum dicti Palatii Comitum ubique locorum, extra tamen muros Urbis, ſeu locum, in quo Romanam Curiam reſidere contingeret, Notarios, Tabelliones publicos, ac Judices Ordinarios, (recepto prius ab eis juxta formam præſentibus annotatam ſolito juramento), creandi, deputandi, & conſtituendi, ac de Notariatus, & Tabellionatus, ac Judicatus officiis hujuſmodi per pennam, & calamare, (ut moris eſt) inveſtiendi.

V. Nec non quoſcumque Spurios, Naturales, Baſtardos, Manſeres, Nothos, & inceſtuoſos, copulative, vel disjunctive ex quocumque illicito, etiam ſacrilego, vel damnato coitu, pro tempore procreatos, ſeu genitos, viventibus, ſeu mortuis eorum parentibus, legitimandi, & habilitandi, & ad hæreditates, & bona, prout Collegium Archivii dictæ Romanæ Curiæ, vel ejus Officiales juxta facultatem eis per piæ memoriæ *Julium Papam II.* etiam prædeceſſorem noſtrum conceſſam, vel alias ipſi Comites Palatini de jure, vel conſuetudine, legitimare, & habilitare reſpective poſſunt, legitimandi, & habilitandi, & ad officia ſæcularia, publica, & privata, ac honores, & bona quæcumque reſtituendi, & reintegrandi.

VI. Nec non quoſcumque idoneos (adjunctis in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, aut tribus Magiſtris, ſeu Doctoribus, aut licentiatis in facultate, in qua promovendi erunt, quos ad hoc duxerint eligendos eorum votis juratis) in utroque, vel altero Jurium, & Theologia, ac artibus ad Baccalaureatus, & licentiaturæ, ac Doctoratus, & Magiſterii gradus reſpective ubique locorum promovendi, eiſque ſic promotis legendi, diſputandi, inter-

terpretandi, ac alios actus ad perſonas in hujuſmodi gradibus conſtitutos, quomodolibet pertinentes faciendi, & ipſorum graduum ſolita inſignia, & auctoritatem conferendi. Ac ſic promoti, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, nobilitatibus, conceſſionibus, honoribus, libertatibus, præeminentiis, & prærogativis, quibus alii in Bononien. Pariſien. Lovanien. Tholoſan., ac quibuſvis aliis Univerſitatibus, in quibus ſtudium generale viget, promoti, etiam in aſſecutione beneficiorum Eccleſiaſticorum utuntur, potiuntur, ac gaudent, & uti, potiri, & gaudere quomodolibet poterunt in futurum, non ſolum ad ipſorum inſtar, ſed pariformiter, & abſque ulla differentia, perinde ac ſi vere, & non ficte, in aliqua ex eiſdem Univerſitatibus, rigore examinis præcedente, ac aliis ſolemnitatibus ſervari ſolitis obſervatis, & alias juxta formam Statutorum, ac conſuetudinum ipſarum Univerſitatum, ac Privilegiorum illis conceſſorum promoti fuiſſent uti, potiri, & gaudere valeant, concedendi, plenam, & liberam facultatem concedimus.

VII. Præterea eiſdem Referendariis, & aliis infraſcriptis, ac eorum ſingulis, Monaſteria, quorum Abbates pro tempore exiſtentes mitra, & aliis Pontificalibus inſigniis, ex Privilegio Apoſtolico, vel alias uti conſueverunt, in Commendam pro tempore obtinentibus, in ipſis Monaſteriis perinde ac ſi illis, ut Abbates præeſſent, mitra, annulo, & baculo Paſtorali, ac aliis Pontificalibus inſigniis hnjuſmodi uti. Nec non ſolemnem benedictionem poſt Miſſarum, Veſperorum, Matutinorum, & aliorum Divinorum Officiorum ſolemnia, ſuper populum tunc intereſſentem (dummodo inibi aliquis Antiſtes, ſeu dictæ Sedis Legatus præſens non ſit, vel ſi præſens fuerit, ad id ejus accedat aſſenſus) elargiri libere, & licite valeant.

VIII. Illique, ac alii omnes, & ſinguli Referendarii, ac alii prædicti, ut duos familiares in rotulo familiarium noſtrorum numeratos habeant, & tam ipſi Referendarii, quam duo annotandi familiares, quoad expeditionem quorumcumque literarum Apoſtolicarum tam gratiam, qnam juſtitiam concernentium, nec non inſtrumentorum, & aliorum quorumcumque gratis ubique in omnibus officiis, tam Cancellariæ, etiam Sollicitatorum literarnm Apoſtolicarum Cameræ Apoſtolicæ, quam in Auditorio Rotæ, & in quibuſvis aliis, Ordinariorum, & extraordinariorum Judicum Tribunalibus abſque alio ſpeciali mandato deſuper expediendo, omni contradictione, & dilatione ceſſantibus, expediant, prout alii familiares continui commenſales noſtri in dicto rotulo deſcripti, & prout cauſarum Palatii Apoſtolici Anditores expedinnt.

IX. Ipſique Referendarii, & eorum ſinguli pro eorum uſu ex Ripa, & Ripetibus noſtræ Urbis ſex vegetes vini communis ſingulis annis gratis ad inſtar Clericorum Cameræ Apoſtolicæ libere extrahere poſſint, indulgemus.

X. Et nihilominus Referendarios, & alios prædictos, ac eorum ſingulos, ac illorum omnia, & ſingula beneficia, & officia Eccleſiaſtica, quæ obtinent, ac in futurum canonice obtinebunt, & in illis pro tempore deſervientes, ac Cappellanos, & familiares, & ſervitores ſuos tam præſentes, quam futuros, & ſua ac illorum bona, quoad vixerint, ab omni juriſ-

riſdictione, correctione, viſitatione, dominio, ſuperioritate, & poteſtate Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Prælatorum, & ordinariorum locorum quorumcumque, illorumque Vicariorum, & Officialium, Locatenentium, & Judicum, etiam a dicta Sede delegatorum, aut ſubdelegatorum quomodolibet nunc, & pro tempore exiſtentium; eoſque in rebus, & bonis illorum propriis dumtaxat, cum eis contrahentes, a ſolutione, & exactione quarumcumque pedagii, gabellæ, bollectarum, decimarum, & cujuſvis alterius oneris tam ordinarii, quam extraordinarii, ubicumque locorum, & ex quacumque cauſſa etiam per Synodales Conſtitutiones impoſiti, vel imponendi, eximimus, & totaliter liberamns, ac ſub Beati Petri, & Sedis prædictæ, atque noſtra protectione ſuſcipimus, nobiſque, & dictæ Sedi immediate ſubjicimus, ac liberos, immunes, exemptos, ſuſceptos, & ſubjectos omnes conſtituimus, & declaramus, & decernimus; ita quod Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati, Ordinarii locorum, eorumque Vicarii, Officiales, Locatenentes, & Judices etiam a Sede prædicta deputati præfati, & alii quicumque etiam ratione delicti contracti, vel rei, de qua ageretur, ubicumque committatur delictum, iniatur contractus, aut res ipſa conſiſtat, nullam in eis, aut aliquem eorum, ac beneficia hujuſmodi, & in illis deſervientes, Cappellanoſque familiares, & ſervitores ſuos, præſentes, & futuros, ac bona prædicta, juriſdictionem, correctionem, viſitationem, dominium, ſuperioritatem, & poteſtatem exercere, aut alias injurias, & damna irrogare, ac excommunicationis, aliaſque ſententias, cenſuras, & pœnas proferre. Nec exactores gabellarum, pedagiorum, decimarum, & onerum hujuſmodi, ad aliquam ſolutionem eos coarctare, aut alii quicumque, cujuſcumque Eccleſiaſticæ, vel mundanæ dignitatis, ſtatus, gradus, conditionis, & præeminentiæ exiſtant, illos ſuper præmiſſis, & illorum uſu, a poſſeſſione, ſeu quaſi etiam ex quocumque crimine vel delicto, præter quam in noſtram, & Romanæ Eccleſiæ offenſam perpetrato, directe, vel indirecte, quovis quæſito colore, vel ingenio moleſtare, aut alias quomodolibet impedire quoquomodo præſumant, aut debeant, ſeu etiam valeant, ſed ſolum Referendarii, deſervientes, Cappellani, familiares, & Servitores præfati coram nobis, & Sede prædicta dumtaxat, de juſtitia reſpondere teneantur. Decernentes quoſcumque proceſſus, ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, quos, & quas per Archiepiſcopos, Epiſcopos, Prælatos, locorum ordinarios, illorumque Vicarios, & Officiales, Locatenentes, & Judices etiam a Sede prædicta delegatos, aut ſubdelegatos, ac alias prædictos, aut eorum aliquos contra Referendarios, & alios infraſcriptos, ac deſervientes, Cappellanos, familiares, & ſervitores præfatos haberi, ſeu promulgari contigerit, & quæcumque inde ſequuta, nulla, irrita, & inania, nulliuſque roboris, vel momenti fore, & eſſe.

XI. Cæterum Referendariis, & aliis prædictis, ac eorum ſingulis, ut literas gratiarum expectativarum cum eis generaliter concedi contigerit, abſque alia Signatura deſuper obtinenda, ad tres collationes per ſingulos eorum eligendas, & totidem beneficia etiam cum creatione in Canonicum quorumcumque trium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, vel Collegiatarum Eccleſiarum ſub expectatione totidem inibi præbendarum, etiam

ma

majorum, & pinguiorum, ac dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum & officiorum, etiam curatorum, & electivorum, ac ferculorum, obligearum, addimentorum, præſtimoniorum, ſeu præſtimonialium portionum, aut ſimplicium beneficiorum, unius, duorum, vel plurium cedentium, vel decedentium ipſarum Eccleſiarum, Canonicorum, ſeu alias in earum Civitatibus, ſeu Diœceſibus beneficiatorum, aut ad tria beneficia Eccleſiaſtica, etiamſi duo illorum cum cura, aut Decanatus, vel Archipresbyteratus rurales, ſeu Vicariæ, vel Cappellaniæ perpetuæ, qui, vel quæ dignitates, etiam curatæ extra tamen Cathedrales Eccleſias repræſententur, aut dignitates, vel perſonatus, ſeu ſingula eorum Canonicatus & præbenda adminiſtratio, vel officium, etiam curatum, & electivum in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis Eccleſiis, aut unum ex eis cum cura, vel ſine cura, cujuſvis Ordinis Regulare, etiamſi Prioratus, Præpoſitura, Præpoſitatus, vel alia dignitas, non tamen Conventualis, perſonatus, adminiſtratio, vel officium, etiam curatum, & electivum, non tamen Clauſtrale, ac illud, vel unum ex ſæcularibus beneficiis hujuſmodi, ex quavis cauſſa diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel per Cancellariæ Apoſtolicæ regulas, aut alias ex quavis cauſa, etiam de neceſſitate exprimenda, præterquam ratione vacationis illius apud Sedem prædictam, aut familiaritatis continuæ Commenſalitatis noſtræ, aut alicujus ex Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus viventibus, & in Romana Curia præſentibus, quorum conſenſus requireretur, generaliter reſervata exiſtant, quorum fructus, redditus, & proventus ducatorum ducentorum auri de Camera, ſecundum taxationem deciniæ, valorem annuum non excedant, ſæcularia videlicet per ipſos in minoribus conſtitutos in titulum, regularia vero in Commendam. Ac tam regularia, quam ſæcularia beneficia hujuſmodi per Præſules Referendarios in commendam retinenda, etiam extra Nationem, in qua idioma non intelligunt, pro eis, & eorum quolibet cum reſervationis, inhibitionis, & decreti, ac aliis clauſulis opportunis expedire, ac in, & ſub illis compræhenſorum quorumcumque cum cura, & ſine cura ſœcularium, & regularium cujuſcumque qualitatis exiſtentium beneficiorum Eccleſiaſticorum aſſecutione, quibuſcumque aliis nullis prorſus, (præter quam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus), exceptis, omnino præferri, pariter & anteferri poſſint, & debeant. Et quævis antelationes, prærogativæ, decreta, declarationes, ſuſpenſiones, & clauſulæ etiam declaratoriæ, quibuſcumque aliis conceſſæ, etiamſi in eis caveretur expreſſe, quod illis per alia privilegia, litteras, & indulta derogari, vel illorum effectus ſuſpendi non poſſent, & in aſſecutione per eas facienda, ſingulis aliis perſonis etiam ſimiles, aut illis majores prærogativas pro tempore proſequentibus, omnino poſſent, & deberent anteferri, quominus ipſi Referendarii in hujuſmodi per eos facienda aſſecutione potiores exiſtant, cuiquam ſuffragentur; abſque tamen præjudicio familiarium continuorum commenſalium noſtrorum deſcriptorum, illorum videlicet, qui pro tempore aſſumptionis noſtræ ad Summi Apoſtolatus apicem noſtri familiares continui Commenſales extiterunt, nec non quinquaginta aliorum poſt ultimum ex ſupradictis antiquis familiaribus deſcriptis annotatorum. Ipſique Referendarii ad ſatisfaciendum Conſtitutioni de publicandis accepta-

ptationibus, & proviſionibus, ac illis intimandis poſſeſſoribus, ſeu eis ad judicium evocandis pro tempore edendis minime teneantur; ſed tantum novam proviſionem a die notitiæ vacationis illorum habere debeant, quæ alias diligentias fieri neceſſarias, ac defectus ſuppleant, indulgemus. Et inſuper cum ſingulis Referendariis, ac aliis prædictis, ut quæcumque quatuor Curata, ſeu alias invicem incompatibilia ſæcularia, aut cum uno, vel duobus, aut tribus ex eis, ſeu abſque illis, unum cum cura, vel ſine cura Sancti Benedicti, vel Sancti Auguſtini, aut cujuſvis alterius, etiam Cluniacen. Ciſtercien. Præmonſtraten. vel Grandimonden. Ordinis Regularis, nec non quæcumque alia tria ſimilia, vel diſſimilia ſub ſingulis tribus tectis quarumcumque trium Eccleſiarum, conſiſtentia beneficia Eccleſiaſtica, etiamſi ſub eiſdem tectis conſiſtentia, Canonicatus, & Præbendas, ac tam illa, quam incompatibilia ſæcularia, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia in Cathedralibus etiam Metropolitanis poſt Pontificales majores, ſeu Collegiatis Eccleſiis hujuſmodi principales, aut tria ex ipſis incompatibilibus, ſæcularibus beneficiis Parochiales Eccleſiæ, vel eorum perpetuæ Vicariæ, regularia vero beneficia hujuſmodi, Prioratus, Præpoſitura, Præpoſitatus, dignitas, perſonatus, adminiſtratio, vel officium, ſeu talia mixtim fuerint. Et ad Prioratum, præpoſituram, præpoſitatum, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia hujuſmodi conſueverint, qui per electionem aſſumi, eiſque cura immineat animarum, ſi eis alias canonice conferantur, aut eligantur, præſententur, vel alias aſſumantur ad illa, & inſtruantur in eis, recipere. Et ſæcularia in titnlum, ac regulare in commendam ſub eiſdem tectis conſiſtentia, videlicet ſi ſingula illorum, Canonicatus, & Præbendæ, aut totidem dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia ad annum a die habitæ per eos illorum pacificæ poſſeſſionis computandum dumtaxat. Si vero alia fuerint illa, ac incompatibilia ſæcularia, nec non regularia beneficia hujuſmodi, qnoad vixerint, retinere, illaque omnia ſimul, vel ſucceſſive ſimpliciter, vel ex cauſſa permutationis, quotiens eis placuerit, dimittere, & eidem Commendæ cedere, ac loco dimiſſæ, vel dimiſſorum aliud, vel alia ſimile, vel diſſimile, aut ſimilia, vel diſſimilia beneficium, vel beneficia Eccleſiaſticum, vel Eccleſiaſtica, quatuor dumtaxat curata, ſeu alias invicem incompatibilia ſæcularia, aut cum uno, vel duobus, ſeu tribus ex eis, aut abſque eis, unum cum cura, vel ſine cura Sancti Benedicti, vel Auguſtini, aut cujuſvis alterius etiam Cluniacen. Ciſtercien. Præmonſtraten. vel Fontiſebrandi Ordinis Regulare, nec non tria alia ſimilia, vel diſſimilia, ſub ſingulis tribus tectis quarumcumque trium Eccleſiarum conſiſtentia ſimiliter recipere. Et inſimul ſæcularia in titulum, ac regulare in Commendam ſub eiſdem tectis conſiſtentia, ſi illorum ſingula Canonicatus, & Præbendæ, ant totidem dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia ad annum, ut præmittitur computandum dumtaxat. Si vero alia fuerint illa, ac incompatibilia ſæcularia, nec non regulare beneficia hujuſmodi, dummodo inter illa omnia, nltra quatnor incompatibilia, & inter ipſa incompatibilia ſæcularia, quam tres Parochiales Eccleſiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, ac poſt dictum annum ſub eiſdem tectis conſiſtentia, duo Canonicatus, & Præbendæ, aut totidem dignitates, perſonatus, admini-

niſtrationes, vel Officia, ac regulare beneficia hujuſmodi dignitas Conventualis, ſeu Officium clauſtrale exiſtant, quoad vixerint, retinere, nec non debitis, & conſuetis ipſius regularis beneficii ſupportatis oneribus, de reſiduis illius fructibus, redditibus, & proventibus, ſicut illud in titulum pro tempore obtinentes, de illis diſponere, & ordinare potuerunt, ſeu etiam debuerunt (alienatione tamen quorumcumque illius bonorum immobilium, & prætioſorum mobilium eis penitus interdicta) diſponere, & ordinare libere, & licite valeant. Quodque ratione quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum curatorum, ſeu alias ſacros etiam Præsbyteratus ordines, etiam ex ſtatuto, fundatione, conſuetudine, privilegio, vel alias requirentium, per eos, & eorum quemlibet, nunc, & pro tempore obtentorum, uſque ad ſeptennium a fine anni a jure præfati computandum, ad aliquem ex dictis ſacris etiam Presbyteratus Ordinibus ſe promoveri, facere minime teneantur, nec ad id a quoquam inviti compelli poſſint, diſpenſamus.

XII. Ipſoſque Referendarios, & alios infraſcriptos, & eorum ſingulos omnium Regnorum, Dominiorum, & Provinciarum legitimos, & naturales, ita quod ipſi, vel Procuratores ſui illorum nomine, in Regnis, Dominiis, & Provinciis hujuſmodi quæcumque, quotcumque, & qualiacunque beneficia Eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura, ſæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia, etiam ut præfertur, qualificata, etiam vigore gratiarum expectativarum, ſpecialium, vel generalium reſervationum, illarumque collationum, mutationum, extenſionum, revalidationum per nos, & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, & Sedem prædictam eis conceſſarum, & concedendarum acceptare, ac de illis ſibi provideri facere, & illa ac ſi Regnorum, Dominiorum, & Provinciarum eorumdem oriundi, ac in illi nati eſſent, recipere, & retinere libere, & licite valeant, creamus, conſtituimus, & deputamus.

XIII. Ac eiſdem Referendariis, & aliis infraſcriptis, ac eorum ſingulis, ut quoad vixerint in dicta Curia, vel aliquo beneficiorum Eccleſiaſticorum per eos pro tempore obtentorum, aut ſi contigerit ipſos per nos, & Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem ad aliquem locum deſtinare, in eo loco reſidendo, aut literarum ſtudio, in loco ubi illud vigeat generale, inſiſtendo, omnes, & ſingulos fructus, redditus, & proventus, quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum per eos in quibuſvis Eccleſiis, ſive locis, nunc, & pro tempore obtentorum, & obtinendorum, etiamſi Canonicatus, & Præbendæ, & alias, ut præfertur, qualificata fuerint, ac perſonalem reſidentiam ex ſtatuto, fundatione, aut conſuetudine requirant, etiamſi fructus, redditus, & proventus unius beneficiorum hujuſmodi, nonniſi in diſtributionibus quotidianis conſiſtant, & aliorum omnium cum ea integritate, (quotidianis diſtributionibus, quoad alia dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperent, ſi in iiſdem Eccleſiis, ſive locis perſonaliter reſiderent, ac primam reſidentiam feciſſent, ac quoad unum ex beneficiis ad reſidendum interim in eiſdem Eccleſiis, ſive locis, in quibus beneficia ipſa fuerint, minime teneantur, nec ad id a quoquam inviti coarctari valeant, percipere.

XIV. Ac reſidendo, ubi ſupra, eiſdem beneficiis Eccleſiaſticis cum cura,

Digitized by Google

ra, & ſine cura, ſæcularibus, & regularibus, quæ in eiſdem Eccleſiis, ſive locis in titulum, vel Commendam, ut præfertur, obtinent, & in poſterum obtinebunt, per Cappellanos, ſeu Vicarios idoneos, ad eorum nutum amovibiles, in Divinis deſerviri, & animarum curam exerceri, & quæcumque Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrari facere libere, & licite valeant, Diæceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita.

XV. Nec non ut aliquem idoneum Presbyterum ſæcularem, vel cujuſvis Ordinis Regularem, in ſuum poſſint eligere Confeſſorem, qui vita eis comite, in caſibus Sedi prædictæ reſervatis (præterquam offenſæ Eccleſiaſticæ libertatis, criminum hæreſis, rebellionis, aut conſpirationis in perſonam, vel ſtatum Romani Pontificis, ſeu Sedem prædictam, falſitatis literarum Apoſtolicarum, ſupplicationum, & commiſſionum, invaſionis, deprædationis, occupationis, aut devaſtationis Terrarum, & Maris Romanæ Eccleſiæ mediate, vel immediate ſubjectorum, offenſæ perſonalis in Epiſcopum, aut alium Prælatum, prohibitionis devolutionis cauſarum ad Romanam Curiam, delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes Infidelium) ſemel dumtaxat in vita, in aliis vero quotiens fuerit opportunum, Confeſſionibus eorum diligenter auditis pro commiſſis eis debitam abſolutionem impendat, & injungat pœnitentiam ſalutarem. Nec non vota quæcumque (ultramarino, viſitationis liminum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Sancti Jacobi in Compoſtella, nec non caſtitatis, & Religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat. Quodque Confeſſor, quem duxerint eligendum, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, etiam ſemel in vita, & in mortis articulo, plenam remiſſionem eis in ſinceritate fidei, unitate dictæ Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia noſtra, & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, perſiſtentium, auctoritate Apoſtolica concedere poſſit. Sic tamen quod idem Confeſſor de his, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam illis per eos, ſi ſupervixerint, vel per alios, ſi forſan tunc deceſſerint, faciendam, injungat, quam ipſi, vel alii facere teneantur.

XVI. Liceatque eis habere Altare portatile ſuper quo in locis ad hoc congruentibus, & honeſtis, ſine juris alieni præjudicio, & cum qualitas negociorum pro tempore ingruentium id exegerit, etiam antequam illuceſcat dies, circa tamen diurnam lucem, ſi forſan eos ad loca Eccleſiaſtico interdicto tam ordinaria, quam Apoſtolica auctoritate ſuppoſita eos declinare contigerit, in illis clauſis januis, non pulſatis campanis, & ſubmiſſa voce, excommunicatis, & interdictis excluſis, in ſua, & familiariorum ſuorum domeſticorum, ac quatuor aliarum perſonarum utriuſque ſexus per eos, & quemlibet eorum eligendarum præſentium, (dummodo ipſi, & illi cauſſam non dederint interdicto, aut eis, vel illis contigerit ſpecialiter interdici) poſſint per ſe ipſos, qui Presbyteri fuerint, aut proprium, vel alium Sacerdotem idoneum, Miſſas, & alia Divina officia celebrare, ſeu celebrari facere, nec non tempore interdicti hujuſmodi Divinis intereſſe, ac Eccleſiaſtica Sacramenta recipere, & ipſis dicto tempore decedentibus, eorum corpora Eccleſiaſticæ, etiam cum funerali pompa, tradi poſſint ſepulturæ.

XVII. Nec non ſingulis Quadrageſimalibus, & aliis temporibus, & diebus ſtationum Baſilicarum, & Eccleſiarum Almæ Urbis, & extra muros ejus, duas Eccleſias, vel duo, aut tria Altaria, unius, vel diverſarum Eccleſiarum in locis, ubi ipſos, & eorum ſingulos pro tempore eſſe contigerit per ſingulos pro tempore eligendos, ſeu eligenda, viſitando, omnes, & ſingulas indulgentias, & peccatorum remiſſiones conſequantur, quas conſequerentur ſi eiſdem temporibus, & diebus, ſtationum Baſilicas, & Eccleſias Urbis hujuſmodi, & extra muros ejus ad id deputatas perſonaliter viſitarent.

XVIII. Ac eiſdem Quadrageſimalibus, & aliis temporibus, quibus eſus carnium, ovorum, caſei, & lacticiniorum de jure, vel conſuetudine eſt prohibitus, eiſdem ovis, caſeo, butyro, & aliis lacticiniis, ac de utriuſque Medici conſilio, carnibus, abſque conſcientiæ ſcrupulo uti, frui, & veſci.

XIX. Nec non etiam quoad vixerint, & quoties eis placuerit, per ſe ipſos, aut cum uno, vel duobus amicis, ſeu familiaribus ſuis per eos pro tempore eligendis, horas Canonicas diurnas pariter, & nocturnas, ac alia Divina officia ſecundum uſum, & morem dictæ Romanæ Eccleſiæ dicere, & recitare libere, ac licite valeant, & ad alium uſum ſuper hoc obſervandum minime teneantur, nec ad id a quoquam, etiam ratione quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum per eos pro tempore obtentorum, inviti compelli poſſint, etiam indulgemus. Et ulterius Referendarii, & alii infraſcripti, ac eorum ſinguli utriuſque ſexus Parochianos Parochialium Eccleſiarum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcumque per eos, & eorum ſingulos nunc, & pro tempore obtentorum, ad eos Confeſſionis audiendæ cauſſa pro tempore confluentium confeſſionibus illorum per eos diligenter auditis, a quibuſvis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, in omnibus, & ſingulis caſibus, in quibus Ordinarii locorum de jure, vel conſuetudine abſolvere poſſunt, quotiens opportunum fuerit, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, abſolvere, & eis pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem injungere.

XX. Nec non ut de omnibus, & ſingulis bonis mobilibus, & ſemoventibus, ac immobilibus ubilibet conſiſtentibus, nec non juribus, & actionibus, quæ ad eos, & eorum quemlibet, etiam Archiepiſcopos, vel Epiſcopos, etiam ratione ſuarum, quibus præeſſe dignoſcuntur, ac aliarum Cathedralium Eccleſiarum, etiam Metropolitanarum, ad quas eos transferri contigerit, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum Sæcularium, & Regularium quorumcumque obtentorum, & obtinendorum quomodolibet pertinent, & pertinebunt, acquiſitis, & acquirendis, prout Auditores Curiæ cauſarum Palatii Apoſtolici ex Privilegio Apoſtolico, eis per nonnullos Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, & præſertim præfatum Julium Prædeceſſorem per ejus litteras, quas nos vidiſſe, tenuiſſe, & legiſſe etiam motu ſimili atteſtamur, etiam cum expreſſis Clauſulis derogatoriarum derogatoriis conceſſo, vel alias diſponere, erogare, teſtari, codicillari, & convertere poſſint tam in vita, quam eorum ultima voluntate, aut alio quocumque tempore, ac inter conſanguineos, & alias quaſ-

quaſcumque perſonas, etiam non notas, & loca etiam cauſſa mortis, aut donationis inter vivos, nec non pro expenſis funerum, & remuneratione illorum, qui eis viventibus ſervierint, diſponere, erogare, teſtari, codicillari, & ordinare, ac illa alios in pios, & quoſcumque alios licitos uſus, prout videbitur expedire, convertere, abſque aliquo conſcientiæ ſcrupulo, libere, & licite valeant.

XXI. Et demum eis, & illorum ſingulis beneficia Eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura, Sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia, quæ etiam ex quibuſvis conceſſionibus, & diſpenſationibus Apoſtolicis in titulum, & Commendam, ac ut invicem, ſeu aliis beneficiis ad eorum vitam unita obtinent, & inpoſterum obtinebunt, ſimul, vel ſucceſſive, ſimpliciter, aut pro alio, vel aliis ſimili, vel diſſimili, aut ſimilibus, vel diſſimilibus, beneficio, ſeu beneficiis Eccleſiaſtico, vel Eccleſiaſticis cum quibuſvis perſonis ſecum permutare volentibus ex cauſſa pemutationis hujuſmodi, in qua tamen nulla illicita pactio, ſive ſimoniaca gravitas interveniat, in Ordinariorum locorum, aut Canonicorum Metropolitanarum, vel aliarum Cathedralium Eccleſiarum, ſeu aliarum perſonarum in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutarum, ad id per eos, vel Procuratores ſuos legitimos, eligendorum, ſeu eligendarum manibus extra Romanam Curiam præfatam, ejuſdem Apoſtolicæ Sedis, ſeu cujuſvis alterius licentia ſuper hòc minime requiſita, quotiens eis placuerit, reſignandi, & Commendis cedendi, nec non unionum hujuſmodi diſſolutioni conſentiendi ipſis Ordinariis, Canonicis, & perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, reſignationes ab eiſdem Referendariis, & aliis infraſcriptis ſimpliciter, vel ex eadem cauſſa, & ab ipſis compermutantibus perſonis ex dicta cauſa dumtaxat, & Commendarum ceſſiones extra eandem Curiam recipiendi, & admittendi, unioneſque hujuſmodi diſſolvendi, nec non ea, quæ ipſi Referendarii, & alii infraſcripti ſimpliciter reſignaverint, ſeu quorum Commendis ceſſerint, aut unionum diſſolutioni conſenſerint, idoneæ, vel idoneis ad id per eos, ſeu Procuratores prædictos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, & expectantibus, & quæ ex eadem cauſa ſecum permutantibus perſonis. Quæ vero ipſæ compermutantes perſonæ reſignaverint, beneficia hujuſmodi, etiamſi, ut præfertur, qualificata, & per eos pro tempore obtenta, ex perſonis ipſorum Referendariorum, & aliorum infraſcriptorum, vel quavis alia cauſa diſpoſitioni Apoſtolicæ generaliter reſervata, ſeu ex generali reſervatione Apoſtolica affecta fuerint (dummodo prioratus, vel alia dignitas Conventualis, aut in Metropolitana, vel aliis Cathedralibus poſt Pontificales majores, ſeu Collegiatis Eccleſiis hujuſmodi principales, ac compermutantium perſonarum ſimilem facultatem non habentium, beneficia hujuſmodi diſpoſitioni Apoſtolicæ generaliter reſervata, ſeu affecta non exiſtant) eiſdem Referendariis, & aliis infraſcriptis, per eos, quoad vixerint juxta tenorem diſpenſationum, eis pro tempore conceſſarum, in titulum, vel Commendam tenenda, conferendi, & de illis etiam providendi, omniaque, & ſingula alia in præmiſſis, & circa ea, neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna faciendi, & exequendi, etiam ſi dicti Referendarii beneficiorum hujuſmodi poſſeſſionem per quatuor menſes non obtinuerint, aut illam

Bb 2 non-

nondum aſſecuti fuerint , plenam , & liberam facultatem concedimus .

XXII. Decernentes ſemel admiſſum , & receptum in Referendarium, hactenus , & in futurum ſemper Referendarium exiſtere , ac ejus officium , quoad vixerit , durare , & privilegiis aliis Referendariis conceſſis pro tempore gaudere , & inter illos primo quandocumque admiſſum , cæteris quacumque , etiam Pontificali dignitate fungentibus in officio Referendariatus hujuſmodi præferri .

XXIII. Sicque pro præmiſſorum omnium validitate , efficacia , & obſervatione per quoſcumque Judices , & Commiſſarios , etiam cauſarum Palatii hujuſmodi Auditores , ſublata eis , & eorum cuilibet , quavis aliter ſententiandi , judicandi , interpretandi facultate , ſententiari , judicari , interpretari , & diffiniri debere , nec non irritum , & inane quicquid deſuper per quoſcumque quavis auctoritate ſcienter , vel ignoranter contigerit , attentari .

XXIV. Quo circa Venerabilibus Fratribus noſtris , Archiepiſcopo Sipontino , & Epiſcopo Nuſcano , ac dilecto filio Vicario Venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Mediolanenſis in ſpiritualibus generali , tenore præſentium committimus , & mandamus , quatenus ipſi , vel duo , aut unus eorum per ſe , vel alium , ſeu alios , præſentes literas , & in eis contenta quæcumque ubi , & quando opus fuerit , ac quoties pro parte Referendariorum , & aliorum infraſcriptorum prædictorum deſuper fuerint requiſiti , ſolemniter publicantes , eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes , faciant auctoritate noſtra , præſentes literas , & in eis contenta quæcumque firmiter obſervari , ac per Referendarios , & alios infraſcriptos , nec non ſingulos alios , quos ipſæ præſentes literæ concernunt , illis omnibus pacifice gaudere , ac fructus , redditus , & proventus prædictos eiſdem Referendariis , & aliis infraſcriptis , juxta hujuſmodi noſtræ conceſſionis de illis in abſentia percipiendis , continentiam , & tenorem , integre miniſtrari . Non permittentes eos per Archiepiſcopos , Epiſcopos , Prælatos , Ordinarios , Vicarios , Officiales , Locatenentes , Judices , & exactores præfatos , ac dilectos filios Eccleſiarum prædictarum Capitula , ſeu quoſcumque alios quacumque auctoritate fungentes contra præmiſſa , vel eorum aliquod , aut præſentium tenorem , quomodolibet moleſtari , inquietari , perturbari , aut ad reſidendum in eiſdem Eccleſiis , ſive locis compelli . Contradictores , moleſtatores quoslibet , & rebelles per cenſuras , &c. non obſtantibus &c.

XXV. Volumus autem quod incompatibilia ſœcularia , & ſub eiſdem tectis conſiſtentia , ac ſacros Ordines requirentia , & alia ſœcularia , nec non Regularia beneficia hujuſmodi , debitis propterea non fraudentur obſequiis , & animarum cura in eis , quibus illa imminebit , nullatenus negligatur , ſed in eis , quorum fructus hujuſmodi ipſos Referendarios , & alios infraſcriptos , in abſentia percipere contigeret , per bonos , & ſufficientes Vicarios , quibus de ipſorum beneficiorum proventibus neceſſaria congrue miniſtrentur , & diligenter exerceatur , & inſerviatur inibi laudabiliter in divinis . Ac ſub eiſdem tectis conſiſtentium conſueta , & regularia beneficiorum prædictorum antedicta onera congrue ſupportentur . Ac quod ipſi Referendarii , & alii infraſcripti , infra dictum annum duo ex tridus Præben-

bendis, aut totidem dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus, vel officiis ſub eiſdem tectis conſiſtentibus, quæ maluerint, pro aliis beneficiis cum retentis Canonicatibus permutare, alioquin illa duo, quæ primo aſſecuti fuerint, ex tunc, dicto anno elapſo, vacare decernimus, dimittere omnino teneantur.

XXVI. Et ne, quod abſit, Referendarii ipſi propter hujuſmodi gratiam, vel conceſſionem eligendi Confeſſorem, reddantur procliviores ad illicita in poſterum committenda, etiam volumus, quod ſi a ſinceritate fidei, unitate dictæ Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia, & devotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum canonice intrantium, deſtiterint, aut ex confidentia ejuſdem conceſſionis, vel remiſſionis, aliqua forſan commiſerint, conceſſio, & remiſſio prædictæ, & quoad illas dumtaxat, præſentes literæ eis nullatenus ſuffragentur.

XXVII. Quodque indulto celebrandi, ſeu celebrari faciendi ante diem parce utantur, quia cum in Altaris miniſterio immoletur Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei filius, qui candor eſt lucis æternæ, congruit hoc non noctis tenebris fieri, ſed in luce.

XXVIII. Ac quod dum eoſdem Referendarios Divinis Officiis in aliquibus Eccleſiis contigerit intereſſe illum morem, qui in eiſdem Eccleſiis obſervabitur circa hujuſmodi horas Canonicas dicendas ſtudeant obſervare.

XXIX. Nec non ut in eorundem Eccleſiaſticorum diſpoſitione bonorum juxta quantitatem reſidui erga Eccleſias, a quibus eadem perceperint, ſe liberales exhibeant, prout conſcientia eis dictaverit, & animarum ſuarum ſaluti viderint expedire. Quodque ſi ſingulorum beneficiorum prædictorum ſimpliciter reſignandorum, ſeu quorum Commendis dicti Referendarii, & alii infraſcripti ceſſerint, aut diſſolutioni unionum conſenſerint, fructus, redditus, & proventus viginti quatuor florenorum auri de Camera ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum excedant, conferentes & illi, quibus conferentur, etſi ex dicta cauſa reſignationis hujuſmodi fiant, ac ſuorum, & eis ex eadem cauſa collatorum beneficiorum hujuſmodi, fructus, redditus, & proventus inæquales majoris valoris fuerint, etiamſi ipſa æqualitas viginti quatuor florenorum ſimiles, ſecundum æſtimationem prædictam non tranſcendat, ſimiliter conferentes prædicti, & illi, quibus beneficia majoris valoris hujuſmodi collata fuerint, de nominibus, & cognominibus perſonarum, & beneficiorum eorumdem, ac diebus factarum collationum hujuſmodi, gentes Cameræ Apoſtolicæ, aut Collectores, vel Subcollectores fructuum, & proventuum eidem Cameræ debitorum in partibus illis pro tempore deputatos, infra unius, ſi citra, & tres menſes, ſi ultra montes, collationes ipſæ factæ fuerint juxta Sixti IV. & Innocentii VIII. prædictorum ſuper hoc editas literas certificare procurent, alioquin beneficia ipſa ſic collata vacare cenſeantur eo ipſo.

XXX. Verum quia difficile foret, præſentes literas ad ſingula, in quibus de eis fides forſan facienda foret, loca deferre, ſimiliter volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod ipſarum tranſumptis mann Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo alicujus Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, munitis, eadem prorſus fides in judicio,

& ali-

& alibi, ubi opus fuerit, adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris, die trigeſima Julii milleſimo quingenteſimo quadrageſimo, Pontificatus noſtri Anno ſexto.

Præfinitio numeri, & qualitatum Prælatorum Referendariorum utriuſque Signaturæ Romani Pontificis cum Privilegiorum conceſſione.

SIXTUS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

I. Quemadmodum providus agricultor ad uberiorem ejus futuram frugem temporum vices ſollicite obſervat, arbores ordine diſponit, & ne illarum vires latius diffuſæ evaneſcant, nimiam frondium, ramorumque frequentiam, comprimit, & reſecat, ac ibidem inordinata, & indiſpoſita, ſi quæ ſint, ad meliorem formam reducere ſatagit; ita nos agri Dominici curæ ſuperna diſpoſitione præpoſiti, efficacem, & fructuoſam operam in illius cultura impendere credimus, cum ad ea vigilantiæ noſtræ ſtudium ſedulo convertimus, per quæ hujus Sedis Apoſtolicæ dignitates, & officia, præſertim noſtram gratiæ, & juſtitiæ Signaturam concernentia, tamquam feraces plantæ in ipſo agro Dominico conſitæ, utili, & commoda rerum diſpoſitione ſalubriter dirigantur, & ex eorum adminiſtratione ſperati fructus ad Dei gloriam, & illius gregis utilitatem, dictæque Sedis decorem majori in dies cum fœnore proveniant; abuſus vero, qui in illis paſſim, abſque perſonarum delectu, conferendis irrepſerunt, reſectis, & veluti putatis ramis ſterilibus de medio ſubmoveantur. In quam curam, cogitationemque pro officii noſtri debito incumbentes, opportunum, immo neceſſarium eſſe cenſemus, ut ad ejuſdem Signaturæ tam gratiæ, quam juſtitiæ miniſteria, nonniſi cognitæ, & ſpectatæ virtutis viri aſſumantur, & proinde illius Referendariorum cœtus nimia præteritorum temporum indulgentia, & quorumdam inſtantia ſupra modum, non ſine priſtinæ ſuæ dignitatis diminutione, adauctus, reſecata illorum multitudine ad certum determinatum numerum, inque compoſitum ordinem redigatur ne multitudo ipſa rebus gerendis confuſionem, & impedimentum afferat, & ſpes uberioris fructus, quæ in eorum muneribus rite, & fideliter obeundis poſita eſſe debet, Nos, atque ipſos fruſtretur.

II. Itaque opportuna circa hæc remedia adhibere volentes, motu proprio &c. & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus deinceps in Referendarium alterutrius Signaturæ prædictæ, etiam cedentibus, vel decedentibus, aut alias deficientibus, qui nunc ſunt ex Referendariis præfatis, omnino admittatur, donec, & quouſque omnium Referendariorum hujuſmodi numerus imminutus, & ad centum dumtaxat reductus fuerit. Illo autem ſic reducto, & imminuto, præſcriptus centenarius numerus Referendariorum hujuſmodi nullo umquam tempore au-

augeatur; ſed neque inter hos omnes ultra ſeptuaginta Signaturæ gratiæ Referendarii eſſe poſſint.

III. Nec ullus numero, & conſortio Referendariorum juſtitiæ de cætero adſcribatur, niſi ſit ex legitimo matrimonio, honeſtiſque parentibus procreatum, & Clericali charactere inſignitus, ac utriuſque, vel alterius jurium Doctor in aliqua ſtudii generalis nuiverſitate promotus, & in Romana Curia habitu, & tonſura Clericalibus incedendo per biennium verſatus, vitæque integritate, ac morum probitate commendatus, & ſaltem in 25. ætatis ſuæ annis conſtitutus, habeatque in bonis temporalibus, vel beneficiis Eccleſiaſticis, unde in ipſa Curia dignitatis ſuæ gradum valeat decenter ſuſtinere.

IV. Porro antequam ad ipſius admiſſionem procedatur per ejuſdem Signaturæ juſtitiæ Præfectum, vocatis, & congregatis ad id ſex antiquioribus Referendariis, ſecreto examinari, & ad hunc effectum ſaltem binas, ſupplicationes, ſeu commiſſiones ſibi ab ipſo Præfecto ex tempore porrectas proponere debeat. Quod ſi collectis Præfecti, & ſex antiquiorum Referendariorum præfatorum ſuffragiis, ſuper quibus eorum conſcientiam oneramus, taliter in hujuſmodi propoſitione ſe habuerit, ut relatione ſuper hoc per dictum Præfectum nobis, aut pro tempore exiſtenti Romano Pontifici facta, meruerit commendari, & approbari tunc, & non alias in Referendarium ejuſdem Signaturæ juſtitiæ admittatur, præſtito prius per eum in manibus ejuſdem Præfecti ſolito juramento.

V. Ad Signaturam vero gratiæ nemini pateat aſcenſus, niſi ſaltem triennio in Signatura juſtitiæ fuerit laudabiliter verſatus, exceptis dumtaxat cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, & Cameræ Apoſtolicæ Clericis, quorum quiſque ad utramque Signaturam quovis tempore aſciſci valeat.

VI. Inſuper, quod eidem Signaturæ gratiæ ſemper decem, & octo Referendarii in Curia præſentes, nec legitimo impedimento detenti, duodecim videlicet antiquiores, penes quos ſententiæ dicendæ in ipſa Signatura gratiæ ſuo quiſque loco, & ordine facultas exiſtit, & alii tres, quibus onus libellos ſupplices proponendi incumbit, reliqui vero tres ſucceſſive propoſituri, nec non Theſaurarius Generalis, & etiam Generalis Auditor Cauſarum Curiæ dictæ Cameræ, ac unus ex Palatii Apoſtolici Auditoribus, & unus ex ejuſdem Cameræ Clericis alternatis vicibus, item noſtri in Urbe Vicarii, & cauſſarum Curiæ præfatæ Auditoris Locatenentes, nec non Secretarius Apoſtolicus, ac in eadem Signatura gratiæ proponendi munus a Referendariorum Decano ad cæteros omnes per turnum juxta ſuæ cujuſque receptionis, & admiſſionis ordinem deducatur.

VII. In Signatura vero juſtitiæ circa rationem proponendi ibidem ſervari ſolitam, nihil ducimus innovandum.

VIII. Ne autem quo quiſque tempore in Signatura, tam juſtitiæ, quam gratiæ ſit admiſſus, hæſitari contingat, ſinguli Referendarii nunc exiſtentes, quibus ſuum cuique locum, & ordinem ſalvum, & illæſum eſſe volumus, intra tres menſes a data præſentium computandos, alii vero in futurum admittendi, ante cujuſque eorum admiſſionem, literas Apoſtolicas ſub plumbo ſuper conceſſione ſui officii Referendariatus hujuſmodi expedire teneantur, quæ noſtri, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis Da-

ta-

tarii manu ſubſcriptæ eandem prorſus roboris firmitatem obtineant; quam obtinerent ſi juxta ſtylum Cancellariæ Apoſtolicæ, ſeu dictæ Cameræ per omnes, & ſingulos Officiales, & alios, ad quos literarum Apoſtolicarum expeditio pertinet, rite, & legitime forent expeditæ.

IX. Cœterum, ut Referendarii præfati ad ſuſcipiendos pro dicta Sede labores eo promptiores reddantur, quo exinde ſpiritualibus, & temporalibus gratiis ſe cognoverint uberius eſſe refertos, omnes, & ſingulos nunc, & pro tempore exiſtentes Referendarios utriuſque, vel alterius Signaturæ hujuſmodi in noſtros & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis familiares, continuos commenſales gratioſe recipimus, & ab omni juriſdictione Ordinariorum locorum quorumcumque eximimus, & totaliter liberamus, ac nobis, & dictæ Sedi immediate ſubjicimus, nobilitatiſque titulo decoramus, ac veros, & indubitatos familiares, continuos commenſales noſtros, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis, ut præfertur, liberos, exemptos, & nobiles eſſe, ſeque tales in quibuſcumque Apoſtolicis, & aliis literis, ſcripturis, & actibus tam publicis, quam privatis ſcribere, & nominare, ac ab aliis inſcribi, & nominari debere, decernimus, & declaramus; eiſdemque Referendariis nunc & pro tempore exiſtentibus, in ſignum honoris, & veræ nobilitatis, inſignia noſtra gentilitia, una cum ſuis armis, & inſigniis geſtare, ac omnibus, & ſingulis privilegiis, præeminentiis, indultis, immunitatibus, honoribus, & gratiis, quibus alii veri, & indubitati nobiles ex nobilium, etiam illuſtrium genere, ex utroque parente procreati tam in judicio, quam extra, ubicumque locorum de jure, vel conſuetndine, ac alias quomodocumque utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſint, & poterunt quomodolibet in futurum in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi de nobilium, etiam illuſtrium genere, vere, & non ficte procreati, & geniti forent, uti, & potiri, & gaudere.

X. Nec non in Monaſteriis per eos in Commendam pro tempore obtentis, quorum præteriti Abbates mitræ, & aliis Pontificalibus inſigniis ex privilegio Apoſtolico, aut alias uti conſueverunt etiam mitra, annulo, & baculo, cæteriſque Pontificalibus inſigniis, & ornamentis perinde ac ſi eiſdem Monaſteriis tamquam Abbates præeſſent, etiam uti, nec non poſt Miſſarum, & aliorum Divinorum officiorum ſolemnia populo tunc intereſſenti ſolemni more, dummodo inibi præſens non ſit aliquis Antiſtes, ſeu dictæ Sedis Legatus, aut ſi præſens fuerit, ad id ejus accedat aſſenſus, benedicere, libere, & licite valeant.

XI. Nec non aliquem idoneum Presbyterum ſœcularem, vel cujuſvis Ordinis Regularem, ab Ordinario approbatum in ſuum poſſint eligere Confeſſorem, qui omnium peccatorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, ſemel in vita, & in mortis articulo plenariam remiſſionem, & indulgentiam eis ſacra Communione refectis, & in catholicæ Fidei ſinceritate, Romanæque Eccleſiæ unitate, ac Romani Pontificis canonice intrantis obedientia perſeverantibus, dicta auctoritate concedere poſſit.

XII. Liceatque eiſdem Referendariis, ubi negotium, & temporum ratio expoſtulabit, Miſſas antequam eluceſcat dies, circa tamen auroram, nec non ſi forſan ad loca, Eccleſiaſtico interdicto, tam ordinaria, quam

Apo-

Digitized by Google

Apoſtolica auctoritate ſuppoſita, eos declinare contigerit, in illis ſubmiſſa voce, clauſis janui, & non pulſatis campanis, ac excommunicatis, & interdictis excluſis in ſua familiariumque ſuorum domeſticorum, & trium aliarum perſonarum, eorum arbitrio eligendarum, præſentia, dummodo ipſi & qui præſentes fuerint cauſam non dederint interdicto, neque eis ſpecialiter interdictum fuerit; ſimiliter Miſſas, & alia Divina officia per ſe ipſos ſi Presbyteri fuerint, vel per proprium, aut alium idoneum Sacerdotem ab Ordinario approbatum celebrare, & celebrari facere, illaque audire, & eis intereſſe; nec non tempore interdicti hujuſmodi ſacram Euchariſtiam & cœtera Sacramenta recipere; ipſiſque dicto tempore decedentibus eorum corpora Eccleſiaſticæ ſepulturæ, etiam cum funebri pompa Chriſtiano ritu tradi poſſunt.

XIII. Nec non Quadrageſimali, & aliis temporibus, ac diebus ſtationum Baſilicarum, & Eccleſiarum dictæ Urbis & extra ejus muros, ſi in iis locis in quibus eos etiam Romæ eſſe contigerit, duas Eccleſias, aut unius, vel diverſarum Eccleſiarum eorum arbitrio eligendas, viſitaverint, ac ibidem Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ſaltem ter devote recitaverint, omnes, & ſingulas indulgentias, & peccatorum remiſſiones conſequantur, quas conſequerentur, ſi eiſdem temporibus, & diebus ſtationum, Baſilicas, ac Eccleſias Urbis, & extra ejus muros hujuſmodi, ad id deputatas perſonaliter viſitaſſent.

XIV. Eiſdem quoque Quadrageſimali, & aliis temporibus, quibus eſus carnium, ovorum, & lacticiniorum uſus de jure, vel conſuetudine eſt prohibitus, eiſdem carnibus, ovis, & lacticiniis de conſilio utriuſque Medici, ac ſecretò, & ſine ſcandalo uti, & veſci libere, & licite valeant, dicta auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

XV. Præterea Conſtitutiones fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Statutum, ad eoſdem Referendarios nunc, & pro tempore exiſtentes, extendimus. Ita ut ipſi omnes ſint, & eſſe cenſeantur Eccleſiaſtica dignitate præditi, & juxta diſpoſitionem Conſtitutionis hujuſmodi qualificati, etiam ad hoc, ut in eorum, tamquam perſonarum in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutarum, manibus, penſiones ab eis, qui ſufficienti ad hoc facultate ſuffulti fuerint, transferri valeant, ac translationes penſionum ab ipſis faciendæ hujuſmodi validæ, & efficaces exiſtant, ſuoſque effectus ſortiri debeant.

XVI. Decernentes, præſentes literas nullo umquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, aut in jus, vel controverſiam revocari, ne ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, validaſque, & efficaces eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, ac ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit obſervari, ſicque per quoſcumque Judices Ordinarios, vel delegatos, etiam cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & ina-

inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

XVII. Quocirca univerſis, & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, nec non dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & quibuſvis aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica, & ubicumque locorum conſtitutis, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, aut quoties pro parte Referendariorum prædictorum, vel alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari, ipſoſque Referendarios, ac eorum ſingulos illis pacifice frui, & gaudere, non permittentes, eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione poſtpoſita, compeſcendo, nec non legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

XVIII. Non obſtantibus præmiſſis, ac præfati Bonifacii prædeceſſoris, de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, nec non Lateranenſis etiam noviſſime celebrati, & præfati generalis, & aliorum Conciliorum, ac piæ mem. Innocentii IV. Sixti etiam IV. Innocentii VIII. Pauli II. & quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum contra exemptos editis, nec non Pii IV. ſimiliter prædeceſſoris noſtri de gratiis intereſſe dictæ Cameræ concernentibus, in eadem Camera regiſtrandis, aliiſque Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, nec non Cameræ præfatæ, & Eccleſiarum, Monaſteriorum, & locorum quorumcumque etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, illis eorumque Præſulibus, Capitulis, Abbatibus, Conventibus, & perſonis, nec non præfatis locorum Ordinariis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & dictam Sedem ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus, & aliis decretis in genere vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet, etiam iteratis, & multiplicatis vicibus conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenoris hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſ-

Digitized by Google

omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, & ad effectum præmiſſorum omnium harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus; aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

XIX. Verum quia difficile foret, præſentes literas ad ſingula loca, in quibus de eis fides forſan facienda foret, deferre, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod ipſarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo alicujus Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & alibi, ubi opus fuerit, adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli &c.

Datum Romæ 10. Kal. Octobr. Anno a Nativitate Domini 1586. Indictione 14. die vero 16. Menſis Octobris Pontificatus Sanctiſs. D. N. D. Sixti divina providentia Papæ V. Anno ſecundo.

Reformatio Referendariorum Signaturæ Juſtitiæ Romani Pontificis, & Ordinationes a Judicibus Romanæ Curiæ obſervandæ.

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei memoriam.

I. Cum nuper nos generali Officiorum, & Tribunalium Romanæ Curiæ pro abuſibus extirpandis, ac univerſali in ea litigantium commoditate reformationi intenderimus, & providerimus, cupientes eorumdem litigantium indemnitati in totum conſulere, ac ut celerius lites terminentur providere, valde opportunum, imo neceſſarium eſſe cenſuimus, etiam Signaturam Juſtitiæ, a qua plerumque hi, qui lites in longum protrahere, alioſque diutius, & gravioribus impenſis defatigare quærunt, cavillationibus, & verſutiis diverſa reſcripta, aut ſuperflua, aut dilationem inducentia extorqueant, reformare; idcirco pro illius reformatione viſis, & etiam mature diſcuſſis nonnullis per dilectos filios Referendarios noſtros adnotatis, & coram nobis etiam in præſentia nonnullorum, ex Venerabilibus Fratribus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus propoſitis, de eorumdem, ac cæterorum Fratrum noſtrorum conſilio, ac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus.

II. Quod nullus ex dictis Referendariis propoſitas, & rejectas in Signatura gratiæ coram nobis proponere audeat, niſi talis ſit materia, quæ ſcientiam noſtram requirat, aut quæ per Signaturam Juſtitiæ ad eamdem Signaturam gratiæ remiſſa fuerit.

III. Nec in antiquis, ac arduis materiis, in quibus plures hinc inde expeditæ fuerint commiſſiones, & in avocatoriis a prioribus Judicibus, & quovis modo præjudicialibus, manum apponere, niſi ipſius citata coram eo parte intereſſe habente.

IV Et cum agitur de revocatione, aut moderatione alicujus præinſertæ

tæ ſimilem manum non apponat, niſi in præinſerta appoſitum ſit nomen Referendarii, qui illi manum appoſuit, ut rationem reddere, & eam juſtificare poſſit. Nec etiam reformatio, ſive moderatio ejuſdem præinſertæ ab habente Signaturam Juſtitiæ, niſi nomen Referendarii, ut præmittitur in ipſa præinſerta appoſitum fuerit, aliquo modo ſignetur.

V. Minus in commiſſionibus appellationum ab Interlocutoriis, niſi expreſſo relevanti gravamine; nec cum appellatur a diffinitiva, aut cum clauſula, aut vim diffinitivæ habente, niſi res adeo exprimatur, ut videat Referendarius, an tale ſit gravamen, quod per diffinitivam reparari non poſſit. Et ſi in commiſſione appoſita fuerit clauſula cum toto negotio principali, tunc addatur juſtificato tamen dicto gravamine.

VI. Abſtineant ulterius Referendarii ab appoſitione manuum in commiſſionibus nullitatum, & attentatorum, niſi exprimantur nullitates ex defectu juriſdictionis, citationis, vel mandati, & ipſa attentata; & pariter in illis, in quibus narratur pronunciatum fuiſſe prout in Cedula.

VII. Nec etiam manum apponat in commiſſionibus fatalium, niſi in quibus prima vice ipſa prorogatio petitur; illas vero commiſſiones, in quibus pro ulteriori prorogatione ſupplicatur in noſtra Signatura gratiæ proponant.

VIII. Cauſæ criminales, & matrimoniales, non inferioribus Epiſcopis, & in terris Eccleſiæ cauſſæ criminales Clericorum in ſacris conſtitutorum Ordinario, reliquorum vero Clericorum, & Laicorum, locorum Gubernatoribus comittantur.

IX. Et ut lites, quantocitius fieri poſſit, ac minori partium diſpendio expediantur, decernimus, quod quilibet Judex, cui cauſſæ reſtitutionis in integrum, nullitatis, & attentatorum, de cætero committentur, poſſit abſque ſpeciali commiſſione præfigere terminum ad docendum de cauſis reſtitutionis, ac de ipſius nullitatibus, ſeu attentatis, & eo lapſo, & non docto, ad negotii principalis expeditionem procedere.

X. Similiter quilibet Judex in quibuslibet cauſis coram eo introductis, & introducendis, & etiam Auditor Rotæ in cauſſis extra Rotam commiſſis, poſſint omnes terminos ſubſtantiales in vim commiſſionis a fel. rec. Innoc. Papa VIII. prædeceſſore noſtro, quam ad omnes Judices, etiam Auditores in cauſis præmiſſis tenore præſentium extendimus, abſque alia ſpeciali commiſſione reiterare.

XI. Quodque ab exceſſiva taxatione expenſarum ſemel tantum appellatio committatur, & duæ ſententiæ habeant vim trium.

XII. Cauſſæ diſcuſſionum inter creditores, & hæredes defuncti, de cujus bonis inter ipſos creditores agitur, intra tres menſes quoad præſentes, quoad abſentes vero citra montes intra ſex menſes, ultra autem intra novem expediantur, & nullo modo, niſi ex magna cauſa, & per Signaturam noſtram gratiæ inſtantia prædicta prorogetur.

XIII. Et a die obitus debitoris intra duos menſes hæredes præſentes, abſentes autem citra montes intra quatuor, ultra montes vero intra ſex Inventarium conficere, & an velint hæreditatem adire, deliberare teneantur.

XIV. Et interim Judices, coram quibus cauſſas diſcuſſionis hujuſmodi pendere contigerit, bona ipſius debitoris defuncti, vel decoctoris debitoris cre-

creditoribus, habentibus credita eorum liquida, interim recepta idonea cautione de reſtituendo habentibus priora, & potiora, & contribuendo habentibus æqualia jura conſignari, mandent, & faciant.

XV. Si quis autem conſtitutioni noſtræ hujuſmodi in aliquo contravenerit indignationis noſtræ, ac alias arbitrii noſtri pœnas incurrat. Et nihilominus commiſſiones contra tenorem præſentium ſignatæ nullius ſint roboris, ac momenti, ac per præoccupationem extortæ cenſeantur, illiſque Judices, quibus ea præſentare contingat, & minime parere teneantur; ſicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

XVI. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque.

XVII. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ Sanctionis, & Decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1562. Kal. Julii Pontificatus Noſtri Anno III.

Breve ſuper Officio Acolytorum Apoſt. collato Votantibus Signaturæ Juſtitiæ.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

I. NUper certis ex cauſis tunc expreſſis omnia, & ſingula officia Subdiaconorum, & Acolytorum Apoſtolicorum nuncupatorum ſuppreſſimus, & abolevimus una cum eorum Collegiis, juribus, prærogativis, & emolumentis quibuſcumque, ac ſingulorum Subdiaconorum, & Acolytorum prædictorum nominatim enumeratorum titulis, & conceſſionibus, ita ut ex tunc in poſterum ſingula Collegia præfata extincta penitus eſſent, & ceſſarent omnino, neque ſinguli, ut præfertur, enumerati Subdiaconi, & Acolyti appellari, ſeu denominari, aut nuncupari poſſent, & alias prout in Cedula motus proprii noſtri deſuper manu noſtra ſignata, cujus tenorem præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, & verbatim inſerto haberi volumus, uberius continetur. Quamobrem ne propter ſuppreſſionem, & abolitionem hujuſmodi nos, & Romani Pontificis ſucceſſores noſtri neceſſario Subdiaconorum, & Acolytorum miniſterio in ſolemni Miſſarum, & aliorum divinorum officiorum celebratione, cæteriſque functionibus Eccleſiaſticis careamus, pro noſtra paſtorali cura providere volentes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, dilectos filios Cappellanos noſtros, cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, nunc, & deinceps perpetuis futuris temporibus exiſtentes Subdiaconos Apoſtolicos, nec non dilectos etiam filios utriuſque Signaturæ noſtræ Referendarios, qui nunc ſunt,

ſunt, & pro tempore quandocumque erunt noſtræ Signaturæ juſtitiæ votantes, Acolytos Apoſtolicos tenore præſentium facimus, creamus, conſtituimus, & declaramus, ipſumque prædictorum Auditorum Collegium, nec non præfatos Signaturæ juſtitiæ votantes in locum Subdiaconorum, & Acolytorum per nos, ut præmittitur, ſuppreſſorum, & abolitorum reſpective, cum eodem omnino honore aſſiſtendi, & inſerviendi nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, tam in Cappella noſtra, quam in aliis, in quibus nobis, & Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præſentibus divina celebrantur officia, Eccleſiis, nec non Proceſſionibus, cæterisque functionibus Pontificiis, ad quod dicti Subdiaconi, & Acolyti, ratione ſuorum officiorum ante illorum ſuppreſſionem, & extinctionem, ut præfertur, factas, quomodolibet tenebantur, & obligati erant, & cum omnibus, & ſingulis honoribus, prærogativis, præcedentiis, & præeminentiis, quæ de jure, aut ex conſtitutionibus, & indultis Apoſtolicis, vel ex uſu, & conſuetudine, & alias quomodocumque Subdiaconis, & Acolythis Apoſtolicis, ut præmittitur, ſuppreſſis, & abolitis, illorumque Collegiis ante ſuppreſſionem, & abolitionem hujuſmodi competebant, exceptis tamen quibuſvis redditibus, & emolumentis temporalibus ipſis Subdiaconis, & Acolythis, illorumque Collegiis olim aſſignatis, & ante eaſdem ſuppreſſionem, & abolitionem illis debitis, & per eos percipi ſolitis, quæ Cameræ noſtræ Apoſtolicæ per nos jam applicata, & incorporata ſunt, motu, ſcientia, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine & tenore paribus ſubſtituimus, & ſubrogamus. Ac inſuper præfatis Auditoribus, & eorum ſingulis, nunc, & in futurum quandocumque exiſtentibus pro majori miniſterii eis per præſentes injuncti decore, ac ſuarum perſonarum ornamento, ut deinceps veſtem interiorem, quæ ſubtanea, nec non aliam exteriorem, quæ mantellectum vulgo nuncupatur violacei coloris, ac etiam Galeri redimiculum, cordone vulgo dictum ejuſdem coloris violacei ubique deferant, præcipimus, & mandamus. Injungentes propterea dilectis pariter filiis Cæremoniarum ejuſdem Cappellæ Magiſtris, ut eoſdem Auditores ad Subdiaconorum, & votantes præfatæ Signaturæ juſtitiæ ad Acolytorum reſpective officia in Cappella, aliiſque Eccleſiis, ac proceſſionibus, cæteriſque actibus, & functionibus præfatis cum aſſignatione loci congrui, ut moris eſt, exercenda, admittant; ac decernentes, eaſdem præſentes literas etiam ex eo quod quicumque etiam ſpeciali expreſſione digni in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere, quomodolibet prætendentes ad ea vocati, & auditi, ſeu cauſæ, propter quas ipſæ præſentes emanarunt, adductæ, verificatæ, ac juſtificatæ non fuerint, aut ex alia quacumque cauſa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo umquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, & intereſſe habentium conſenſus, & alio quolibet quantumvis magno, ſubſtantiali, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, invalidari, in controverſiam revocare, ad terminos juris reduci, aut adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, vel aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut etiam motu ſimili conceſſo quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe, neque

que

que eaſdem præſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum, & voluntatum revocationibus, ſuſpenſionibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi, aut comprehenſas cenſeri, ſed ab illis ſemper exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac etiam ſub poſteriori data per eos, ad quos pro tempore ſpectabit, reſpective eligenda, de novo conceſſas, firmaſque validas, & efficaces perpetuo exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios qualibet auctoritate, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis, quæ in prædicta Cedula motus proprii voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XXVI. Octobris MDCLV. Pontificatus noſtri Anno I.

G. Gualterius.

Conſtitutio Alexandri Papæ VII. ſuper erectione Collegii ex Referendariis utriuſque Signaturæ, & ſuper qualitatibus admittendorum deinceps in Referendarios.

ALEXANDER EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei memoriam.

I. Inter cæteras Apoſtolicæ ſollicitudinis curas, quibus inceſſanter urgemur, ea ſemper nobis cordi fuit, ut Prælati Romanæ Curiæ, qui tamquam ſtellæ in Firmamento militantis Eccleſiæ relucent, ac in arduis quibuſque negotiis Apoſtolicæ Sedi opera, & conſilio præſto eſſe debent, ii demum diligantur, qui optima indole, moribus, ac literis præſtantiores veræ virtutis exemplar ſeipſos præferunt. Ad hæc ſane licet nonnulli Summi Pontifices Prædeceſſores noſtri eorum conſtitutionibus, multa præſertim pro Referendariis utriuſque Signaturæ ſtatuerint, quorum tamen nonnulla temporum curſu, ut ſæpe ſolet, antiquata, & forſan neglecta fuerunt; propterea nos illa innovare, ac priſtinæ obſervantiæ reſtituere, & aliqua etiam addere, quæ rerum experientia docuit expedire, duximus opportunum. Hac igitur noſtra perpetuo valitura conſtitutione prædictas noſtrorum prædeceſſorum, in illis partibus, quæ præſenti non adverſantur, aut alias legitime reformatæ non fuerint, confirmamus, & innovamus. Inſuper erigimus, & inſtituimus Collegium eorumdem Referendariorum, quod volumus repræſentari ex duodecim votantibus Signaturæ Juſtitiæ de corpore, ac numero ipſorum Referendariorum electis, & in poſterum eligendis, quorum caput, ac moderatorem perpetuo conſtituimus Præfectum ejuſdem Signaturæ juſtitiæ pro tempore exiſtentem; & anti-

tiquior eorum in officio appellabitur Decanus. Horum autem officium erit formare inquiſitiones, ac proceſſus ſuper qualitatibus eorum, qui ad præfatum Referendarii munus, ac dignitatem admittendi erunt, prout ſingulis Præfecto Signaturæ ſpeciali reſcripto demandabitur, ut infra ſtatutum eſt. Præterea eidem Decano, & Collegio incumbet cœteros Referendarios, præſertim in poſterum recipiendos diligenter inſtruere de his, quæ ſpectant ad exercitium eorum officii, & omnibus intimare decreta, & ordinationes quaſcumque, tam noſtras, quam ejuſdem Præfecti, eorum perſonas, ac munus concernentes, & concernentia, nec non dies, ac tempora, & ſervitia a ſingulis eorum nobis tam in Cappella noſtra, quam in aliis functionibus præſtanda, ac etiam curare, ut tabellæ indicantes Signaturas, & Congregationes faciendas congruis temporibus a Miniſtris deputatis, ut moris eſt, exponantur, ac omnibus demum incumbere, quæ totius ordinis intereſſe concernent. Quoties vero dictum Collegium convocari, & coadunari neceſſe erit, requiratur prius licentia Præfecti, & de ejus mandato per Decanum convocetur, atque in domo habitationis ejuſdem Præfecti, & non alibi, nec aliter convocari, & coadunari poſſint, niſi de expreſſo ejuſdem Præfecti conſenſu, ac licentia in ſcriptis tantum præſtanda. Volumus autem præfatum Collegium a nobis inſtitutum eiſdem privilegiis, & exemptionibus perfrui, ac potiri, quibus cœtera Collegia Prælatorum Romanæ Curiæ potiuntur, & gaudent. Porro illi, qui in ordinem Referendariorum cooptari petent, ante omnia curabunt, ut relata nobis, & ſucceſſoribus noſtris a Præfecto Signaturæ eorum inſtantia, noſtrum, ac Succeſſorum præfatorum beneplacitum præcedat. Deinde ut ab eodem Præfecto, unus ex Prælatis præfati Collegii delegetur pro conficiendo proceſſu, in quo infraſcriptæ inſtantium qualitates legitime juſtificentur. Primo ſcilicet, ut ex vero, & legitimo matrimonio, & probis, ac honeſtis parentibus nati, & procreati ſint, ac bonæ indolis, vitæ, ac famæ prorſus inculpatæ fuerint, atque in vigeſimo quinto ætatis anno conſtituti: præterea in aliqua publica Univerſitate ſtudiis legalibus ſaltem per quinquennium operam dederint, ac in eadem utriuſque juris ſcilicet Canonici, & Civilis lauream Doctoratus aſſecuti fuerint: atque annuos etiam redditus ſummam ſcutorum mille quingentorum monetæ conſtituentes vere, ac realiter, & pacifice poſſideant, vel a Parentibus, aut propinquis fuerint illis valide aſſignati: ac demum in hac Curia Romana ſaltem per biennium verſati fuerint, & ſtudio praxeos penes aliquem ex Auditoribus Rotæ noſtræ, vel alios Prælatos, Officiales ſeu Advocatos ejuſdem Curiæ ſedulo incumbuerint: ſuper quibus compilato diligenter proceſſu, fiat a Ponente, ſeu delegato illius relatio in Collegio, cui ſi videantur probata ſufficienter præmiſſa, tunc Orator admittatur ad examen, aſſignatis illi, (ut moris eſt) duabus ſupplicationibus, ſeu commiſſionibus coram ipſo Collegio proponendis: & ſubinde peracto examine ſi ejuſdem Præfecti, atque Collegii, quorum conſcientiam oneramus, fuerint concordi judicio vel ſaltem per duas ex tribus partibus votorum, quæ ſecreto per fabas albas, & nigras proferri volumus, approbatus; tunc Præfectus omnibus nobis, & ſucceſſoribus noſtris relatis, illum auctoritate noſtra pronunciabit Referendarium, ac in aliorum numerum adſcribi mandabit, præſtito

ta-

Digitized by Google

tamen prius in ejus manibus ſolito juramento. Poſtremo ut in Signaturis tam gratiæ, quam juſtitiæ liberior ſit cauſarum diſcuſſio, & Votorum prolatio, prohibemus omnibus, & ſingulis tam Votantibus, quam aliis quibuſcumque in eiſdem Signaturis intervenientibus, ac eorum Auditoribus, & ſtudiorum Coadiutoribus, vota ipſa cuiquam alteri, etiam ſpeciali expreſſione digno, referre, aut propalare oretenus, vel in ſcriptis per ſe ipſos, vel alios quacumque forma, & exquiſito modo, ſub pœna indignationis noſtræ. Decernentes præſentes literas, validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum inviolabiliter obſervari: ſicque per quoſcumque Judices, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenus opus ſit noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de gratiis non concedendis ad inſtar, ac felicis recordationis Pii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri de gratiis intereſſe Cameræ Apoſtolicæ quomodolibet concernentibus in prædicta Camera regiſtrandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ præfati prædeceſſores in dictis conſtitutionibus voluerunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, innovationis, erectionis, inſtitutionis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCLIX. Idibus Junii, Pontificatus noſtri Anno V.

J. Cardinalis Prodat.

Viſa de Curia P. Ciampinus = M. Duratius = Regiſtrata in Secretaria Brevium = P. Ciampinus.

Dilecto Filio noſtro Flavio tit. S. Mariæ de Populo S. R. E. Presb. Cardinali Chiſio nuncupato noſtro ſecundum carnem ex Fratre Germano Nepoti.

ALEXANDER PAPA VII.

I. Dilecte fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum interdum contingat, ut in proſecutione cauſarum appellationum a ſententiis ordinariorum locorum interpoſitarum, quæ juxta Decreta Concil. Trid. ab Ordinariis vicinioribus cognoſci deberent, ob nimiam eorumdem Ordinariorum diſtantiam, præſertim in partibus Indiarum, litigantibus ipſis plurimum incommodi, & diſpendii afferatur. Nos Chriſtifidelium in ſimilibus caſibus commoditati, & indemnitati proſpectum eſſe cupientes, circumſpectioni tuæ, quaſcumque ſupplicationes commiſſionum ſimi-

D d lium

lium cauſarum perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis faciendarum in Signatura noſtra Juſtitiæ in forma ſolita ſignandi, ac omnia, & ſingula in præmiſſis, neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi, & exequendi, plenam, & omnimodam facultatem, & auctoritatem per præſentes concedimus, & impertimur. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 20. Julii MDCLXI. Pontificatus noſtri Anno VII.

Sumptum ex minuta originali Brevium diverſorum fel. rec. Alexandri Papæ VII. collatum concordat.

Loco ✠ Sigilli. *J. F. Card. Albanus.*

CLEMENS PAPA IX.
Ad perpetuam rei memoriam.

EGregiis dilectorum filiorum utriuſque Signaturæ noſtræ Referendariorum in Signatura noſtra Juſtitiæ Votantium in nos, & Sedem Apoſtolicam meritis, gravibuſque, & aſſiduis laboribus, quos pro noſtro, & dictæ Sedis ſervitio in adminiſtratione juſtitiæ laudabiliter ſuſtinent, facile adducimur, ut ſpirituali eorum conſolationi quantum cum Domino poſſumus benigne conſulamus. Volentes itaque dictis Votantibus gratiam facere ſpecialem, & eorum ſingulares perſonas, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnibus, & ſingulis Referendariis dictæ Signaturæ juſtitiæ Votantibus, nunc, & pro tempore quandocumque exiſtentibus, ut in privato domus cujuslibet eorum habitationis, etiam in hac alma Urbe noſtra Oratorio, ad hoc decenter muro extructo, & ornato, ſeu extruendo, & ornando ab omnibus domeſticis uſibus libero, per dilectum filium noſtrum in eadem Urbe Vicarium in ſpiritualibus generalem, quoad Oratoria in dicta Urbe, & quoad alia extra eamdem Urbem, per Ordinarium loci reſpective prius viſitando, & approbando, unam Miſſam pro unoquoque die, dummodo in domo hujuſmodi celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri conceſſa non fuerit, per ſe ipſos, ſi Sacerdotes fuerint, celebrare, ſeu per quemcumque Sacerdotem approbatum ſæcularem, vel de Superiorum ſuorum licentia Regularem, ſine tamen quorumcumque jurium Parochialium præjudicio, ac Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, aliiſque ſolemnioribus anni feſtis diebus exceptis, in ſua, aut cujuslibet eorum familiæ præſentia celebrari facere libere, & licite poſſint, & valeant: Ita tamen ut familiares eorum ſervitiis non neceſſariis ibidem Miſſæ intereſſentes ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia diebus feſtis de præcepto liberi minime cen-
ſean-

ſeantur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & quoſvis alios quocumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obſtantibus Apoſtolicis, ac Univerſalibus, Provincialibuſque Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus, & ordinationibus cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XIV. Martii MDCLXVIII. Pontificatus noſtri Anno I.

In Dei nomine Amen. Fidem facio per præſentes Ego Notarius publicus infraſcriptus, qualiter die 23. Septembris 1677. præſens copia extracta fuit ex ſuo primo originali mihi Notario publico exhibito ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Alexandro Urſino utriuſque Signaturæ SS. D. N. Papæ Referendario, & eidem exhibenti reſtituto, cum quo collationata concordat, ſalva ſemper &c. In quorum &c. Romæ hac die, & Anno prædictis.

Ita eſt pro Hieremia de Rubeis Notario Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Vicarii. *Ludovicus Martolus Connotarius &c.*

Conſtitutio Innocentii Papæ XII. ſuper electione Signaturæ Juſtitiæ Votantium, & indulto eiſdem conceſſo Rocchettum in Romana Curia, & Cappam Magnam in ejuſdem Signaturæ Collegiali congreſſu deferendi.

INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei memoriam.

INter graviſſimas, & multiplices curas, quibus ex debito Paſtoralis Officii humilitati noſtræ divinitus crediti inceſſanter urgemur, in illam peculiaribus ſtudiis intendimus, per quam adminiſtratio juſtitiæ nedum ab abſurdis, quæ irrepſerant, vindicetur, ſed in meliorem formam redacta, exactiori ordini reſtituta, ac Judicibus majori tum virtutis, tum honoris prærogativa decoratis commiſſa, in dies magis magiſque refulgeat.

I. Hujus conſiderationis intuitu, cum alias particularem congregationem nonnullorum dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum ſuper abuſuum, præſertim judicialium, reformatione, deputaverimus, quam plura ab eadem Congregatione deſuper edita, & impreſſa decreta oretenus approbavimus, nec non de ejuſdem Congregationis conſilio noſtris Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo 15. Ka-

 lend.

lend. Octob. ſub plumbo expeditis literis, particularia Almæ Urbis noſtræ Tribunalia ex privilegio conſtituta ſuppreſſimus, & abrogavimus, eademque Privilegia, & Tribunalia ad jus commune, & Judices Ordinarios memoratæ Curiæ reduximus. Et ulterius, ut officia cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditoris, nec non ejuſdem Cameræ Theſaurarii generalis, duodecim Clericorum, & Præſidentis, quæ prius mediante pretio ad vitam concedi conſueverant, in poſterum ad noſtrum, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum viris vitæ, & morum integritate præſtantibus, literarum ſcientia præditis, rerumque humanarum experientia inſignibus, ad majorem Dei gloriam, ejuſdem Romanæ Curiæ, & Prælaturæ decorem, nec non virtutis incitamentum, & præmium, gratis, & nullo recepto pretio concederentur, per alias ſimiles noſtras eodem anno x. Kal. Novembris expeditas literas, præfatorum Officiorum venalitatem ſuppreſſimus, extinximus, removimus, & abolevimus.

II. Et inſuper ex tunc etiam ad noſtrum Signaturæ Referendariorum Collegium, quod alias fel: rec: Alexander Papa VII. Prædeceſſor noſter in ſuis ſimilibus literis ſub Dat. videlicet Anno ejuſdem Incarnationis milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo nono, Idibus Junii inter cætera erexit, & inſtituit, ac ex duodecim Signaturæ Juſtitiæ Votantibus ſub eorum Capite, & Moderatore ejuſdem Signaturæ Juſtitiæ pro tempore exiſtente Præfecto, repræſentari voluit, mentis noſtræ aciem convertentes, & ut ad præfatum Collegium viri ſimiliter digniſſimi, quoad fieri poſſet, ſemper admitterentur, cupientes, conſideravimus, quod licet idem Alexander Prædeceſſor in præfatis ſuis literis hujuſmodi Votantes de corpore, & numero dictorum Referendariorum eligendos eſſe ſtatuiſſet, nulla facta mentione, an eligendi eſſent priores, ſeu Antiquiores Referendarii, diuturnus tamen uſus antè, & poſt eaſdem literas invaluerat, in Votantes Præfectos aſſumendi, ſeu eligendi dictos Priores, ſeu Antiquos Referendarios. Quo circa nos virtutis præſtantiam non in ſola muneris prioritate, ſeu antiquitate conſiſtere, & aliquando poſteriores in officio prioribus doctiores, & aptiores exiſtere, perpendentes, & propterea antiquitatis rationem nonniſi cæteris paribus habendam eſſe volentes, motu proprio, ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ex tunc memoratum Collegium deinceps fore merè, ſimpliciter, & dumtaxat electivum, nec in ejuſmodi Votantium electione, ſeu aſſumptione muneris, vel Officii Referendarii prioritatem fore amplius attendendam, ſed Votantes hujuſmodi ad noſtram, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis electionem, & providam deliberationem, habito ad virtutis prærogativam, & meritorum excellentiam reſpectu, eligendos, & aſſumendos eſſe ſtatuimus, decrevimus, & declaravimus, & pro majori hujuſmodi ſtatuti, decreti, & declarationis firmitate, ac prompta, & opportuna exequutione, antiquum, ſeu tunc exiſtens Signaturæ Juſtitiæ Votantium Collegium penitus, & omnino ſuppreſſimus, ac extinximus, novumque partim ex antiquis, & partim ex tunc noviter aſſumptis Votantibus pietate, doctrina, prudentia, & rerum uſu præſtantioribus, Collegium hujuſmodi, cum omnibus, & ſingulis eidem Collegio quomodolibet

bet conceſſis, ſeu competentibus juribus, facultatibus, prærogativis, præeminentiis, & privilegiis ereximus, & conſtituimus.

III. Cùm autem ſuper præmiſſis literæ Apoſtolicæ adhuc confectæ non fuerint, & memoratam præfati Collegii renovationem, ſeu reformationem, cujus exactam rationem in vacationibus, & electionibus reſpectivè interim ſubſequutis habuimus, adminiſtrationi juſtitiæ valdè proficuam, & decori ejuſdem Collegii admodum conſentaneam, trium pene annorum experientia edocti fuerimus; Hinc motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus, etiam tenore præſentium præmiſſa pleniſſimè, & ampliſſimè approbamus, confirmamus, & innovamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus; & nihilominus omnia, & ſingula præmiſſa iterum, & ex integro etiam harum ſerie ſtatuimus, decernimus, & declaramus, ac in omnibus, & per omnia perpetuis futuris temporibus inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari volumus, & mandamus.

IV. Præterea ad præclarum hujuſmodi Signaturæ Juſtitiæ Votantium Collegium, nec non ad laudabilia probitatis, & virtutum dilectorum Filiorum modernorum Votantium hujuſmodi merita, paternæ dirigentes conſiderationis intuitum, ac benignè perpendentes, quantum decoris ex præfato Collegio Romanæ Curiæ, quantumque utilitatis ex ſedulo illorum labore juſtitiæ adminiſtrationi proveniat, eoſque proinde, ac illorum Succeſſores, ut alacrius fidem, operam, induſtriam, & ſedulitatem in tanti muneris exercitio adhibere ſtudeant, aliqua majoris honorificentiæ acceſſione decorare, ampliorique favore gratiæ proſequi volentes, ac ipſorum Modernorum Votantium ſingulares perſonas a quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, præfatis modernis, & pro tempore perpetuò exiſtentibus Signaturæ Juſtitiæ Votantibus, ut de cætero in omnibus, & ſingulis, & quibuſcumque Congregationibus, Seſſionibus, Proceſſionibus, pompis, Conſiliis, & functionibus, negotiis, cæteriſque actibus publicis, & privatis, etiam coram nobis, & pro tempore exiſtentibus Romanis Pontificibus Succeſſoribus noſtris, Rocchettum in præfata Romana Curia palam deferre, & geſtare, illoque indulti publicè incedere, & comparere, nec non Cappas Magnas, quibus iidem Votantes in Capella noſtra utuntur, ſimiliter quando cauſſarum commiſſionibus, aliiſque reſolutionibus in Signaturæ Juſtitiæ congreſſu collegialiter aſſiſtunt, etiam deferre, & geſtare, liberè, & licitè poſſint, & valeant, earumdem tenore præſentium perpetuo concedimus, & indulgemus.

V. Decernentes, eaſdem præſentes literas, etiam ex eo quod antiqui, ſeu tunc exiſtentes Votantes, veteris, ſeu ut præfertur, tunc ſuppreſſi Signaturæ Juſtitiæ Votantium Collegii, ac alii quicumque, etiam ſpeciali nota digni in præmiſſis quomodolibet jus, vel intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, iiſdem præmiſſis non conſenſerint, aut vocati, ſeu audi-

diti non fuerint, aliave quavis de cauſa quamtumvis legitima, & juridica, de ullo ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, alioque quocumque defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus poſſe, minuſque ſub ſimilium, vel diſſimilium gratiarum moderationibus, limitationibus, revocationibus, & quibuſcumque aliis contrariis diſpoſitionibus per quoſcumque Romanos Pontifices Succeſſores noſtros, & Sedem prædictam, etiam motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus, ac etiam Conſiſtorialiter, & alias quomodolibet pro tempore factis, & faciendis compræhendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac etiam ſub poſteriori data quandocumque eligenda de novo conceſſas, ſemperque validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, ac dictis Signaturæ Juſtitiæ Votantibus ſuffragari, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter obſervari; ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate, præeminentia, aut poteſtate fungentes, & functuros, nunc, & pro tempore exiſtentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, ſeu interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis Auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

VI. Non obſtantibus præmiſſis, & quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regulæ Regula de jure quæſito non tollendo, & aliis quibuſcumque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis æditis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, nec non quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, ſtatutis, nec non prædicta, aliiſque quibuſcumque, quamtumvis antiquiſſimis, & immemorabilibus conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ad favorem utriuſque, vel alterius Signaturæ noſtræ Referendariorum, vel Votantium, ſeu eorum, & quorumcumque Collegiorum, vel Tribunalium, etiam ſpeciali nota dignorum, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam Derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis Clauſulis, & decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu proprio, & de poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet per Prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices conceſſis, innovatis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti Derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per Clauſulas generales, idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda fo-

foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de Verbo, ad Verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita, obſervata, exprimerentur, vel inſererentur, iiſdem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes ad effectum præſentium, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

VII. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum approbationis, confirmationis, innovationis, ſtatuti, decretorum declarationis, voluntatis, mandati, abſolutionis, conceſſionum, indulti, & derogationis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo, ſexcenteſimo nonageſimo quinto, tertio decimo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno V.

B. Cardinalis Prodat.

J. F. Card. Albanus = Viſa de Curia = J. Sacripantes = D. Ciampinus.

Loco ✠ plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Aſſegnamento di ſcudi cento menſtrui al Collegio de' Votanti della Signatura.

MOnſignore Giuſeppe Paravicini noſtro Teſoriere generale. Eſſendo per morte del Cardinal Flavio Chigi vacata la Prefettura della Congregazione de' confini del noſtro Stato Eccleſiaſtico, & avendo noi riſoluto di ſopprimere a favore della noſtra Camera l'annuo emolumento di ſcudi mille ducento ſettantaſei d'oro altre volte aſſegnato a detta carica, e ſolito pagarſi al Cardinal Prefetto *pro tempore* dalla Depoſitaria generale della medema noſtra Camera, con applicarne però in avvenire per la rata di ſcudi 1200. moneta l'anno al Collegio de' Votanti della Segnatura di giuſtizia per rimunerazione delle loro gravi, e continue fatighe; quindi è, che di noſtro moto proprio, certa ſcienza, e pienezza della noſtra poteſtà Apoſtolica, avendo nel preſente noſtro Chirografo per eſpreſſa la Coſtituzione 73. della ſa. me. di Urbano Ottavo ſopra l'erezzione della detta Congregazione de' confini in data del 1. Ottobre 1627. l'uſo fin'ora praticato di pagare il detto aſſegnamento di ſcudi 1276. d'oro annui al Cardinal Prefetto *pro tempore* di detta Congregazione, & ogni altra coſa neceſſaria ad eſprimerſi; e volendo noi, che dal giorno della morte di detto Cardinal Flavio Chigi Prefetto, mentre viſſe, di detta Congregazione ſi abbia per intieramente ſoppreſſo, & eſtinto il ſopradetto aſſegnamento, ſiccome noi quello intieramente, e totalmente ſopprimiamo, ed eſtinguiamo; ordiniamo a voi, che in nome noſtro, e della noſtra Camera aſſegniate, ſiccome noi aſſegnamo, al Collegio de' dodeci Votanti della Segnatura di Giuſtizia un menſtruo aſſegnamento di ſcudi cento moneta da ripartirſi egualmente, ed anticipatamente fra di loro nel principio di ciaſchedun meſe, incominciando dal primo del proſſimo meſe d'Ottobbre, e per l'effet-

Digitized by Google

ſetto ſudetto ſpedirete mandati, e darete al detto Depoſitario Generale della noſtra Camera tutti gli ordini, che ſtimarete neceſſarj, & opportuni, acciò con li denari della noſtra Camera eſiſtenti nella Depoſitaria generale paghi il predetto menſtruo aſſegnamento alli dd. dodici Votanti, loro Decano, Vice-Decano, e Camerlengo, o altro loro Procuratore, eſſendo tale la mente, e volontà noſtra eſpreſſa; volendo, e decretando, che il preſente noſtro Chirografo ammettendoſi, e regiſtrandoſi in Camera alla ferma della Conſtituzione della ſa. me. di Pio IV. noſtro Predeceſſore abbia il ſuo pieno effetto, eſecuzione, e vigore, non oſtante la ſudetta Conſtituzione 73. d'Urbano Ottavo ſopra l'erezione della predetta Congregazione de' confini, la Conſtituzione di Simmaco, di Paolo II. Paolo IV. Pio V. Clemente VIII. Aleſſandro VII., e di altri Sommi Pontefici noſtri Predeceſſori *de rebus Cameræ, & Sedis Apoſtolicæ non alienandis*, e qualſiſia altra Bolla, Chirografo, Statuto, riforma, uſo, ſtile, conſuetudine, decreto, anche Conſiſtoriale, & ogn'altra coſa, che faceſſe, o poteſſe fare in contrario, alle quali tutte, e ſingole per queſta volta ſolamente, & all' effetto ſudetto pienamente, ed amplamente deroghiamo. Dato nel noſtro Palazzo Apoſtolico di Monte Cavallo, queſto dì 30. Settembre 1693.

Innocentius Papa XII.

Regiſtrato appare nel libro *Signaturarum Innoc. XII. an.* 1693. per gli atti del Antamoro Segretario di Camera al foglio 139. e ſeguenti preſentato in Camera piena il dì 30. Ottobre, & ammeſſo in quella, il dì 6. Novembre 1693.

Conceſſione di ſcudi 50. annui a ciaſcheduno Votante della Segnatura in luogo della franghigia delle gabelle.

Monſignor Giuſeppe Paravicini noſtro Teſoriere Generale. Avendo noi riſoluto di regolar le franghizie delle Dogane, e gabelle di Roma, ſolite goderſi per uſo loro, e delle loro famiglie dal Governatore di Roma, dall'Auditor della Camera, dal Teſoriere generale, da' Chierici di Camera, e dagl'altri Camerali, e di concedere per grazia ſingolare, che non paſſi in eſempio le medeſime franchizie alli Votanti della Segnatura di Giuſtizia nell'iſteſſa quantità, e modo, che ſi godono dagli Auditori di Rota. Quindi è, che di noſtro moto proprio, certa ſcienza, e pienezza della noſtra poteſtà Pontificia avendo nel preſente noſtro Chirografo per eſpreſſi li privilegj conceduti al Tribunale della Camera Apoſtolica, ſuoi Miniſtri, ed Offiziali, l'uſo antichiſſimo pratticato ſino al preſente giorno, ed ogn'altra coſa neceſſaria ad eſprimerſi, ordiniamo a voi, che in avvenire dal noſtro Doganiere generale, e per eſſo dal preſente Amminiſtratore, o da altri, a quali ſpetta, facciate pagare con denari della noſtra Camera alli ſudetti, Governatore di Roma, Auditore della Camera, Teſoriere generale, Chierici di Camera, Preſidente, ed altri Camerali, come ſopra, & a ciaſcuno di loro reſpettivamente, ed in oltre a ciaſcuno Votante della Segnatura di Giuſtizia la ſomma, e quantità di ſcudi cinquanta moneta ogn'anno per cauſa, ed occaſione delle franchizie delle dette Dogane, e gabelle di Roma, nel modo, e forma, che ſi pagano

all'

all'Auditori di Rota, e ſenza alcuna differenza fra di loro, benche ſi pretendeſſe, che per uſo loro, e delle loro famiglie la detta franchizia importaſſe ſomma maggiore, e ſtante detto pagamento di ſcudi cinquanta da farſegli annualmente, come ſopra, vogliamo, e comandiamo, che le robbe per uſo loro, e delle loro famiglie non debbano godere alcuna eſenzione delle dette Dogane tanto di Terra, che di Ripa, e Ripetta, e ſopra di ciò darete gli ordini neceſſarj, & opportuni, perche così è noſtra mente, e volontà eſpreſſa, volendo, e decretando, che il preſente noſtro Chirografo, benche non ammeſſo, nè regiſtrato in Camera, abbia il ſuo pieno effetto, eſecuzione, e vigore con la ſemplice noſtra ſottoſcrizione, non oſtante la bolla di Pio IV. *de regiſtrandis*, e qualſivoglia altra Bolla, Conſtituzione, e Ordinazione Apoſtolica, emanata a favore del Tribunale della noſtra Camera, ſuoi Miniſtri, & Offiziali, e qualſiſia altro uſo, ſtile, ſtatuto, riforma, decreto, legge, ed ogn'altra coſa, che faceſſe, o poteſſe fare in contrario, alle quali tutte, e ſingole per queſta volta ſolamente, & eſpreſſamente deroghiamo. Dato nel noſtro Palazzo Apoſtolico di Monte Cavallo queſto dì 15. Ottobbre 1692.

Innocentius Papa XII.

Regiſtrata nella Computiſtaria della Reverenda Camera appreſſo Angelo Biondi Computiſta.

Ordine del Pontefice Innocenzo XII. circa il darſi la mano all'Avvocato Fiſcale quando informa per la Camera.

LA Santità di Noſtro Signore ordina, che quando l'Avvocato Fiſcale tratterà degli intereſſi, ſpettanti alla Camera Apoſtolica ſolamente, debba darſeli la mano in tutti i Tribunali della Corte Romana; quando poi il medeſimo Avvocato Fiſcale tratta intereſſi non concernenti la Camera Apoſtolica ſi oſſervi lo ſtile che ſi pratica con gli altri Avvocati.

Anſaldo Anſaldi Auditore.

In Reformatione Tribunalium almæ Urbis, & ejus Officialium.

PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.
Ad perpetuam rei memoriam.

Univerſi Agri Dominici &c.

De Signatura Gratiæ, & Juſtitiæ.

I. IN primis quod nullus Referendariorum Commiſſionem expediat, in qua non adſit a tergo nomen Procuratoris, ſeu impetrantis, noti ſaltem ipſi Referendario, cujus ſolius citatio ſufficiat in reformatione ipſius.

II. Verum ipſi Procuratores, ſeu impetrantes ſuum nomen a tergo manu propria inſcribant, & de mendacio convicti, juxta juris diſpoſitionem puniantur.

III. Ubi vero in Commiſſionibus expediendis requiritur citatio partis,

tis, una ſaltem citatio una die pro altera fieri debeat perſonaliter, aut factis diligentiis per duos Curſores, ut moris eſt dimiſſa copia.

IV. Atque in ipſis Citationibus apponatur ſemper nomen Referendarii, alioquin Referendarii ipſi Commiſſionem non expediant.

V. Similiter nullus Referendariorum propoſitas, & rejectas in Signatura Juſtitiæ Commiſſiones, in Signatura Gratiæ coram nobis proponere audeat, niſi per Signaturam Juſtitiæ ad eamdem Signaturam Gratiæ remiſſæ fuerint, vel niſi talis ſit materia, quæ ſcientiam noſtram requirat, & tunc præ habita ſemper licentia noſtra, & Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum vel ſaltem Cardinalis Præfecti pro tempore Signaturæ Gratiæ, qui parte audita deliberare poterit, an cauſſa proponenda ſit.

VI. Nec in antiquis, & arduis materiis, in quibus plures hic inde expeditæ fuerint Commiſſiones, & in Avocatoriis a prioribus Judicibus, & quovis modo præjudicialibus, Referendarii manum apponant, niſi prius citata coram eis parte intereſſe habente.

VII. Et cum agitur de revocatione, aut moderatione alicujus Præinſertæ, ſimiliter manum non apponant, niſi in præinſerta appoſitum ſit nomen Referendarii, qui illi manum appoſuit, ut rationem reddere, & juſtificare poſſit.

VIII. Nec etiam reformatio, ſive moderatio ejuſdem præinſertæ a Præfecto Signaturæ Juſtitiæ, niſi nomen Referendarii, ut præmittitur in ipſa præinſerta appoſitum fuerit, aliquo modo ſignetur.

IX. In Commiſſionibus Appellationum ab Interloquutoriis manus non apponatur, niſi expreſſo relevanti gravamine, neque in Commiſſionibus Appellationum a definitiva, cum Clauſula, aut vim diffinitivæ habente, niſi res adeo exprimatur, ut videat Referendarius an tale ſit gravamen, quod per diffinitivam reparari non poſſit, etſi in Commiſſione appoſita fuerit Clauſula cum toto negotio principali, tunc addatur juſtificato tamen dicto gravamine. Et idem ſervetur, quando eſt appoſita Clauſula, quam, & quas, quæ tamen non ſit reſtricta per ſola verba de ut ſuper præmiſſis.

X. Et nihilominus in ſupradictis Commiſſionibus appellationum ab Interloquutoriis ſemper citetur pars, etiam ſi exprimatur gravamen, ut ſupra dictum eſt, quod per diffinitivam irreparabile videatur.

XI. Et ab exceſſiva taxatione expenſarum, ſemel tantum appellatio committatur, & duæ Sententiæ habeant vim trium.

XII. Ubi pars commiſſionem aliquam doloſè extorſerit, & ob id Commiſſio reformata fuerit, Præfectus Manu regia, & executivè expenſas factas in Reformatione Commiſſionis reſtituere faciat, fine litis minimè expectato.

XIII. Commiſſio pro dilatione, vel alternativa ſemel tantum concedatur, quam qui jam impetraverit, lapſo trimeſtri, aliam, niſi a nòbis, vel Succeſſoribus noſtris, & Signatura noſtra Gratiæ impetrare nequeat, & impetrata non ſuffragetur, nec tribuat juriſdictionem.

XIV. Abſtineant præterea Referendarii ab Appoſitione manuum in Commiſſionibus nullitatum, & Attentatorum, niſi exprimantur Nullitates ex defectu juriſdictionis, citationis, vel mandati, & ipſa attentata.

XV.

XV. Item in Commiſſionibus moleſtationum, & jactationum, niſi addita clauſula, dummodo non ſint judicialiter illatæ.

XVI. Et omnino abſtineant ab illis, in quibus narratur pronunciatum fuiſſe, prout in Cedula.

XVII. Nec etiam manum apponant in Commiſſionibus prorogationis fatalium in cauſis criminalibus, nec illa concedatur ultra primam vicem, niſi prævia ſubſcriptione Judicis aſſerentis Commiſſionem ſibi ſignandam videri, & citato Fiſco.

XVIII. In civilibus autem prorogationes hujuſmodi ultra primam vicim, nonniſi ex cauſſa concedantur.

XIX. Et ſimilis inſtantia, quæ cauſſis diſcuſſionem præſcripta eſt, nullo modo, niſi ex magna cauſa, & per Signaturam noſtram Gratiæ prorogetur.

XX. Quilibet autem Referendarius teneatur recipere contra Commiſſiones, & eas omninò in eadem Signatura proponere, eoque caſu ſufficiat, partem adverſam per quinque dies ante Signaturam ſupraſcripto citatam.

XXI. Cauſæ Matrimoniales, & Criminales Clericorum, & aliarum perſonarum Eccleſiaſticarum committantur iis tantum, quibus diſpoſitum eſt per Concil. Trid. committendas eſſe.

XXII. Cauſæ vero Criminales Laicorum in Terris Eccleſiæ locorum Gubernatoribus committantur.

XXIII. Regens Cancellariæ, & alii Officiales ad expeditionem Commiſſionum Signaturæ Juſtitiæ deputati, abſque mora, receptis Commiſſionibus illas expediant, nec ſub quovis prætextu illas pœnes ſe retineant; Et qui illas per turnum diſtribuere debent, illas, ſine aliqua ordinis ipſius turni perverſione diſtribuant, illaſque ad Bancum Curſorum, etiam irrequiſiti, ſine mora tranſmittant ſub pœna privationis arbitrio noſtro, & Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum.

Decreta Collegii ejuſdem Signaturæ.

Die 15. Julii 1659.

Convocato Collegio DD. Votantium Signaturæ Juſtitiæ per D. Octavianum Caraffa Decanum de mandato Eminentiſſ. D. Card. Sacchetti ejuſdem Signaturæ Præfecti, in eo intervenerunt infraſcripti Domini coadunati coram dicto Eminentiſſ. in ejus Palatio.

D. Caraffa Decanus.	D. Fanus.
D. Amadeus.	D. Dondinus.
D. Gaetanus.	D. Ciceri.
D. Pauluccius.	D. de Angelis.
D. Manfronus.	D. Emerix.

Fuit per omnes Votantes viva voce deputatus in Secretarium dicti Collegii D. de Angelis, eidemque mandatum, ut librum conficeret, in quo deſcribantur omnia decreta, omneſque Actus ejuſdem Collegii.

Succeſſivè fuit deputatus in Notarium dicti Collegii Notarius Archivii pro tempore, & in Bidellium unus ex ejus ſubſtitutis, cui incumbat onus intimandi DD. Votantes, quotieſcumque convocandum erit dictum Collegium, eidemque convocato ſemper aſſiſtat ab extra pro indigentiis oc-

occurrentibus. Notarius autem conſtruat Archivium particulare, in quo cuſtodiantur omnes proceſſus Dominorum admiſſorum ad referendariatus dignitatem, omneſque ſcripturas concernentes intereſſe dicti Collegii, dictoque Archivio duæ Claves apponantur, quarum una retineatur a Secretario pro tempore dicti Collegii, altera a dicto Notario Archivii.

Die 16. Aprilis 1676.

Fuit Signatura Juſtitiæ coram Emin. ac Rev. D. Card. Flavio Chiſio Præfecto in ſuis ædibus, ac coram Illuſtriſſimis, & Reverend. DD. Votantibus.

Buſſio. Ginnetto.
Muto de Papazurris. Bernino.
Bentivolo. Filicaja.
Zelonio.

Et deinde fuit omnium votis decretum, quod in poſterum non admittantur amplius Prælati in Signatura, tam illi qui emunt officia, quam alii, qui quoquo modo obtinent Prælaturam, niſi prius in eadem Signatura fuerint admiſſi ad examen, proponendo juxta morem duas Commiſſiones, in forma ipſis aſſignandas, & fuerint ſucceſſive Votorum ſuffragio approbati, & præſtiterint deinde ſolitum juramentum.

Mutus de Papazurris Secretarius.

Quod decretum in alia Signatura, habita ſub die 23. Aprilis 1676. coram eodem Eminentiſſ. ac Reverendiſſ. Card. Flavio Chiſio Præfecto in ſuis ædibus, ac Illm̃is, & Rm̃is DD. Votantibus.

Creſcentio Decano. Zelonio.
Urſino. Bentivolo.
Buſſio. Bernino.
Muto de Papazurris.

Fuit denique confirmatum omnium Votis, habito ſuper eo antecedenter matura conſideratione, eoque plene diſcuſſo.

Mutus de Papazurris Secretarius,

Die 2. Martii 1679.

Cum ſub die 13. Februarii proxime elapſi in Congregatione habita immediate poſt Signaturam Eminent. ac Rev. D. Card. Flavius Chiſius noſter Præfectus propoſuiſſet de mandato Sanctiſſ. D. N. Papæ Innocentii XI. an congruum videretur, quod amplius non concederentur extra numerum pro propoſitione cauſarum, reſponſum fuit, eſſe raro permittendum, & nonniſi in caſu neceſſitatis.

& ita fuerunt omnes unanimiter in Voto.

Cumque de his dictus Emin. & Rev. D. Card. Præfectus relationem fecerit Sanctitati Suæ, ipſeque Sanctiſſimus benigne annuerit, & ſervari mandavit, ac fieri Decretum, ut Emin. ait, de vivæ vocis oraculo.

Ideo inſimul congregati in Congregatione habita immediate poſt Signaturam idem Em. & Rev. D. Card. Flavius Chiſius Præfectus in ſuis ædibus, ac Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. D. Votantes.

Urſinus Decanus. Vincentinus.
Buſſius. Berninus.
Mutus de Papazurris Secretarius. Scarincius.

Ze-

Zelonius. Victorius.
Thomatus.

Omnia ſupradicta decreverunt, ut ſupra, ac fore ſervanda, & hic regiſtrari

Die 22. Auguſti 1680.

In Congregatione Signaturæ Juſtitiæ habita coram Em. ac Rev. Dom. Card. Flavio Chiſio Præfecto, ab Illmis, & Rev. DD. Vot.

Muto de Papazurris Decano, ac Secretario.
Maculano. Scarincio.
Zelono. Victorio.
Ginnetto. Buratto.
Bernino.

Decretum fuit, quod non concedatur amplius licentia redeundi ad Signaturam pro iis cauſis, quæ fuerunt omnium Votis reſolutæ, utraque parte infrrmante, etiam quod in ea Signatura non fuerint, niſi octo ſolum Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Votantes, ac ſingularum cauſarum Ponentes, ſecus ſi in minori numero, idque ad parcendum litigantium expenſis, & pro ſollicita magis, quæ ſummopere deſideratur, cauſarum, ac Juſtitiæ expeditione, & complemento.

Die 27. Julii 1690.

Si Sanctiſſ. placuerit, Eminentiſſ. Præfectus unanimi DD. Votantium conſenſu decrevit, quod in poſterum, ſi contigerit, aliquem ex DD. Votantibus abeſſe, anno abſentiæ completo, ſuum munus amittat, & factus ſit locus alterius electioni.

F. Card. Chiſius Præfectus.

Facta per me de mandato Eminentiſſ. Præfecti relatione Sanctiſſimo, Sanctitas Sua benigne annuit. In quorum fidem hac die 30. Julii 1690.

C. Origus Auditor.

Facultas transferendi penſiones Eccleſiaſticas uſque ad ſummam ſcutorum centum monetæ Romanæ pro RR. PP. DD. in Signatura Juſtitiæ Votantibus.

CLEMENS PAPA XI.
Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex ſupremus gratiarum diſpenſator in terris a Domino conſtitutus, illos, qui aſſiduos, graveſque labores pro Juſtitia unicuique æqua lance adminiſtranda laudabiliter ſuſtinent, ſpecialibus privilegiis exornat, ſicut eorum meritis convenire arbitrantur. Itaque ad eximia dilectorum filiorum modernorum utriuſque Signaturæ noſtræ Referendariorum in Signatura noſtra Juſtitiæ Votantium in nos, ac Apoſtolicam Sedem merita paternæ dirigentes conſiderationis intuitum, eoſque proinde, ac illorum ſucceſſores, ut eo alacrius, fidem, operam, & induſtriam, atque ſedulitatem in ejuſdem Sedis obſequium adhibere ſtudeant, ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, & ipſorum modernorum ſingulares Votantium perſonas, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & inter-

terdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine prædictis modernis, & pro tempore exiſtentibus Referendariis dictæ Signaturæ Juſtitiæ Votantibus, ut ipſi penſiones annuas Apoſtolica ſibi Auctoritate ſuper quibuſvis fructibus Eccleſiaſticis reſervatas, & pro tempore reſervandas uſque ad ſummam centum ſcutorum monetæ dumtaxat ad favorem unius, ſeu plurium perſonarum Eccleſiaſticarum, ſeu Clericorum ac alias penſionum hujuſmodi capacium, etiam in mortis articulo coram Notario, & Teſtibus, & cum alicujus Prælati, ſeu perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti, interventu, transferre (ſervata tamen forma Conſtitutionis fel. rec. Innoc. PP. XI. prædeceſſoris noſtri ſuper translatione penſionum editæ) libere, & licite poſſint, & valeant, tenore præſentium concedimus, & indulgemus, decernentes eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque nullo umquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali defectu, notari, impugnari, retractari, infringi, ſeu ad terminos juris reduci, aut in controverſiam revocari, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe; neque ipſas præſentes literas ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aliiſque contrariis diſpoſitionibus, etiam per nos, vel Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros, & Sedem præfatam in genere, vel aut alias quomodolibet, & quandocumque faciendis comprehendi, & comprehenſas cenſeri, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac etiam de novo ſub quacumque poſteriore data per eos, ad quos pro tempore ſpectabit, eligenda, conceſſas intelligi; firmaſque, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari: ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, & irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari; quocirca dilectis filiis noſtris ejuſdem S. R. E. Vice-Cancellario, & Camerario, & cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori per præſentes motu pari committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties

ties pro parte prædictorum Votantium, ſeu alicujus eorum, vel aliorum intereſſe in præmiſſis pro tempore habentium deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra ipſas præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari, ipſoſque modernos, & pro tempore exiſtentes Votantes, & alios, quos eædem literæ concernent, in futurum præſentium literarum, & in eis contentorum, eorumdem commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittentes illos, ſeu eorum quempiam deſuper quomodolibet indebite moleſtari, perturbari, inquietari, vel impediri; Contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus; ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, non obſtantibus fel. rec, Bonif. PP. VIII. prædeceſſoris noſtri, de una & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium in judicium non trahatur, ac quatenus opus ſit de præſtando conſenſu in paritionibus, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, conſuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad textum inſertis, habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII. Martii MDCCI. Pontificatus noſtri anno primo.

F. Oliverius.

EXTENSIO

Facultatis transferendi penſiones uſque ad Summam Scutorum centum monetæ, alias conceſſæ Votantibus Signaturæ Juſtitiæ, ſive declaratio, quod demiſſis Officiis hujuſmodi ea uti poſſint.

CLEMENS XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

I. Creditæ nobis divinitus diſpenſationis ratio exigit, ut illos, qui plus laboris, & obſequii in Apoſtolicæ Sedis honorem, ac Eccleſiæ Catholicæ utilitatem jugiter perferre, & impendere non deſiſtunt, peculiari paternæ Charitatis affectu proſequentes, ejus uberiora Pontificiæ noſtræ benignitatis dona largiantur.

II. Alias ſiquidem nos tunc, & pro tempore exiſtentibus Referendariis Signaturæ noſtræ Juſtitiæ Votantibus perpetuò conceſſimus, & indulſimus, ut ipſi penſiones annuas Apoſtolica Auctoritate eis ſuper quibuſvis

vis

vis fructibus Eccleſiaſticis reſervatas, & pro tempore reſervandas uſque ad ſummam Centum Scutorum Monetæ dumtaxat ad favorem unius, ſeu plurium Perſonarum Eccleſiaſticarum, ſeu Clericorum, ac alias penſionum hujuſmodi capacium, etiam in mortis articulo coram Notario, & Teſtibus, ac cum alicujus Prælati, ſeu perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ interventu transferre (ſervata tamen forma Conſtitutionis fel. rec. Innoc. PP. XI. prædeceſſoris noſtri ſuper translatione penſionum æditæ) liberè, & licitè poſſent, & valeant, & alias prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis die 28. Martii proximè præteriti, expeditis literis, quarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, ac de verbo ad verbum haberi volumus, uberius continetur. Nunc autem nos ad egregia Dilectorum Filiorum modernorum ejuſdem Signaturæ Juſtitiæ Votantium merita paternæ dirigentes conſiderationis intuitum, ac benignè perpendentes, quantum ipſi ſingulari ſint Sedi præfatæ adjumento, Romanæque Curiæ ornamento, eoſque proinde, ac illorum Succeſſores, ut alacrius in dies ad præſtanda eidem Sedi obſequia reddantur amplioris favore gratiæ proſequi volentes, & ipſorum Modernorum Referendariorum Signaturæ Juſtitiæ Votantium ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes motu proprio, ac ex certa ſcientia, & liberalitate noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, præfatis modernis, & pro tempore exiſtentibus Referendariis ejuſdem Signaturæ Juſtitiæ Votantibus, ut ipſi etiam dimiſſis Votantium hujuſmodi Officiis facultate transferendi penſiones annuas, uſque ad Summam Centum Scutorum Monetæ a nobis per noſtras literas præfatas, ut præfertur, conceſſa, uti, frui, gaudere liberè pariter, & licitè poſſint, & valeant in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi Officia Votantium hujuſmodi tunc exercerent tenore præſentium concedimus, pariter, & indulgemus. Decernentes eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque nullo umquam tempore de ſubreptionis, & obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali defectu, notari, impugnari, retractari, infringi, ſeu ad terminos juris reduci, aut in controverſiam revocari, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe, atque ipſas præſentes literas ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum evocationibus, limitationibus, aliiſque contrariis diſpoſitionibus etiam per nos, vel Romanos Pontifices Succeſſores noſtros, & Sedem præfatam in genere, vel in ſpecie, aut alias quomodolibet, & quandocumque faciendis comprehendi, vel comprehenſas cenſeri, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè re-

reintegratas, ac etiam de novo ſub quacumque poſteriori data, per eos, ad quos pro tempore ſpectabit, eligenda, conceſſas intelligi, firmaſque validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari.

III. Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices, Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ablata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

IV. Quo circa dilectis filiis noſtris ejuſdem S. R. E. Vice-Cancellario, ac Camerario, & Cauſſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori per præſentes motu pari committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel per alium, ſeu alios, eaſdem præſentes literas & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte prædictorum Votantium, ſeu alicujus eorum, vel aliorum in præmiſſis pro tempore intereſſe habentium, deſuper fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant Auctoritate noſtras ipſas præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari, ipſoſque modernos, & pro tempore exiſtentes Votantes, & alios quos eædem literæ concernent in futurum, præſentium literarum, & in eis contentorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere; non permittentes illos, ſeu eorum quempiam deſuper quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, inquietari, vel impediri, Contradictores quoslibet, & Rebelles per Sententias, Cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſpoſita, compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas iteratis vicibus etiam aggravando, invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii Sæcularis; non obſtantibus omnibus, & ſingulis, quæ in ſupra dictis noſtris literis conceſſimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque: Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Anulo Piſcatoris die XII. Auguſti MDCCI. Pontific. noſtri Anno I.

F. Oliverius.

NOTIFICAZIONE.

BEnchè molti Editti della Segnatura di Giuſtizia altre volte publicati d'ordine dell'Eminentiſſimo Signore Car. Scotti Prefetto, e ſpecialmente in quello de' 12. Genn. 1719. §. *volumus* ſia ordinato, che chiunque ricorre alla piena Segnatura, debba dare in Summario, oltre la Commiſſione, il decreto, o Sentenza, contro cui ſi domanda venghi commeſſa la cauſa, e ciò non oſtante, più volte ſiaſi traſcurata l'oſſervanza di detti Ordi-

dini, credendo talvolta il ricorrente ſanare l'incorſa controvenzione con dare il Decreto, o Sentenza in mano di Monſignor Ponente della Cauſa, oppure nella riſpoſta; Quindi è, che d'ordine del ſudetto Eminentiſſimo Signor Card. Prefetto, e per l'intiera eſecuzione de' ſuoi Editti, ſi fà ſapere a tutti li Curiali, che onninamente debbano in avvenire regiſtrare nel Sommario della prima Scrittura da darſi a tutti li Signori Prelati Votanti tanto il decreto, quanto la Sentenza, dalla quale ſi domanda l'Appellazione, nè ſuffragarà dare quello, o quella nella riſpoſta della Cauſa, o pure a Monſignor Ponente, mentre ciò non oſtante incorreranno la ſteſſa pena, ingionta nei ſudetti Editti, ed inoltre non ſi farà conto de' detti Decreti, o Sentenze, come ſe non foſſero dati nel Sommario, ed il Procuratore, che ſcriverà nella Cauſa, ſarà condannato a pagare le ſpeſe del proprio, ſenza alcuna remiſſione d'applicarſi ad arbitrio di S. E. in Roma queſto dì 7. An. 1721.

A. de Abatibus Auditor.

NOTIFICAZIONE.

D'Ordine dell' Eminentiſſimo Signor Card. Scotti Prefetto della Segnatura di Giuſtizia per toglicre gli abuſi, e le ſoverchie lunghezze troppo pregiudiziali alli litiganti, ſi fa ſapere a tutti li Signori Curiali, che dal giorno preſente in avvenire non ſi leggeranno avanti l' E. S. citazioni di veruna ſorte, nè in qualſivoglia cauſa, ſe prima non ſaranno ſottoſcritte col *poterit legi* di mano dell' E. S., e fatte diverſamente ſenza la detta ſottoſcrizione non ſi dovranno attendere, ne cagioneranno veruna ſorte di Attentati, come ſe fatte non foſſero, proibendoſi di più a qualſivoglia Notaro, che non le debba ricevere, e molto meno leggere, eccettuate le Cauſe criminali, nelle quali vi ſii il carcerato; intendendo però, che reſtino ferme tutte le precedenti Notificazioni, ed ordini publicati dall' E. S. in tutto ciò, che non è contrario a quanto ſi diſpone nella preſente. Queſto dì 8. Febraro 1722.

A. de Abatibus Auditor.

In Roma nella Stamperia della R. C. A. 1722.

NOTIFICAZIONE.

ESſendoſi riconoſciuto dall'Emo Sig. Card. Scotti Prefetto della Segnatura di Giuſtizia, che nelle propoſizioni delle Cauſe, che ſi fanno in detta Segnatura ſi ſiano introdotti alcuni abuſi, da' quali riſulta non ſolamente un grave incommodo a chi amminiſtra la giuſtizia, ma ancora un' evidente pregiudizio delle parti litiganti, e ciò per l'inoſſervanza di quanto dall' E. S. e da ſuoi Predeceſſori è ſtato altre volte con loro particolari Notificazioni, & Editti preſcritto, & ordinato; volendo S. E. provedervi, affinche la giuſtizia conſeguiſca il ſuo vero, e felice corſo.

Quindi è, che inerendo alle medeſime Notificazioni, & Editti, e particolarmente a quelli della Ch. memoria del Cardinal Flavio Chigi publicati il dì 4. Agoſto 1661., 18. Aprile 1677., 12. Giugno, 9. e 19. Agoſto

ſto 1692., agli altri della chiara mem. del Card. Fabrizio Spada publicati ſotto li 18. Gennaro 1701., 12. Giugno 1706., & 5. Decembre 1712., e reſpettivamente a quelli di S. E. iſteſſa del 1. Luglio 4. Decembre 1717. e 12. Gennaro 1719. ordina, ed eſpreſſamente comanda.

Primieramente, che le Scritture debbano onninamente diſtribuirſi la ſera del Sabato precedente alla propoſizione della Cauſa.

Secondo, che nell'iſteſſa ſera ſi diſtribuiſchino ancora all'E. S. e per eſſa a Monſignor Auditore alle di lui ſtanze nel Palazzo di Monte Citorio, a cui ſucceſſivamente ſi dovranno dare le riſpoſte, e repliche nel modo appunto, e nell'iſteſſo tempo, che ſi diſtribuiſcono alli Signori Prelati Votanti.

Terzo, che tale diſtribuzione debba farſi agli detti Signori Votanti, benchè non intervenghino in quella Signatura.

Quarto, che debba darſi nel principio del Sommario, non ſolo la Copia per *extenſum* della Commiſſione, che ſarà ſtata traſmeſſa alle parti, ma anco quella dell'ultima Sentenza, o ſia Decreto, da cui ſi ricorre.

E finalmente per avere il certo debitore di tutto ciò, che ſarà ſtato eſpoſto, tanto nelle Scritture, che ne Sommarj ordina, che quelle Copie sì dell'une, come degl'altri, che ſi diſtribuiſcano a S. E., debbano ſottoſcriverſi di proprio Carattere degli Procuratori, che compariſcono nelle Cauſe.

Volendo l'E. S. che venga inviolabilmente oſſervato quanto reſta di ſopra preſcritto ſotto pena agli traſgreſſori di Scudi quattro di moneta per ciaſcheduna traſgreſſione, da applicarſi *ipſo facto*, & irremiſſibilmente alla Congregazione di S. Ivo ed altre anco maggiori ad arbitrio dell'E. S. Dato in Roma queſto dì 3. Giugno 1726.

G. Samminiati Auditore.

BENEDICTUS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

ROmani Pontificis, ſupremi gratiarum diſpenſatoris in terris a Domino conſtituti, providentia circumſpecta, illos, qui continuos labores pro adminiſtranda juſtitia ad publicam utilitatem, & Sedis Apoſtolicæ honorem in dies laudabiliter ſubſtinent, & quorum fidem, induſtriam, prudentiam, ac dexteritatem multis rerum experimentis ſpectatas habet, ea libenter concedit, per quæ eis aliqua fiat decoris acceſſio, ut eo alacrius majora eidem Sedi obſequia ſua impendant, & in munernm ſibi demandatorum functione ſtudioſius perſeverent,

I. Itaque ad egregia dilectorum filiorum Votantium Signaturæ noſtræ Juſtitiæ in nos, & dictam Sedem fidei, & devotionis, aliaque multiplicia merita paterne dirigentes conſiderationis intuitum, eorumque virtutem aliqua honoris prærogativa decorare volentes, & eorum ſingulas perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad

effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, motu proprio, ac ex certa ſcientia mera deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eiſdem Signaturæ Juſtitiæ Votantibus præſentibus, & futuris, ut ipſi omnes, & ſinguli Galeri redimiculum *cordone* vulgariter nuncupatnm coloris violacei in quibusvis functionibus, & actibus publicis, ac privatis, ubique deferre, & geſtare libere, & licite poſſint, & valeant, tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

II. Decernentes eaſdem præſentes literas, ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad qnos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices, Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

III. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XII. Julii MDCCXXVII. Pontificatus noſtri Anno IV.

Votantibus Signaturæ Juſtitiæ conceditur uſus Mantelli Magni, & Pilei Pontificalis cum illorum ornamentis in ſolemnibus equitationibus.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CReditæ nobis divinitus diſpenſationis ratio expoſtulat, ut illos, qui laudabilem in gravibus noſtris, & Apoſtolicæ Sedis miniſteriis operam impendunt, peculiari paternæ charitatis affectu proſequentes, gratias, privilegia eis in præmium laborum ſuorum a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris prndenti liberalitate conceſſa, uberiore benignitate ampliemus, ſicut eorum meritis convenire arbitramur.

I. Alias ſiquidem Benedictus XIII. prædeceſſor noſter, tunc, & pro tempore exiſtentibus Signaturæ noſtræ Juſtitiæ, tunc ſuæ Votantibus, ut ipſi Galeri, *cordone* vulgariter nuncupatum coloris violacei quibuſvis functionibus, & actibus publicis, ac privatis ubique deferre, ac geſtare libere, & licite poſſint, & valeant conceſſit, & indulſit, & alias prout in ipſius Benedicti prædeceſſoris deſuper in ſimili forma Brevis die 12. Julii 1727. expeditis, qnorum tenorem pro plene, & ſufficienter expreſſo, ac inſerto haberi volumus, uberius continetur.

II. Nunc autem nos ad præclara Dilectorum Filiorum modernorum Votantium Signaturæ Juſtitiæ hujuſmodi merita paterne dirigentes conſide-

derationis intuitum, ac benigne perpendentes, quantum ex eorum Tribunali, ſeu Collegio Romanæ Curiæ decoris, quantumve ex ſedulo illorum labore Eccleſiæ Catholicæ proveniat utilitatis, eoſque proinde, ac illorum ſucceſſores, ut eo alacrius fidem, operam, induſtriamque, atque ſedulitatem in hujus Sanctæ Sedis obſequium adhibere ſtudeant, amplioris favore gratiæ proſequi volentes, & ipſorum modernorum Votantium ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & mera liberalitate noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, prædictis modernis, & pro tempore exiſtentibus Votantibus Signaturæ Juſtitiæ hujuſmodi uſum Mantelli Magni, *Mantellone* vulgariter nuncupato, ac Pilei Pontificalis, ac eorumdem ornamentorum, quibus Cappellani noſtri, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Cameræ Apoſtolicæ Clerici Præſidentes in ſolemnibus æquitationibus utuntur, & fruuntur tenore præſentium concedimus pariter, & indulgemus.

III. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & alios quoſlibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari; non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 25. Januarii 1631. Pontificatus noſtri Anno I.

F. Cardinalis Oliverius.

Confirmatur Chirographum Benedicti XIII. ſuper augmento aſſignationis annuæ, Votantibus Signaturæ Juſtitiæ factæ.

CLEMENS PAPA XII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Singularis dilectorum filiorum Collegii utriuſque Signaturæ noſtræ Referendariorum in nos, & Apoſtolicam Sedem fides, & devotio, nec non aſſidui, & graves labores, quos ſubſtinent, promerentur, ut ea, quæ ad illorum favorem ex dictæ Sedis munificentia proceſſerunt, quo inviolabili juxta mentem, & intentionem noſtram roboris firmitate perennent, & nemini deſuper quovis prætextu, & ex quacumque cauſa dubitandi, occaſio, locuſque relinquatur, Apoſtolici muniminis præſidio conſtabiliamus.

I. Alias

I. Alias ſiquidem fel. rec. Benedictus PP. XIII. prædeceſſor noſter annuam duorum millium ſexeentorum ſcutorum monetæ aſſignationem ſuper redditibus, & proventibus Dohanæ Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, tunc ſuæ præter ſcuta mille ducenta ſimilia a re. mem. Innoc. PP. XII. prædeceſſore pariter noſtro eidem Collegio aſſignata, nempe quingenta ſcuta paria tunc, & pro tempore exiſtenti Decano, nec non ſcuta trecenta ejuſdem monetæ cuilibet ex Votantibus Collegii hujuſmodi, ſingulis annis anticipate perſolvenda, cum jure accreſcendi in caſu deficientiæ alicujus ex prædictis Votantibus, adauxit, & alias prout continetur in Chirographo ab eodem Benedicto prædeceſſore die 24. Septembris 1725. emanato, & ipſius manu ſubſcripto, ac Ven. Fratri Annibali Epiſcopo Sabinen. S. R. E. Cardinali Albano, Sancti Clementis nuncupato, ejuſdem S. R. E. Camerario directo, nec non in exequutionem edicti, juſſu noſtro publicati, in dicta Camera regiſtrato, tenoris qui ſequitur.

Rev. Card. S. Clemente Camerlengo.

Avendo noi piena notizia delle gravi, e continue fatighe, che ſostiene il Collegio de' Votanti della Segnatura di Giuſtizia in tutto il corſo dell'anno, e particolarmente nell'eſtive Congregazioni ſolite a tenerſi nel noſtro Palazzo Apoſtolico, e volendo per maggior rimunerazione delle medeſime accreſcerli l'annuo aſſegnamento di ſcudi mille ducento moneta fattagli dalla S. M. d'Innocenzo XII. noſtro predeceſſore con ſuo Chirografo in data de' 30. Settembre 1693. ad altri ſcudi due mila, e 600., di modo che compreſivi i detti ſcudi 1200. in tutto ſiano 3800. moneta non ſolo per dargli queſto contraſegno del noſtro paterno gradimento, che per animarli vieppiù a proſeguire con diligenza, ed attenzione l'eſercizio laborioſo della lor carica, ed amminiſtrazione della giuſtizia; quindi è che di noſtro moto proprio, certa ſcienza, e pienezza della noſtra Apoſtolica poteſtà, avendo nel preſente noſtro Chirografo per eſpreſſo il detto aſſegnamento di ſcudi mille, e due cento moneta l'anno fatto dal predetto Innocenzo XII., e d'ogni altra coſa neceſſaria ad eſprimerſi, ordiniamo a voi, che in noſtro nome, e della noſtra Camera delle rendite, e proventi delle Dogane di Roma accreſciute, ſiccome noi accreſciamo al Collegio dei 12. Votanti della Segnatura di Giuſtizia di detto annuo aſſegnamento oltre li ſudetti ſcudi 1200. altri ſcudi due mila, e ſeicento, che in tutto coſtituiſcono la ſomma di ſcudi 3800. da ripartirſi, cioè ſcudi 500. annui al Decano, e ſcudi 300. annui agl'altri undeci Votanti anticipatamente con ordine di detto Decano nel principio di ciaſchedun meſe, di modo tale, che il Decano *pro tempore* abbia ſcudi 200. di più degl'altri, ed il rimanente ſi divida egualmente, ed anticipatamente tra loro nel principio di ciaſchedun meſe, compreſovi ancora il Decano, col *jus accreſcendi* proporzionabilmente in caſo di vacanza di qualche luogo di detto Collegio incominciando dal primo del corrente meſe, e per l'effetto predetto ſpedirete mandati, e darete tutti gl'ordini, che ſtimarete neceſſarj, ed opportuni, acciò colli denari, & proventi delle ſudette Dogane ſi paghi il predetto annuo aſſegnamento così accreſciuto alli detti 12. Votanti, loro Decano, Vice-Decano, Camerlengo, o altro loro Procuratore, eſſendo tale la mente, e volontà noſtra eſpreſſa, volendo, e decretando, che il preſente noſtro Chi-

Chirografo , benchè non ammeſſo , nè regiſtrato in Camera abbia il ſuo pieno effetto , eſecuzione , e vigore colla ſemplice noſtra ſottoſcrizione: non oſtante la Bolla di Pio IV. *de regiſtrandis*, e qualſivoglia altra Bolla, Coſtituzione , ed Ordinazione Apoſtolica emanata a favore della noſtra Camera , ſuoi Miniſtri , ed Officiali , e qualſivoglia altro uſo, ſtile, ſtatuto , riforma, conſuetudine, decreto anco Conciſtoriale, ed ogni altra coſa, che faceſſe, o poteſſe fare in contrario, alle quali tutte, e ſingole per queſta volta ſolamente, ed all'effetto ſudetto pienamente, ed amplamente deroghiamo .

Dato nel noſtro Palazzo Apoſtolico di Montecavallo queſto dì 24. Settembre 1725.

Benedictus PP. XIII.

II. Nunc autem nos firmiori præmiſſorum omnium & ſingulorum robori & efficaciæ, quantum Domino poſſumus providere, dictoſque Votantes ſpecialibus favoribus , & gratiis proſequi volentes , & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis , ſuſpenſionis , & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis , cenſuris , & pœnis a jure , vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis , ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum , harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, motu proprio , ac ex certa ſcientia , & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine , Chirographum pra inſertum , omniaque , & ſingula in eo contenta, tenore præſentium confirmamus, & approbamus ; illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus , ac omnes , & ſingulos tam juris , quam facti , & ſolemnitatum quarumcumque, tam ex juris communis, & Conſtitutione Apoſtolica præſcripto, quam alias quomodolibet in ſimilibus etiam de neceſſitate obſervandarum, & alios quoslibet, etiam formales & ſubſtantiales defectus , ſi qui in præmiſſis, vel eorum aliqui principaliter , vel acceſſorie, aut alias quovis modo intervenerint, ſeu interveniſſe dici, cenſeri, vel prætendi poſſent, pleniſſime ſupplemus, & ſanamus , ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus.

III. Decernentes &c.

IV. Non obſtantibus &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Anulo Piſcatoris die 11. Maji 1733. Pontif. noſtri Anno tertio .

F. Card. Oliverius.

Edictum Signaturæ Juſtitiæ anni MDCCXXXI.

Alamannus Tituli S. Mariæ in Aracœli S. R. E. Præsbyter Cardinalis Salviatus nuncupatus, Signaturæ Juſtitiæ SS.D.N.Papæ Præfectus .

I. ETſi probatiſſimi undequaque Viri Romanam Curiam , forumque ſequentes nullam ſanè in cauſis agendis reformationem expectent adhuc, ad magis, magiſque conſulendum brevitati , & expenſis , facto Verbo cum Sanctiſſimo inhærentes decretis, alias per prædeceſſores noſtros editis, ac præcipuè ſub diebus prima Julii , & 4. Decembris 1677. & 12. Januarii 1719. præcipimus quod nemo audeat proponi facere in plena

na Signatura Commiſſiones in Cauſis non excedentibus ſcuta quinquaginta monetæ.

II. Mandamus quoque, quod in omnibus, & quibuſcumque cauſſis, in quibus agitur de moderatione, ſeu reintegratione inhibitionum moderatarum ob non tranſportationem actorum, vel a Sacra Rota, vel ab aliis Judicibus Commiſſariis, de Communicatione facultatum A. C. deputatione Judicum, remiſſione Cauſſarum uni magis, quam alteri Tribunali, ac demum de Attentatorum purgatione, vel rejectione nemini liceat plenam Signaturam adire, ſed citata prius parte inſtare debeant coram D. noſtro Auditore, cujus Decreta in omnibus prædictis vim habeant reſcripti plenæ Signaturæ, a quibus quidem Decretis, deinde liceat ſuccumbentibus, quatenus non acquieverint recurſum habere ad plenam Signaturam, in qua ſi iterum ſuccumbuerint, parti victrici ſolitas expenſas Scutorum quatuor Procuratores in pœnam reficere teneantur.

III. Renovando alias laudabiliter ordinata per clar. mem. Cardinalem Aldobrandinum, prædeceſſorem noſtrum, ulterius mandamus, quod ſi quandoque inter partes, vel earum Procuratores de commiſſione expedienda fuerit concordatum, ut hujuſmodi conſenſus appareat, ipſæmet partes, vel earum Procuratores ſua cujuſque nomina a tergo commiſſionis inſcribant; Procuratores autem abſque legitimo Procuræ mandato tale quidpiam audentes reficere parti læſæ teneantur expenſas, damna, & intereſſe per nos extrajudicialiter taxanda, additis etiam gravioribus aliis pœnis pro culpæ, dolique mali menſura arbitrio noſtro judicandis, quod ut pleniſſime obſervetur, volumus, & mandamus, quod deinceps omnino, ubi Partes de expedienda commiſſione convenerint, juxta conſenſum hujuſmodi commiſſiones ſignandas Reviſor nobis afferre teneatur.

IV. Et ne ſuo quæque ordine res fraudentur, prohibemus etiam, quod tranſmittantur in plena Signatura commiſſiones quæcumque pro ſimplici ſententiarum, vel decretorum circumſcriptione, niſi in eiſdem commiſſionibus alternativa petitio apponatur, quod ſcilicet quatenus non ſit locus circumſcriptioni committatur cauſa appellationis cum clauſulis opportunis, ne partes reiteratis propoſitionibus onerentur.

V. Inſuper volumus, quod partes teneantur dare in earum Summariis ſub numero primo copiam de verbo ad verbum collationatam cum Originalibus commiſſionum, quæ ab ipſis ſignandæ porriguntur in plena Signatura, nec non ſub ſequenti numero decretum, ſeu ſententiam, a quo, vel a qua petuntur dictæ commiſſiones per extenſum, alias præfatæ cauſæ per ejuſdem Signaturæ Ponentes omnino non proponentur, ipſique Procuratores, qui alias defecerint, expenſis dictæ Signaturæ, aliiſque arbitrio noſtro pœnis ſubjicientur.

VI. Inhærentes decretis alias editis per clar. mem. Cardinalem Chiſium prædeceſſorem noſtrum præcipimus, & mandamus, quod Scripturæ producantur omnino per decem dies ante Propoſitionem cauſæ in Signatura, non prohibentes tamen Ponentibus in caſibus ſibi beneviſis, & ubi neceſſitas poſtulaverit, ſcripturas, & jura, ſive privata, ſive publica recipere, illaque in plena Signatura referre, ut de eiſdem habeatur ea ratio, quæ de jure habenda erit.

VII.

VII. Caveant DD. Ponentes in poſterum ſubſcribere propoſitiones cauſarum contra formam præſentium decretorum, nam eorum ſubſcriptione non obſtante cauſæ non proponentur, ut ſupra, & Procuratores in expenſis, & aliis etiam gravioribus pœnis damnabuntur.

VIII. Præterea decernimus, quod quatuor tantum cauſæ proponi poſſunt in plena Signatura per quemlibet Ponentem, quando Signatura ſit de hebdomada in hebdomadam; quando vero fit infra quindecim dies, tunc proponi poſſunt uſque ad ſex, non comprehenſis in utroque caſu illas, quæ redeunt, & quæ unica tantum parte informante proponuntur. Addito inſuper, ut quilibet ponens in ſubſcribenda propñe cauſæ teneatur ibi enunciare, quo loco, an primo, ſecundo, tertio, vel quarto loco, modo quo ſupra illam proponet. Procuratores autem caveant adire Ponentes impeditos aliis Commiſſionibus ſub ſpe facultatis proponendæ extra numerum, quia in poſterum non erit licitum proponere ultra dictum numerum, ut ſupra præfixum, alias cauſæ excedentes dictum numerum non proponentur, & Procurator, qui extra numerum obtinuerit, propoſitionemque intimaverit ad refectionem expenſarum favore alterius partis tenebitur.

IX. Intimationes propoſitionum cauſarum tam tempore hyemali, quam æſtivo fiant die Jovis ante Signaturam, & informationes diſtribuantur omninò die Sabathi tam DD. Votantibus, etiam non intervenientibus, quam D. noſtro Auditori una cum Proponam originalibus a DD. Ponentibus ſubſcriptis; reſponſiones vero diſtribuantur omninò omnibus, ut ſupra, die Martis.

X. Ulterius, ut certa in poſterum habentur ſcientia illorum, qui forſan quod non credimus a moderamine, & honeſtate ſcribendi, vel a Summariorum legalitate deficiunt, volumus, & mandamus, quod quælibet copiæ ſcripturarum, quæ nobis, vel D. Auditori noſtro diſtribuuntur ſine proprio charactere Procuratorum in cauſis comparentium ſubſcriptæ, vel ab eorum ſtudii ſollicitatoribus de mandato, pro quibus tamen in cauſis ſupra expreſſis ipſimet Procuratores teneantur ſub pœna ſcutorum quatuor monetæ pro qualibet vice applicanda Congregationi S. Ivonis, aliiſque pœnis arbitrio noſtro reſervatis: & ſi hæc omnia Procuratores non adimpleverint, cauſæ prædictæ non proponentur, & nihilominus controvenientes ſcuta quatuor pro expenſis reficere tenebuntur.

XI. In cauſis, in quibus expirata fuit ſuperſeſſoria, ſeu ejus prorogatio conceſſa a nobis, vel a D. noſtro Auditore, aut etiam denegata, intimationes pro adeunda Signatura non inhibeant, neque cauſent atteutata, niſi a die Jovis ante Signaturam faciendam poſt octo dies ſubſequentes, etiamſi prædictæ intimationes exequutæ fuerint longe ante dictam diem Jovis; ſi vero ſubſequens ſignatura fiet poſt quindecim dies, aut aliud longius tempus, nullatenus inhibeant, & poſſint impune ſperni abſque incurſu attentatorum, niſi recurrens intimationem pro adeunda Signatura exequi faciat in illa die Jovis tantum, quæ præcedat immediate prædictam ſubſequentem Signaturam; quæ intimatio in utroque caſu pro unica tantum vice ſuffragetur.

XII. Interpellationes vero tam ſuper non propoſitione Commiſſionum, quam ſuper mutatione Ponentium, etiam tempore feriarum genera-

 lium

lium fieri debeant pridie quam informetur, ſcilicet per totam diem Sabathi, & factæ poſt dictum tempus non ſuffragentur, & inſuper parti informanti teneatur controveniens reficere ſcuta quatuor pro expenſis.

XIII. In cauſis antem, in quibns per nos, vel dictum D. Auditorem noſtrnm conceditur licentia redeundi ad plenam Signaturam facto ſolito depoſito, volumus, quod dicta depoſita omnino fiant per totam diem Jovis, antecedentem repropoſitioni cauſæ.

XIV. Commiſſiones juxta præſcripta in reformatione ſan. memor. Pauli V. tit. de Signat. Grat. & Juſtitiæ §. ultimo, celeriter expediantur, & nnmerus illarum in libro Reviſoris Signatarnm, tam per conceſſum in Dataria ad officium parvæ datæ, quam per placet ad Bancum Curſornm, infra triduum omnino tranſmittantnr, in quo fine Officialium manibus non incapſentur, cum expreſſa prohibitione non dandi partibus ſub pœna ſuſpenſionis, & etiam privationis officii, & aliis arbitrio noſtro.

XV. Præcipimus, & mandamus, nè citationes pro quacumque cauſa fiant prima vice coram nobiſmet, ſed fiant coram D. noſtro Anditore, alias non afficiant, & poſſint impune ſperni, imo prohibemus omnibus Notariis, nè audeant illas recipere, ſeu receptas legere, niſi coram D. noſtro Auditore ſub pœnis eidem D. Auditori, ſeu nobis beneviſis.

XVI. Similiter citationes quæcumque coram nobiſmet etiam a qnocumque decretoD.noſtri Auditoris non attendantur,& poſſint impune ſperni niſi fuerint prius a nobis ſubſcriptæ, dummodo non agatur de cauſa criminali, in qua fuerit jam ſequuta carceratio ſub eiſdem pœnis, ut ſupra.

XVII. Pari modo in cauſis mercedis, & in omnibus aliis, quæ non excedunt ſcuta viginti duo monetæ, citationes quaſcumqne coram nobiſmet tam prima vice, quam in gradu recurſus a decretis D. Auditoris ſemper irritas declaramus, præcipiendo omnibus Notariis, ne illas recipere, ſeu receptas legere andeant, niſi coram D. Auditore ſub pœnis, nt ſupra.

XVIII. Inſnper mandamus, quod citationes coram nobis concernentes attentata, moderationes inhibitionnm, præfixiones terminorum, & admiſſionem, vel denegationem recurſus, & reſpective depntationem alterius Judicis in illis cauſis, in quibus fuerit nniformiter denegata, vel admiſſa inſtantia a capite Tribunalis, & a D. noſtro Auditore, non afficiant, & poſſint impnne ſperni.

XIX. Item volumus, quod citationes pariter coram nobiſmet ad videndum ſervari terminum, dicendum contra recurſum, ſuperſederi, & ſimiles, quæ tendunt ad protrahendam ſolutionem poſt ſuſceptionem termini nullo modo attendantur, & poſſint impune ſperni, immo prohibemus Notariis, ne audeant illas legere, neque recipere. Citationes vero hujuſmodi coram D.noſtro Auditore afficiant tantnmmodo, ubi fuerint pro prima vice reproductæ, ſecundæ autem citationes poſſint impune ſperni, etiamſi fuerint perſonaliter exequutæ.

XX. Nec non declaramus, quod reſpectu attentatorum commiſſorum in ſpretum reſcriptorum plenæ Signaturæ, ac decretorum D. noſtri Auditoris citationes coram nobis afficiant, & attendi debeant, dnmmodo ſuper eiſdem attentatis fuerit prius inſtitum coram dicto D. noſtro Auditore, & citationes fuerint a nobis ſubſcriptæ.

XXI.

XXI. Citationes, quæ fiunt ad dicendum contra memoriale cum reſcripto Eminentiſſimi, non afficiant, niſi ſint ſubſcriptæ a D. Auditore, & alias factæ poſſent impune ſperni.

XXII. Superſeſſoriæ in cauſis proponendis in plena Signatura non concedentur a D. noſtro Auditore, nec a nobis, poſtquam fuerint conceſſæ prima ſuperſeſſoria, & una prorogatio, ac ulteriores citationes factæ, & faciendæ non attenduntur, niſi ſubſcriptæ fuerint per nos, & per D. noſtrum Auditorem.

XXIII. Præcipimus pariter omnibus Notariis, ſub pœnis, ut ſupra, ne audeant, ſeu præſumant recipere, & legere copias citationum, niſi de noſtra licentia, vel D. noſtri Auditoris.

XXIV. Item volumus, & mandamus, quod aliæ citationes cum inhibitione ad ſtatim coram dicto D. Auditore exequutæ poſt primam, quando fuerit perſonaliter exequuta, & non reproducta, & poſt binas, quando fuerit exequuta domi dimiſſa copia, amplius non afficiant, ſed poſſint a partibus impune ſperni abſque ullo vitio attentatorum, & idem ſervetur in citationibus coram nobiſmet exequendis, ſed poſt unicam tantum in utroque caſu.

XXV. Prædeceſſorum noſtrorum decretis inhærentes, & præcipue alias factis per Congregationem ſuper reformatione Tribunalium Urbis de Anno 1658. quam per clar. mem. Card. Chiſium ſub die 8. Aprilis 1677, necnon per clar. mem. Cardin. Scotti ſub die 12. Junii 1719. præcipimus, & mandamus omnibus Notariis, ne audeant recipere, & legere citationes, niſi in cauſis vertentibus in eorum Officiis ſub pœnis nobis, & eidem D. Auditori benevisis; citationes vero omnes, quæ fiunt tam coram nobis, quam D. noſtro Auditore in cauſis vertentibus in partibus coram Judicibus Delegatis a S. Sede Apoſtolica, & aliis quibuſcumque, volumus fieri per acta infraſcripti Scriptoris Archivii, & alias factæ ſint ipſo jure nullæ etiam cum decretis, quæ in illis emanabunt, prout illas declaramus; immo prohibemus omnibus Notariis, ne audeant illas recipere, neque legere ſub pœnis, ut ſupra.

XXVI. Et inſuper mandamus, quod citationes omnes, quæ fiunt tam coram nobis, quam D. noſtro Auditore pro purgatione attentatorum quomodocumque commiſſorum in ſpretum reſcriptorum plenæ Signaturæ in Cauſſis commiſſis Romanæ Curiæ Prælatis, & in partibus, fiant pariter per acta infraſcripti Scriptoris Archivii, & alias factæ ſint ipſo jure nullæ, etiam cum Decretis, quæ in illis emanabunt, prout nullas, & irritas declaramus, imo prohibemus omnibus Notariis, nè audeant illas recipere, & legere ſub pœnis ut ſupra. Citationes autem, quæ fiunt pro repoſitione a Decretis tam per nos, quam per D. noſtrum Auditorem factis, volumus ſub pœna nullitatis fieri per Acta ejuſdem Notarii, qui recepit Decretum, a quo petitur repoſitio, dummodo Notarius prædictus ſit competens.

XXVII. Præcipimus quoque, quod citationes ad recipiendum, nec fieri, nec legi poſſint coram nobis, ſive D. noſtro Auditore, & factæ non afficiant, & poſſint impunè ſperni.

XXVIII. Item decernimus, quod citationes ad videndum ſuperſederi coram nobis, ſive D. noſtro Auditore in Cauſſis, quæ rationem ſummæ non poſſunt in plena Signatura proponi, juxta Decreta alias edita non

recipiantur, neque admittantur, & factæ poſſint impunè ſperni, non obſtante quocumque decreto etiam interpoſito, quod cenſeatur ſubreptitiè extortum.

XXIX. Similiter volumus, quod Citationes in termino amplius exequi non poſſint, ubi per nos, vel D. noſtrum Auditorem, fuerit addita Decretis clauſula, *& amplius*, niſi dictæ Citationes prius fuerint per nos, vel D. noſtrum Auditorem ſubſcriptæ.

XXX. Demum præcipimus, quod citationes coram Nobis, vel D. noſtro Auditore in Cauſſis pendentibus in Tribunalibus R. C. Apoſtolicæ, & Curiæ Capitolii, non recipiantur, neque attendantur, ſed poſſint impune ſperni, exceptis illis ad videndum declarari Cauſam, & Cauſas ſpectare ad alia Tribunalia, remittique ad alios Judices.

XXXI. Quæ omnia, & ſingula inviolabiliter ſervari volumus, & mandamus, neque ſub quovis prætextu, cauſa, vel colore, ſive de partium conſenſu, licitum ſit contravenire ſub pœnis prædictis, & aliis gravioribus arbitrio noſtro indicendis. Datum Romæ ex Palatio noſtræ reſidentiæ die 12. Januarii 1731.

A. Card. Præfectus.

P. H. Guglielmi Auditor.

Jo. Baptiſta Conſtantinus Archivii Romanæ Curiæ Scriptor.

Audientia erit diebus Lunæ, & Jovis, hora ſolita, & conſueta, & legent infraſcripti Notarii.

Scriptor Archivii.	Notarii Eminentiſſimi Vicarii.
Not. Audit. Cameræ.	Not. Gubernatoris Urbis.
Notarii Rotæ.	Not. Curiæ Burgi.

Die autem Veneris hora prædicta legent.

Scriptor Archivii in Criminalibus.
Notarii Auditoris Cameræ in Criminal.
Notarii Eminentiſſimi Vicarii in Criminalib.
Notarii Gubernatoris Urbis in Criminal.
Notarii Curiæ Burgi in Criminal.
Notarii Eminentiſſimi Camerarii.
Notarii Curiæ Capitolinæ.
Et omnes Notarii aliorum Tribunalium.

Ex Decretis Congregationis particularis pro reformatione Tribunalium Urbis, a Sanctiſſimo D. N. BENED. XIV. approbatis anno 1742. circa recuſationes Judicum, & circa formam ſervandam in Cauſſis Patentatorum, ſeu Privilegiatorum.

§. II.

Quod recuſationes Judicum non admittantur in cauſſis exequutivis certi generis, videlicet Depoſiti, & futurorum alimentorum, aliiſque deſignatis per Decreta, alias tempore ſan. mem. Clem. XII. edita a Congregatione Reformationis Tribunalium Urbis die 4. Aprilis 1731., neque in

in quibuſcumque aliis Cauſis non excedentibus valorem ſcutorum vigintiquinque juxta aliud Decretum diei 15. Novembris 1732. quæ ſervari omnino debeant. §. II.

Et in omnibus, ac ſingulis caſibus ſupradictis citationes, & inhibitiones factæ coram quocumque Judice, vel Signatura, vel etiam Auditore Sanctiſſimi, contra formam horum Decretorum nullius ſint momenti, atque impune ſperni poſsint abſque vitio attentatorum &c.

Decreta Collegii DD. Votantium Signaturæ Juſtitiæ pro reformatione Supremi ejuſdem Signaturæ Tribunalis, a Sanctiſsimo D. N. BENEDICTO PP. XIV. ſpecialiter approbata.

Mandante Sanctiſſimo D. N. BENEDICTO XIV. pro eximio, quo pollet, zelo juſtitiæ, quod Collegium DD. Signaturæ Juſtitiæ Votantium minori litigantium diſpendio, quantum ad ejus Tribunal ſpectat, ſolicitè provideat, quodque ſimul novam methodum decernat, per quam Commiſſionum in eodem Tribunali proponendarum numerus ita præfiniatur, ut ſingulis earum diligentiori ſtudio eis, ad quos pertinet, vacare datum ſit, ideo præfatum Collegium coadunatum coram Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Card. Nerio Corſino Præfecto in ejus Ædibus ſub die 15. Decembris 1741., re maturè perpenſa, ad infraſcriptas proviſiones ſi eidem Sanctiſſimo Domino placuerit, procedere decrevit.

I. Quod in poſterum in quacumque Signatura, ſive Congregatione æſtiva non proponantur, nec proponi umquam poſſint pluſquam quadraginta Commiſſiones iis etiam compræhenſis, quæ redeant, aliiſque, quæ unica tantum parte informante proponantur, atque hujuſmodi præſcriptum numerum nemini ſub quocumque prætextu liceat tranſgredi ſequens ordo inviolabiliter obſervetur.

II. Dominus Auditor Eminentiſſimi Card. Præfecti ejuſdem Signaturæ in Commiſſionibus quibuſcumque proponendis in plena Signatura nonniſi conſuetam ſuperſeſſoriam 15. dierum, & unam tantum prorogationem ad alios 15. dies, & deinde ad primam immediatam Signaturam dumtaxat duraturam, idque etiam juxta negotiorum qualitates pro ſuo judicio concedet, quibus elapſis nullam aliam prorogationem concedere, ei datum ſit. Quod ſi aliquando urgentiſſima, atque omninò indiſpenſabilis neceſſitas, & non alia qualiſcumque, pro altera tantum prorogatione ultra primam concedendam fortè ſuboriatur, citatio pro ea obtinenda, primo a D. Auditore Eminentiſſimi Præfecti, ſecundo a D. ejuſdem Tribunalis Decano, ac tertio demum ab Eminentiſſimo Cardinalimet, propria cujuſque manu, & cauſa hujuſmodi præciſæ neceſſitatis rigoroſè, ſed tamen extrajudicialiter cognita ſubſcribatur, & alias quam trina hac ſubſcriptione ſignata citatio non ſolum reproduci, ac legi non poſſit in Audientia, ſed & ipſa, & cæteræ omnes citationes quæcumque pro ea obtinenda etiam cum *inhiberi*, ac etiam ſi a duobus tantum eorum ſubſcriptæ fuerint, aliæque omnes citationes cujuſcumque generis ſint, quoties ad impetrandam ulteriorem prorogationem, ſive directè, ſive indirectè, & ſub quovis quæſito colore, tendant, aut tendere videantur, nullo modo inhibeant,

ſed

ſed parti citatæ eas impune ſpernere, illiſque non obſtantibus ad quamcumque exequutionem, ſive realem, ſive perſonalem quorumcumque mandatorum, & ad quoſcumque alios actus pro Sententiarum, & Judicatorum exequutione neceſſarios procedere, eamdemque exequutionem, eoſdemque actus incæptos, etiamſi deinde in prædictis citationibus cujuſcumque Judicis ſuperacceſſerit Decretum, etiam cum expreſſa inhibitione, ſive nova ſuperſeſſoria, etiam = in ſtatu, & terminis = proſequi liceat, atque integrè conſumare abſque ulla pœna nullitatis, & ſine ullo incurſu attentatorum.

III. Commiſſiones pro adeunda Signatura plena tranſmittantur omnino per treſdecim dies ante diem Signaturæ, ſive Congregationis, nempe per totam diem Veneris, immediate antecedentis hebdomadam, in qua facienda erit diſtributio informationum in ſcriptis, eædemque Commiſſiones ex illa die tantum inhibeant, & inhibere cenſeantur, prout hactenus inhibebant a die Mercurii hebdomadæ præcedentis Signaturam; propoſitio vero earumdem Commiſſionum intimetur omnino alteri parti die Sabathi immediatè ſequenti tranſmiſſionem Commiſſionum; ne autem ob anticipatam, & aliquando fortaſſe ab occurrentibus Feriis & vacationibus impeditam earumdem Commiſſionum tranſmiſſionem, atque intimationum exequutionem, longius quam par ſit, Signatura differri debeat, eadem Commiſſionum tranſmiſſio, atque intimationum exequutio quocumque tempore, & quocumque die, quibuſcumque feriis, & vacationibus, non obſtantibus (diebus tamen feſtivis in Dei, ac Sanctorum honorem exceptis) validè, & licitè fieri poſſint. Et nihilominus, nè litigantes majoribus expenſis graventur, Curſores, & Mandatarii pro hac tranſmiſſione, ac reſpectivè exequutione, nil ultra petere poſſint, quam ſi diebus non feriatis, nulliſque vacationibus impeditis factæ fuerint.

IV. Quilibet Referendarius Commiſſiones in Signatura propoſiturus obtemperando Edictis, alias a Card. Aldobrandino, tunc Signaturæ Juſtitiæ Præfecto promulgatis, teneatur omnino abhinc in poſterum ita Commiſſionum quarumcumque propoſitionem manu propria ſubſcribere, ut innoteſcat, quam cauſſam primo, quamve ſecundo, tertio, vel quarto loco ſit propoſiturus, per hæc verba = *Proponam pro prima, proponam pro ſecunda &c.* & Procurator in dorſo, ut dicitur, Informationis inſcriptis ſubſcriptionem cujuſque Referendarii cum prædicta diſtinctione notare teneatur, alias idem Procurator, qui ſupradictam Referendarii ſubſcriptionem abſque eadem diſtinctione impetraverit, ſive eam in dorſo informationis, ſic ut ſupra diſtinctam, non notaverit, ab eadem Signatura ad conſuetam pœnam ſcutorum quatuor Congregationi S. Ivonis applicandam abſque ulla mora, nullaque admiſſa excuſatione condemnetur.

V. Tranſmiſſa per totam diem Veneris ut ſupra Commiſſione, quilibet Procurator, qui Commiſſionem tranſmiſerit, teneatur per totam diem Mercurii immediatè ſubſequentem deferre ad Dominum Eminentiſſimi Præfecti Auditorem folium originale propoſitionis manu propria, & cum prædicta diſtinctione a Referendario quolibet ſubſcriptæ, in quo erunt notata titulus Commiſſionis, nomen Referendarii a quo proponetur, & in calce ejuſdem folii nomen Procuratoris proprio ejuſdem charactere inſcriptum,

ptum, alias ejuſmodi folio minime delato Procurator, qui in hoc defecerit, plectatur eadem pœna ſcutorum quatuor, eidem Congregationi S. Ivonis applicanda.

VI. Informationes inſcriptis diſtribuantur omnino ſub pœnis, arbitrio Tribunalis reſervatis, tam omnibus DD. Votantibus, quam etiam DD. Referendariis, Commiſſiones propoſituris, ſicuti D. Auditori Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, per totam diem Veneris proximè antecedentis Signaturam, ſive Congregationem.

VII. Dominus Auditor Eminentiſſimi Præfecti poſt factam ejuſmodi diſtributionem Commiſſiones ſeparabit, excedentes numerum quadragenarium, eaſque in folio adnotatas cum expreſſione tituli Commiſſionis, & nominis Referendarii, ad cujus relationem proponenda erit, tranſmittet immediatè ad DD. Votantes, ac etiam ad DD. Referendarios cujuſcumque commiſſionis, ad hoc, ut abſtinere poſſint ab earum ſtudio; ſimilique folio affigendo in Aula ejus ſolitæ Audientiæ Procuratores, & Partes litigantes, certiores faciet de earum non propoſitione in illa proxima Signatura, dictique DD. Votantes, & Referendarii, eadem folia in propriis Aulis ſimiliter affigi curabunt.

VIII. Commiſſionum non proponendarum electio ſpectabit ad eumdem D. Auditorem Eminentiſſimi Præfecti, qui ſeparabit, & ad ſequentem Signaturam reſervabit ex Commiſſionibus numerum quadragenarium excedentibus illas a DD. Referendariis, quarto, ſeu ultimo loco ſubſcriptas, habita tamen conſideratione ad illas commiſſiones, quæ quandoque pro ſuo judicio celeriorem expeditionem exigere videantur.

IX. Commiſſiones a D. Auditore Eminentiſſimi Præfecti ſeparatæ, & ad ſequentem Signaturam reſervatæ, proponantur omnino in eadem proximè ventura Signatura: interim vero partes ſint inhibitæ eodem fermè modo, ac ſi prorogatio expirata non fuiſſet.

X. Informationes in voce ſuper dictis Commiſſionibus, ad ſequentem Signaturam reſervatis, habeantur die Lunæ immediate antecedente diem ejuſdem ſequentis Signaturæ, & reſponſiones in eiſdem Commiſſionibus diſtribuantur proxime ſequenti die Martis ejuſdem hebdomadæ, prout in cæteris Commiſſionibus; ut autem litigantium incommoda minime ex hoc augeantur, numquam liceat Procuratoribus diſtribuere in prædictis commiſſionibus, ut ſupra reſervatis, alias informationes in ſcriptis, ultra jam diſtributas, ac præter ſolitas reſponſiones de more diſtribuendas proximo ſuperiore die Martis, idque etiam ſub prætextu ſupplicis libelli additionalis, ſive reaſſumatur, aliorumque ſimilium.

XI. Commiſſiones appellationum a quocumque cujuslibet Judicis decreto non proponantur in plena Signatura, niſi adſit in ipſo decreto clauſula: *Amplius*: vel ſaltem niſi per duas vices fuerit citatum coram eodem Judice decreti pro obtinenda repoſitione, & per duas pariter vices ſteterit Judex in decretis, alias Procurator eadem pœna ſcutorum quatuor alteri parti applicanda puniatur.

XII. Commiſſiones attentatorum, pertinentiæ cauſarum, & competentiæ juriſdictionis declinatoriæ fori, avocationis, & unionis cauſarum, remiſſionis cauſarum ad partes, ſuſpicionis Judicum, remiſſionis ad eumdem Ju-

Judicem, qui iterum audiat, declarationes cauſarum, num videlicet, recurribilis ſit, an appellabilis, Rotalis, ſive Prælatitia, communicationis facultatum A. C. moderationis, ſive reintegrationis Monitorii, ſeu inhibitionis, circumſcriptionis actorum, & poſſeſſionum ex capite nullitatis provenientis ex alio titulo, quam ex nullitate ipſius ſententiæ, omneſque aliæ Commiſſiones ſimiles ſuper quocumque incidenti, & emergenti, & quæ directe non ſint commiſſiones appellationum ſuper negotio principali, ſive circumſcriptionis ſententiæ, & decreti ex defectu Juriſdictionis, citationis, aut mandati, nullatenus proponantur in Signatura, niſi ſuper iiſdem incidentibus, & emergentibus, præceſſerit inſtantia citata parte coram D. Auditore Eminentiſſimi Præfecti; eidem autem D. Auditori numquam licitum erit ejuſmodi inſtantias ad plenam Signaturam remittere pro reſolutione, ſed pro ſuo judicio decretum omnino edere tenebitur; ſin autem partes non adquieſcant, ſed recurſum habeant ad Eminentiſſimum Præfectummet, qui ſimiliter abſtinebit a ſimplici remiſſione inſtantiæ ad Signaturam abſque decreto, & ab eo decretum D. Auditoris fuerit confirmatum, pars deinde recurrens ad plenam Signaturam, quocumque modo conceptum ſit ejuſdem Eminentiſſimi Præfecti decretum, nempe vel cum clauſula *ſuperſederi*, *ſive* cum clauſula, *niſi*, vel cum alia quacumque clauſula, ante commiſſionis propoſitionem ad conſuetum propoſitum ſcutorum quatuor ſemper, & omnino teneatur.

XIII. Commiſſiones reſtitutionis in integrum adverſus quaſcumque res judicatas, ſive ex numero ſententiarum, ſive a renunciatione litis, & acceptatione judicati, nullatenus ſignentur a Signatura plena, niſi conſtito de læſione, prout de jure.

XIV. Ubi commiſſiones ſignandæ erunt adverſus rem judicatam ob non interpoſitam, aut debito tempore non proſequutam appellationem, adverſus judicatum alterius revocatorium, adverſus mandatum de conſignando uni potius, quam alteri inter diverſos creditores, aut adverſus mandatum relaxatum in Judiciis redditionis rationis, liquidationis fructuum, damnorum, & expenſarum, a quibus de ſtylo Signaturæ datur appellatio, ejuſmodi inſtantiæ proponantur omnino citata parte coram Domino Auditore Eminentiſſimi Præfecti, ejuſque decreta in his caſibus eamdem vim habeant, ac ipſa reſcripta plenæ Signaturæ. Si vero fortaſſis pars aliqua ejus judicio non acquieſcat, plenam Signaturam adire valeat, facto tamen ante commiſſionis propoſitionem conſueto depoſito ſcutorum quatuor.

XV. Similiter Commiſſiones avocationis, & unionis cauſarum, ratione connexionis, dependentiæ, & individuitatis cum altera cauſa in alio Tribunali pendente, ſive cum re judicata, alias emanata, a qua reſtitutio in integrum forte obtineatur, ſive obtenta fuerit, non ſignentur a plena Signatura, niſi refectis alteri parti omnibus expenſis, tam judicialibus, quam extrajudicialibus, quoties conſtabit cum ſcientia pendentiæ alterius cauſæ, ſive exiſtentiæ rei judicatæ, novam cauſam ab actore introductam, ſive a reo conteſtatam fuiſſe.

XVI. Commiſſiones ſuper circumſcriptione alicujus ſententiæ, de partium conſenſu emanatæ in gradu recurſus ſuper cauſis, cæteroquin de earum natura ratione ſummæ appellabilius non aliter ſignentur a plena Signa-

Digitized by Google

gnatura, quam prævia refectione alteri parti omnium expenſarum, tam judicialium, quam extrajudicialium, & quorumcumque damnorum; & id ipſum ſervetur etiam in ſignandis Commiſſionibus avocationis cauſarum, & declinationis fori, ratione clericatus, ſive alterius cujuſcumque privilegii, quoties porrigantur Signaturæ poſt præſtitum conſenſum coram Judice Ordinario.

XVII. Ad parcendum inſuper inutilibus litigantium expenſis, nemo audeat in poſterum plenam adire Signaturam ad petendam ſimplicem declarationem reſcripti, alias in eadem Signatura emanati, ſed ejuſmodi declaratio coram D. Auditore Emi Præfecti, qui cuilibet Signaturæ intereſſe debet, omnino petatur. Dominus autem Auditor dubii reſcripti ſenſum, ſi is ſatis ſibi conſtabit, partibus aperiat, ſecus vero habito termino prò ſervato DD. Votantes in proxima Signatura de ejuſdem reſcripti ſenſu interroget; quin liceat partibus ullam informationem in ſcriptis, etiam ſub prætextu cujuſcumque ſupplicis libelli ſuper hoc diſtribuere; deinde vero in prima audientia reſponſum, a Signatura acceptum, partibus communicet; ſi vero aliquando, quod forte contingere poteſt, reſcripti declaratio Judicio DD. Votantium non ſatis aperta ſit, ſed diſcuſſionem aliquam exquirat, tunc & non alias D. Auditor de ipſorum DD. Votantium mandato licentiam adeundi Signaturam partibus impertiatur.

XVIII. Abſtineat D. Auditor Eminentiſſimi Præfecti, ſicuti, & ipſemet Eminentiſſimus Præfectus abſtinebit a concedenda licentia redeundi ad Signaturam in illis Commiſſionibus, quæ in eadem Signatura cum clauſula *Amplius* ſignatæ fuerint; quod ſi aliquando ex rationabili cauſa ejuſmodi licentia ab eodem Præfecto, cui tantum fas erit, concedetur, quod tamen raro faciet, nonniſi facto per redeuntem ad Signaturam duplici depoſito, commiſſio reproponatur.

XIX. Abſtineat etiam eadem Signatura plena a concedendis nimia facilitate dilationibus, ab alterutra parte petitis, abſque urgentiſſima cauſa, extra quam ſolo etiam Oratore informante commiſſio proponatur expedienda, & ita alterius partis, ſive non comparentis, ſive abſque legitima cauſa dilationem petentis, plectatur contumacia, ut in ejus reformatione non prius audiatur, quam ſcuta quatuor, expenſarum nomine, Oratori refuderit; ſimilique pœna mulctetur etiam, qui commiſſionibus ſemel tranſmiſſis, parte altera informante a propoſitione reſiliverit, vel abſque graviſſimo impedimento dilationem poſtulaverit.

XX. Quilibet Procurator in quibuſcumque copiis decretorum, vel ſententiarum, a quibus commiſſiones porriguntur, ſicuti etiam inſtrumentorum, Teſtium depoſitionum, cæterorumque documentorum, & ſcripturarum, quas ipſi in eorum Summariis exhibebunt, apponant omnino diſtinctam, ac fidelem adnotationem diei, menſis, & anni, quibus ſingula acta celebrata fuerunt, alioquin abſque ſpe remiſſionis, conſueta pœna ſcutorum quatuor, eidem Congregationi S. Ivonis applicanda, illico puniatur.

XXI. Caveant ſollicite iidem Procuratores, ne in ſcribendo ab antiqua, & ubique laudata Romanæ Curiæ brevitate deflectentes, ſuperflua, nimiumque litigantibus diſpendioſa prolixitate utantur; ſi quis verò moderatæ menſuræ limites exceſſerit, condigne Tribunalis arbitrio puniatur.

Digitized by Google

XXII. In cæteris autem omnibus per ſupradicta decreta ordinatis, in quibus pœna ſpecialiter non fuit adjecta, Procuratores, qui commiſerint, conſueta pœna ſcutorum quatuor alteri parti, ſi ex eorum culpa fuerit læſa, ſin minus præfatæ Congregationi S. Ivonis applicanda, judicio ejuſdem Tribunalis puniantur.

XXIII. Demum per præſentes proviſiones nullum omnino præjudicium illatum ſit omnibus, & ſingulis Edictis, alias per Eminentiſſimos Cardinales Præfectos pro tempore ejuſdem Signaturæ Juſtitiæ promulgatis, quæ in quibuſcumque ſuis partibus, in quibus his decretis non adverſentur, in ſuo integro robore, prout ſunt de præſenti, plene remaneant.

Cumque ſub die 24. Martii 1742. de omnibus ſupradictis decretis Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus D. Cardinalis Præfectus relationem fecerit eidem SS. D. N. Sanctitas Sua benigne annuit, eadem approbavit, atque imprimi, publicari, & omnino ſervari mandavit.

Nerius Cardinalis Corſinus.

Jo. Baptiſta Conſtantinus Archivii Romanæ Curiæ Scriptor.

IN CONSTITUTIONE SS. D. N. BENEDICTI P. XIV.

De appellationibus, & inhibitionibus concedendis, vel denegandis, lata ſub die tertio Kal. Aprilis, extat ſequens ad Signaturam Juſtitiæ pertinens declaratio.

Ulterius in prædictis cauſis, in prima inſtantia pendentibus, vel alias ſuperius expreſſis, in quibus non admittitur appellatio in ſuſpenſivo, citationes, quæ expediri ſolent coram Cardinale Signaturæ Juſtitiæ Præfecto, vel ad effectum comparendi, vel pro adeundo eamdem Signaturam, tametſi ab ejus Auditore ſubſcriptas, vim inhibendi nullatenus ſortiri poſſe volumus, eaſque ad prædictos alios dumtaxat effectus comparendi ſcilicet, vel adeundi Signaturam, expeditas cenſeri, non autem ad retardandam exequutionem, vel ſuſpendendum Proceſſum ad ulteriora.

Declarationes ad nonnulla ex Decretis per Collegium Signaturæ Juſtitiæ editis, & evulgatis ſub die 3. Aprilis 1742.

Nerius Tit. S. Euſtachii S. R. E. Diaconus Cardinalis Corſinus Signaturæ Juſtitiæ SS. D. N. Papæ Præfectus.

I. Quum pro recta, & celeri juſtitiæ adminiſtratione, ac ad conſulendum inſimul Curiæ, & litigantium commoditati nuper ſub die 3. Aprilis proximè præteriti per Signaturæ Juſtitiæ Collegium cum ſpeciali approbatione Sanctiſſimi D. N. Papæ BENEDICTI XIV. feliciter Regnantis, plura edita, & evulgata fuerint ſalubria Decreta, a quibus ſaluberrimos quoque effectus hactenus promanaſſe, dignoſcatur, nihilominus, ut facilior via ſternatur juſtitiæ adminiſtrationi, quum expediens nobis viſum fuerit, etiam ex unanimi ſenſu ejuſdem Collegii nonnulla ex illis declarare, atque explicare; idcirco facto verbo cum Sanctiſſimo D. N. BE-

Digitized by Google

BENEDICTO XIV. ac de illius vivæ vocis oraculo declaramus, & explicamus, ac reſpectivè præcipimus, & mandamus.

II. Quod Superſeſſoriæ, & prorogationes in ſecundo ex dictis Decretis deſignatæ ad 15.dies, per D. noſtrum Auditorem juxta antiquam praxim relativè ad Signaturas concedautur; curet tamen idem D. Auditor, inhærendo noſtrorum Prædeceſſorum Edictis, unam tantum Superſeſſoriam, & prorogationem pro cujuslibet cauſæ propoſitione concedere; & ſi ex legitima, & urgentiſſima ratione, cujus cognitionem ejus vigilantiæ committimus, pro alia prorogatione inſtantiam recipere, quandoque compellatur, ulteriores citationes non attendantur, niſi ab eo fuerint præventivè ſubſcriptæ, & ſignatæ cum *poterit legi*; ac ad evitandas obreptitias circumventiones, quibus inter aſſiduas ſui muneris curas ſubeſſe fortaſſe poſſet, addatur inſuper per eumdem ſpecialis expreſſio ſequentis clauſulæ, pro *prima*, vel *ſecunda vice*, juxta numerum prorogationum extra ordinem petitarum, & citationes tali modo ab eo ſignatæ afficiant, & attendi debeant, abſque neceſſitate triplicis ſubſcriptionis, in dicto ſecundo Decreto præſcriptæ. Sin autem, vel non fuerint ita ſubſcriptæ, vel cum ſubdola, & minus vera expreſſione enunciati numeri, attendi nullatenus mereantur, & poſſint impunè ſperni abſque vitio attentatorum.

III. Quod tranſmiſſio commiſſionum in tertio Decreto præfixa per treſdecim dies ante diem Signaturæ, nempe per totam diem Veneris antecedentis Hebdomadam, in qua ſtatuta reperitur diſtributio Informationum, deinceps fieri debeat per ſolos decem dies ante, nempe die Lunæ hebdomadæ præcedentis Signaturam, ac per eoſdem decem dies inhibeat, propoſitio autem intimetur die ſequenti poſt tranſmiſſionem, ſcilicet die Martis.

IV. Quod facultates conceſſæ D. Auditori in XII. Decreto, remittendi cauſas appellabiles ad eumdem Judicem, ut iterum audiat, intelligantur tantummodo conceſſæ pro illis Sententiis, ſeu definitivis Decretis emanatis per contradictas, dummodo tamen non tranſierint in auctoritatem rei judicatæ, nec mutata ſit perſona Judicis.

V. Quod aliæ facultates eidem D. Auditori attributæ in XIV. Decreto concedendi, ſcilicet, per ſua decreta Appellationem in quibuſdam Cauſis, In quibus ea de ſtylo a Signatura concedi ſolet, firmæ remaneant, præterquam quoad cauſſas liquidationis fructuum, damnorum, & expenſarum, & redditionis rationum, in quibus moderatæ, & abrogatæ cenſeantur.

V. Cætera vero ſancita, & præſcripta tam in iiſdem ita declaratis Decretis, quam in reliquis aliis, inviolabilia, & intacta remaneant, ac undique obſervari præcipimus, atque mandamus. Datum Romæ ex Palatio noſtræ reſidentiæ hac die 26. Septembris 1742.

N. Cardinalis Præfectus.

B. Cincius Auditor.

Jo. Baptiſta Conſtantinus Archivii Rom. Curiæ Scriptor.

Ordo Præcedentiæ per Votantes Signaturæ Juſtitiæ, & Gratiæ tum in ſedendo, tum in voto ferendo, ſervandus.

BENEDICTVS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Militanti Eccleſiæ, quæ eſt, ſicut caſtrorum acies ordinata per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam, quamvis nullis noſtris meritis præſidentes illud præcipuè inter cætera permagna & ampla Apoſtolicæ Procurationis noſtræ munera ſtudioſius curare debemus, ut eas providentiſſimè tradamus, ſtatuamuſque regulas, quibus ab ipſis ejuſdem Eccleſiæ Prælatis in hac Romana Curia ad laborioſa, & difficillima totius Catholici Orbis expedienda, ſive Gratiæ, ſive Juſtitiæ negotia nobiſcum adlaborantibus, ritè, ſanc̃teque ſervatis, nulla potiſſimum, quoad præcedentiam inter eos confuſio, & inordinatio inducatur, quemadmodum, iiſdem regulis nondum apprimè coſtitutis, experientia conſtat, maximam inductam fuiſſe confuſionem, inordinationemque. Duo in hac ipſa Romana Curia noſtra ſunt Tribunalia antiquiſſima ſanè, & aliis interdum, quam de præſenti nominibus, celeberrima, alterum quidem Signaturæ Juſtitiæ dictum, in quo duodecim tantum numerantur Prælati Votantes nuncupati, alterum vero Signaturæ Gratiæ appellatum, in quo totidem Prælati Votantes habentur; in horum ſanè numero Nos pariter olim, dum in minoribus eſſemus, fuiſſe gloriamur; porro numquam utrique Votantes tamquam in ſive Corporis, ſive Tribunalis ſpeciem conveniunt; ea propter nulla quidem hac in parte neceſſaria eſt Apoſtolicæ noſtræ providentiæ ratio, ſed hoc præſertim præcipimus, & mandamus, ut quotieſcumque tam ipſi Signaturæ Juſtitiæ, quam Signaturæ Gratiæ Votantes pro ſuis reſpectu proprii Tribunalis ſeorſim obeundis, adimplendiſque muneribus invicem convenire debent, idem inter ipſos tum in ſedendo, tum in Votum, ſive ſuffragium ferendo præcedentiæ ordo ſervetur, qui ad hanc uſque diem retentus, ſervatuſque eſt. Quoniam ut plurimum accidere poteſt, ut ſive unus, ſive plures ex utroque Signaturæ Juſtitiæ, & Gratiæ Tribunali Votantes quacumque ex cauſa, ſive Prælatitio, ſive quocumque alio habitu induti, quomodolibet, & ubicumque inſimul reperiri poſſint; hinc eſt, quod nos motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine volumus, & mandamus, ut in hujuſmodi conventu, ille Votans, qui in ſuo Tribunali antiquior, & prior conſtitutus fuerit, hoc modo præcedat, videlicet, ut Votans prior in Signaturæ Juſtitiæ Tribunali adlectus quam Signaturæ Gratiæ Votans in ſuo admiſſus fuerit, huic ſecundo dicto Signaturæ Gratiæ Votanti præcedat ille Signaturæ Juſtitiæ Votans, ita pariter huic Signaturæ Juſtitiæ Votanti, præcedere debeat ille Signaturæ Gratiæ Votans, qui antequam Signaturæ Juſtitiæ in ſuum Tribunal admitteretur, jam in proprium itidem Tribunal receptus fuerit; Quod ſi contigerit, ambos alterius Signaturæ Votantes eodem die quemque Tribunali conſtitutos fuiſſe, tunc præcedentia illi detur, qui in Prælatura quacumque antiquior, & prior reperitur; traditam itaque, ſtatu-

tutamque regulam in præmiſſis, dummodo nullus alius præcedentiæ titulus intercedat, omnino ſervandam, cnſtodiendamque eſſe volumus, & mandamus; vernm cnm aliquis Votans alterius Tribunalis hujuſmodi ſive Epiſcopali charactere inſignitus, ſive Protonotarii Apoſtolici dignitate ornatus, ſive quocumque alio ejuſdem Romanæ Curiæ munere, vel officio decoratus reperiatur, præcipimus inſuper, & mandamus, ut nulla habita Signaturæ Juſtitiæ, aut Gratiæ, Votantis ratione, ſed ea dumtaxat præcedentia illæſa remaneat, quæ Votantis reſpectu, ſive characteris Epiſcopalis, ſive dignitatis Proto-Notarii Apoſtolici, ſive cujuſvis alterius mnneris præcedentiam hac in re requirentis competit, & debetur; deniqne ſtatuimus, & decernimus, hujuſmodi præcedentiam, cum quivis Votans in utroque Signaturæ Juſtitiæ, & Gratiæ Tribunali adſcriptus fuerit, a primæva ipſius Votantis in altero utriuſque Signaturæ Tribnnali receptione, & admiſſione, & non aliter eſſe repetendam, & definiendam, decernentes ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumqne ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per qnoſcumque Judices, Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarnm Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentarl; non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcnmque. Datum Romæ apnd Sanctam Mariam Majorem ſub Anulo Piſcatoris die VII. Junii MDCCXLVI. Pontificatus noſtri Anno ſexto.

Noviſſima Decreta Signaturæ Juſtitiæ.

I. IN Congregatione habita in Signatura diei 17. Septembris 1750. deciſum fuit, per viam declarationis decretorum Collegii DD. Votantium Signaturæ, depoſitum intrare, quoties provocatur ad Signaturam adverſus decretum D. Auditoris, conceptum non cum clauſula *niſi*, ſed cum verbo *Superſederi*, etiamſi non interceſſerit alterum conforme decretum Eminentiſſimi Præfecti; quo ſimul concurrente depoſitum intrare nulla facta diſtinctione, an dilatio conceſſa fuerit potins cum dicto verbo, qnam cnm dicta clauſula, ut in decretis prædictis Collegii DD. Votantium cavetnr.

II. Quam declarationem Signatura ratam habuit die 8. Aprilis 1756. & omnino ſervari mandavit, multoque magis ſi recurritnr directè a decreto R. P. D. Auditoris, qui nullam ſuperſeſſoriam conceſſit, ad effectum adeundi Signaturam a ſuo decreto.

FINIS.

IN-

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM,

Quæ in hoc Commentario continentur.

C A P. I.

DE Signaturæ diviſione in illam Gratiæ & Juſtitiæ. *pag.* 6. 7.
De Privilegiis DD.Referendariorum Votantium, & ſimplicium. 11. ad 26.
De Proceſſus inſtructione pro promovendis ad Referendariatum.27.ad 31.
De Signaturæ congreſſu, ac ratione ſuffragia ferendi. 32. ad 36.
De eadem Signatura repreſentante illam gratiæ. 41.
De Signaturæ Juriſdictione, tam in Cauſis Civilibus, quam in Criminalibus, & Cameralibus. 37. ad 47.
De Referendariorum juriſdictione, & proinde de Commiſſariis judicibus, eorumque praxi. 47. ad 58.

C A P. II.

DE Modo procedendi in Cauſis de ſui natura appellabilibus & in illis judicatis, quæ incidentia, & emergentia Cauſarum reſpiciunt. 59.
De Cauſis, in quibus dubium ſit, an admitti debeat vel ne appellatio.61. 62.
De Superſeſſoriis. 62. ad 70.
De Commiſſionum tranſmiſſione & Scripturarum diſtributione. 70.73.
De tempore informationis in voce faciendæ. 74. ad 75.
De modo procedendi in reliquis propoſitionibus. 75.
De Dilatione quæ elargitur, vel ex officio, vel parte petente. 80. & 81.
De productione jurium. 81.
De Auctoritate D. Auditoris Signaturæ. 83. ad 100.

C A P. III.

DE diverſis Commiſſionum ſpeciebus. 101. ad 103.
De ratione illas conficiendi. 104. ad 106.
Formula Commiſſionis Appellationum in Cauſis Ordinariis. 108.
Reformatoriæ alterius Commiſſionis. 110.
Pro repropoſitione Cauſæ in plena Signatura. 111.
Exequutorialis. 112.
Remiſſionis Cauſæ ad partes. 113.
Pro alterius Judicis deputatione. 114.
Appellationis ab interlocutoria. 114.
Quando tertius ad Cauſam admittitur. 115.
Prorogationis fatalium. 116.
Formulæ Commiſſionum in judiciis poſſeſſoriis & attentatorum.118.ad 120.
In materia Penſionum. 121. 122.
Reſtitutionis in integrum. 122.
In Cauſa exequutionis litterarum Apoſtolicarum. 123.
Derogationis Feriarum. 123.
Super jactationibus. 124.
Formulæ Commiſſionum Avocatoriarum. 126. ad 129.
Super moratoriis, dilationibus, Ceſſione bonorum &c. 130.

CAP.

C A P. IV.

DE Advocati, & Procuratoris munere in Cauſis Signaturæ. 132. ad 134.
De Summarii ordinandi, ac Scripturæ conficiendæ ratione. 134. ad 143.
De Reſponſionibus. De informatione in voce. 143. ad 144.
De modo ſcribendi in repropoſitione Cauſarum. 144.
De ſuffragiis a DD. Votantibus ferendis, deque laudabili conſuetudine, quam ſervant juvenes, legalibus diſciplinis addicti, ſtudio praxis Signaturæ apud DD. Votantes operam dandi. 144. ad 147.
De æque laudabili illa ratione, quam Judices Romanæ Curiæ, & DD. Votantes retinent, explicandi ſuam ſententiam in privatis informationibus priuſquam in plena Signatura reſcribatur. 147. ad 149.

C A P. V.

DE Reſcriptis in Cauſis Appellationum, & potiſſimum Ordinariis. 151.
De Clauſula *ſine præjudicio rei judicatæ, vel trium conformium*. 151. 152.
De Clauſulis *dimiſſa poſſeſſione tantum, ac reſervatis fructibus, & expenſis in fine litis, conſtito de Oratoris paupertate*. 152.
De Reſtitutione in integrum prout de jure: vel conſtito de tribus. 153.
Alteri qui ad ulteriorem legitimam. 153.
Sine præjudicio duarum conformium. De præfixione termini. 154.
Ab exceſſiva. Tranſportatis & refectis inhibitionem reintegret &c. 155.
Sine præjudicio mandati de manutenendo. 156.
Cum facultate manutenendi quem de jure. 157.
Conſtito quod ſit locus Ægidianæ. 158.
Purgatis attentatis: cum facultate attentata revocandi in primis & ante omnia quatenus adſint: nihil: rejectis Attentatis: reſervatis in fine litis. 159.
Sine præjudicio mandati de aſſociando. 160.
Sine præjudicio legitimæ executionis, ſeù mandati de evacuando. 160.
De Appellatione. 161.
Judici ad quem, ut procedat ex integro. Cum facultatibus A.C. 162.
Si quid exequendum. Alteri qui ad legitimam. 162. ad 164.
Parito litteris. Parito litteris arbitrio. Alteri appoſito Sequeſtro. 165. ad 166.
Sine præjudicio executionis, & non retardata ſolutione penſionis. 166. ad 167.
Lacerari Commiſſionem. Judex Delegatus procedat ac ſi Commiſſio ſignata foret cum clauſula &c. 168.
Nihil de laceratione, ſeu reformatione Commiſſionis. 168.
Conſtito prius de exiſtentia, & intereſſe. 168.
Nihil, & ſervetur decretum Eminentiſſimi. 169.
A. C. moderetur inhibitionem, & cauſam ad partes remittat. 169.
In devolutivo tantum. Nihil de moderatione. Reintegret inhibitionem. 169.
Eminentiſſimo Vicario, vel A.C. qui alium deputet in ſtatu, & terminis. 169.
Subminiſtratis alimentis ac ſumptibus litis. Cum facultate ſubminiſtrandi. Arbitrio Rotæ taxandis. Subminiſtratis ſcutis N. 170.
Sine præjudicio ſalva medietate dotis: deducto ne egeat. 171.
Iterum audiat. Iterum audiat ex integro. 171.
Ad partes. Sine præjudicio ad effectum inveſtiendi. 172.
Sine præjudicio quoad certam ſummam; & in reliquis ſi quid exequendum. 173.

Re-

Digitized by Google

Reformetur Breve Commiſſionis. 174.
Procedat de voto Rotæ. Cum Voto Rotæ. 174.
Conſtito de læſione. 175.
Non retardata præſtatione alimentorum. 177.
Dilata. 176.
Conſtito, quod Cauſa Civilis eſſet præjudicialis Criminali, inhibeat. 176.
Servata forma motus proprii Pii IV. & Pii V. 179.

APPENDIX.

Privilegia DD. Referendariis U. S. a Paulo III. conceſſa. 182. ad 193.
Præfinitio numeri & qualitatum eorumdem, & Conceſſio Privilegiorum ex conſtitutione Sixti V. 194. ad 199.
Reformatio ex Conſtitutione Pii IV. 199. ad 201.
Breve ſuper officio Acolytorum Apoſt.collato DD.Votantibus.201. ad 203.
Conſtitutio Alex. VII. ſuper erectione Collegii & ſuper qualitatibus admittendorum. 203. ad 205.
Breve Alex. VII. Cardinali Chiſio ſuper facultate ſignandi quaſcumque commiſſiones in Signatura, Cauſarum præſertim in partibus Indiarum. 205. 206.
Breve Clem.IX. facultatis Oratorii privati,DD.Votantibus conceſſæ.206.207
Conſtitutio Innoc. PP. XII. ſuper electione Votantium & indulto Rocchetti, & Cappæ Magnæ. 207.ad 211.
Aſſignatio ſcut. 100. quolibet menſe DD. Votantibus. 211. ad 212.
Chirographum ſcutorum 50. annuorum pro quolibet Votante loco immunitatis gabellarum. 212. 213.
Ordo Pontificis pro excipiendo in informatione Advocatum Fiſci. 213.
Ex Conſt.Reformat. Tribunalium Caput de Signat.Grat. & Juſt. 213.ad 215.
Decreta Collegii ejuſdem Signaturæ annorum 1659.76.79.80.90. 215.217.
Breve Clem. XI. facultatis transferendi penſiones Eccleſiaſticas uſque ad Summam Scutorum 100. pro DD. Votantibus. 217.ad 19.
Extenſio ejuſdem facultatis, etiamſi officium Votantis dimiſerint. 219.& 20.
Notificationes quædam. 221. ad 222.
Conſtitutio Bened. XIII. conceſſionis DD.Votantibus redimiculi, vulgò *Cordone*, violacei coloris in pileo. 223.
Clem. XII. pro Mantello Magno, ac Pileo Pontificali, in equitationibus ſolemnibus. 224.
Confirmatio Chirographi ſuper augumento aſsignationis annuæ, DD. Votantibus factæ a Bened. XIII. 225.
Edictum Eminentiſsimi Præfecti Salviati. 227.ad 232.
Ex Decretis Congregationis ſuper reformat. Tribunalium anni 1742. 232.
Decreta Collegii Votantium Signaturæ Juſtitiæ anni 1742. 233.
Ex Conſtitutione SS. D. N. BENED. XIV. de Appellationibus. 238.
Declarationes ad nonnulla ex Decretis Collegii Signaturæ. 238.
Conſtitutio SS. D. N. BENED. XIV. quoad præcedentiam inter DD. Votantes utriuſque Signaturæ tum in ſedendo, tum in voto ferendo. 240.
Noviſsima Decreta declaratoria ejuſdem Signaturæ. 241.

VA 1
1530705

EMENDANDA.

Pag.	lin.	
9.	*lin.* 30. & 31.	*verba* ſuadente Eminentiſſimo *De Luca* illius Proauditore, *ſunt omninò delenda; nam Auditor fuit De Luca Innoc. XI., & obiit in ejuſdem Pontificatu. E conſarcinata acceſſione illa Conſtitutionis Innoc. XII. in noviſſimis editionibus ejuſdem De Luca, è verbis annotationis ad diſcurſ. de Signatura Juſtitiæ in Relat. Romanæ Curiæ, e quibus patet, ſe Sanctiſſimi tunc Auditorem pro recta juſtitiæ adminiſtratione nonnulla excogitaſſe quoad Signaturæ Juſtitiæ Votantes, & demum è quamplurium credulitate, quod ille Innoc. XII. Auditor extitiſſet, facile fuit errare.*
10.	19.	& in ejus
12.	21.	rerum ubique
16.	33.	*Caſſan. Gomeſ.*
35.	24.	*ad ſtatuta*
35.	30.	*Conſtitutio Emanuelis Commeni accipienda eſt pro ea paritate ſuffragiorum, quæ ex ipſo Præſidis acceſſu ad unam, vel alteram partem ſuffragatorum, oritur.*
43.	20.	ad eamdemmet Congregationem.
79.	37.	parte informante
81.	32.	ſi fiat
87.	11.	receptas
89.	15.	*deciſivis*
101.	5.	redegimus
102.	35.	earum
112.	20.	exequutionem
126.	14.	non eſt
131.	25.	nobilitati & *lin.* 36. privilegiis
139.	31.	ſcribat quis
140.	7.	phraſium
146.	39.	quas ipſemet
149.	4.	promulgando
156.	31.	exequutione
177.	37.	taxanda quantitate


Reliqua, humanitatis tuæ proprium erit, Lector, libenter remittere.


Digitized by Google

Digitized by Google

165.
C.
19.

Digitized by Google





Digitized by Google